5.14.'03.

From the Library of

Professor William Henry Green

Bequeathed by him to

the Library of

Princeton Theological Seminary

BS2335
.R815
1815
v.1

W. Henry Green

Princeton Aug. 1846

Presented by my uncle

W. W. Green Esq

D. IO. GEORGII ROSENMÜLLERI

SCHOLIA

IN

NOVUM TESTAMENTUM.

TOMUS I.

CONTINENS

EVANGELIA MATTHAEI ET MARCI.

EDITIO SEXTA

AUCTIOR ET EMENDATIOR.

CUM PRIVILEG. S. ELECT. SAXON.

NORIMBERGAE,
IN OFFICINA FELSECKERIANA
MDCCCXV.

PRAEFATIO.

Quamvis librorum, qui ad illustrandas Sacras Scripturas V. et N. Testamenti faciunt, hodie nulla sit inopia, paucissimi tamen ita sunt comparati, ut Sacrarum Litterarum Studiosis, praelectiones exegeticas cum fructu audire cupientibus, commode inserviant. Versiones enim et paraphrases, magna copia in lucem prodeuntes, praeparationi et repetitioni minus esse accommodatas et aptas concedent omnes, qui sciunt, nonnisi per verborum exploratam significationem, et orationis perspectam compositionem, viam ad solidam et accuratam aperiri interpretationem. Quod autem alia adiumenta solidioris exegeseos attinet, sunt ea vel ignota multis, vel maiorjs pretii, quam ut a multis possint comparari. Ut igitur commodis Academicae iuventutis, praesertim vero Auditorum meorum honoratissimorum in hac parte consulerem, ad conscribenda Scholia in N. T. quorum Tomum primum iam exhibeo, animum appuli. Selegi nimirum ex annotatis uberioribus *Erasmi*, *Bezae*, *Camerarii*, *Heinsii*, *Drusii*, *Grotii*, *Lightfooti*, *Bengelii*, *Wetstenii*, *Moldenhaweri* et eorum, qui observationes scripserunt, praecipue *Krebsii*, *Loesneri* aliorumque, ea quae mihi viderentur

optima, Auctorum verbis vel retentis, vel in compendium redactis. Quamquam autem plurima debeo aliis, deprehendent tamen Viri eruditi, me haud raro veteres interpretationes novis confirmare rationibus, vel etiam meum sequi sensum. Quodsi institutum meum probari Viris doctis intellexero, hunc tomum excipient tres alii, quibus totum corpusculum Scholiorum in omnes Novi Testamenti libros comprehendetur. Quanquam vero haec Scholia non doctoribus scripta, sed discipulis destinata sunt, forsan tamen exercitatioribus, et in interpretatione Sacrae Scripturae multum versatis, haud iniucundum erit, in promptu habere breves annotationes, quas subinde novis observationibus, vel ex lectione, vel propria meditatione augere possint. Quare Bibliopola, vir honestissimus, rogatu meo exemplaria nonnulla maiori forma, et cum spatiosiore margine typis exprimi curavit, quo illi quibus volupe esset, observationes inter legendum ortas, commodius possent adscribere. Faxit Deus, ut per hanc operam meam quamplurimis Theologiae Cultoribus legitimum ac liberale Sacrarum litterarum studium, ad maiorem Summi numinis gloriam, et uberrimum ecclesiae emolumentum incendatur. Scripsi Erlangae d. XXVIII. Augusti, MDCCLXXVII.

PRAEFATIO

AD EDITIONEM TERTIAM.

Quum Scholiorum meorum in N. T. editio secunda vix typis exscripta prodiisset, ecce Librarius parare se novam Tomi primi editionem litteris mihi significavit, meque rogavit, ut ad eam ornandam locupletandamve, si aliquid haberem, id conferrem. Feci igitur, quod inter cetera negotia et officia muneris vitaeque facere potui. Praeter eos, quos in praefatione editionis primae nominaveram interpretes, alios etiam haud paucos, qui nostra aetate de interpretatione N. T. optime merentur, consului: nec tamen in iis consulendis acquiescendum, sed etiam sententias eorum, inprimis in explicandis locis obscurioribus, examinandas, et interdum ab iis modeste discedendum esse putavi. Atque sic, ut dies diem docet, pleraque mea castigavi; quae emendanda erant, emendavi, addidique non pauca, quae ad eruendum sensum verborum et illustrandas res

facere videbantur. Hoc ita esse, facile qui volunt, cognoscent, si perlustraverint emendationes et supplementa ad Tomum primum, quae proxime seorsim typis exscripta prodibunt, atque secundae editionis possessoribus venalia prostabunt.

Quod superest, hanc meam operam nec improbatam Viris doctis, nec inutilem fuisse litterarum sacrarum studiosis, impense laetor, Deumque T. O. M. supplex oro, ut eam rei christianae publicae porro salutarem esse iubeat. Dabam Lipsiae, d. 30. mensis Augusti, MDCCLXXXVIII.

PRAEFATIO

AD EDITIONEM QUARTAM.

Novam hanc Scholiorum editionem prioribus esse multo emendatiorem et auctiorem, typorum etiam elegantia nitidiorem, facile, ut puto, cognoscent, qui eam cum illis conferre voluerint. Quamvis igitur lectores de ea re monere non sit opus, aliam tamen ob caussam hunc primum Tomum sine praefatione in publicam lucem emittere non possum. Quum enim aliquot plagulae iam typis descriptae essent, allata est mihi editio nova, inscio me, inscio etiam et invito Bibliopola, cuius sumtibus hic liber prodiit, procurata a I. H. Taubero, Philosophiae Mag. Philolog.

lolog. Prof. et Scholae Roeskildensis in Dania Rectore.*) In hoc igitur Doctissimi Tauberi instituto et labore quid mihi laudandum, quid reprehendendum esse videatur, (seposita tamen iuris quaestione,) paucis indicandum esse existimo, non tantum mei, sed etiam illorum caussa, qui forte hoc libro utentur.

Doctrina quidem atque diligentia Tauberi omnino est laudanda. Frequentius enim, quam a me factum erat, contulit interpretes Alexandrinos et libros veteris Testamenti apocryphos; diligenter usus est *Philone* et *Iosepho*, Patribus etiam ecclesiae christianae; consuluit plures interpretes antiquiores et recentiores, quos in praefatione laudavit, multorumque doctorum hominum, inprimis Germanorum et popularium suorum exercitationes, commentationes et opuscula,

*) Titulus est: *Dr. I. G. Rosenmülleri Scholia in Novum Testamentum. Tomum I. in Evangelium Matthaei elaboratiorem et multis partibus locupletiorem edidit I. H. Tauberus* etc. Havniae 1780. Sumtibus S. Gyldendalii. Tomi secundi pars prior complectitur Evangelium Marci et Lucae. Prodiit deinde a. 1791. Tomus IV. ex eadem officina sine novis accessionibus.

cula, quae ad interpretationem N. T. faciunt. Multa igitur utilia ab eo esse congesta ad scholia mea augenda, adeo non inficior, ut potius grato animo profitear. Nam ex novo hoc apparatu selegi eas observationes, quae ad confirmandas et illustrandas interpretationes a me iam olim propositas facere, vel viam ad alium et veriorem sensum reperiendum pandere viderentur, easque in hac nova editione suis locis inserui. Quod tamen non ita intelligi velim, ac si in Tauberianis acquievissem. Omnem potius qui ad manus fuit librorum exegeticorum et commentationum ad exegesin N. T. spectantium apparatum eo versavi consilio, ut inde aliquid in meos transferrem forulos, sic tamen, ut semper consilii mei memor, brevitati studerem.

Ingenue professus sum, quid mihi in Tauberi labore laudandum esse videatur; iam liceat mihi etiam dicere, quid displiceat. Maxime displicet hoc, quod omnia ita inter se confusa sunt et mixta, ut nemo discernere possit, quid sit meum, quid Tauberi. Ferri poterat, si Vir doctus vel additiones suas uncis inclusas exhibuisset, vel alio signo indicasset, quid de suo adiecerit. Hoc autem non fecit. Deinde etiam reprehendenda est stili negligentia et inconcinnitas, quae saepe tanta est,

est, ut vix intelligi possit, quid sibi velit auctor; atque haec intelligenti difficultas augetur erroribus typographicis, quibus totus liber scatet. Ne Viro ceteroquin docto iniuriam facere videar, unico saltim exemplo id, quod dixi, verum esse confirmabo. Ad Matth. IV, 24. ubi de Daemoniacis agitur, dixeram (p. 61. 62.) de iis, qui hunc locum tractarunt, atque finieram his verbis: Contrariam sententiam cum multis aliis defendit Cel. *Hessius* in libro: *Ueber die Lehren, Thaten und Schicksale unsers Herrn.* Sect. 8. Hic vero *Tauberus*, laudatis multis aliis, qui de eadem re disseruerunt, uno tenore, ut nemo scire possit uter nostrum haec scripserit, ita pergit: — „aliique, quibus e „nostratibus, adde, si placet, *programma Munthi-*„*anum huius argumenti, Hafniae* 1760. *editum*, et „*Ballii nostri commentationem in commentario perpetuo* „*in V priora Matthaei capita*, sive, *udförlig Forklä-*„*ring over de fem förste Kapitler of Matthaei Evan-*„*gelium.* Kiöbenhavn 1779 p. 303—329. quem „te legisse nunquam poenitebit. Atque hi, qui „corporalem, ut volant (vocant) obsessionem „defendere haud dubitant, habent, quae ipso-„rum sententiae patrocinentur argumenta bene „multa, quorum graviora paucis persequar. Pri-„mum nihil efficere medicorum placita, decreta „atque consulta ad rem facti negandam. Dein-

de

„de, quum eiusdem effectus plures possint esse „caussae, quumque multa, non minus singula, „quam iuncta verba, tam in V. quam in N. Te„stamento, ex usu dicenti vulgari, significatio„ne mutata, renovata adauctaque, ita sint in ci„vitatem christianam recepta, ut ex ratione do„ctrinae divinitus traditae, a qua aliae erant bar„barae gentes et definiantur, et amplificentur, „eorum quoque in numerum referenda esse, „δαιμονιζεσθαι, δαιμονιον ἐχειν, et quae eorum lo„cum tenennt, cetera ad unum omnia; tum quo„que Petrum, virtutem et gloriam Messiae, Cor„nelio Centurioni, eiusque familiae, ingenio et „sensu, rerum iudaicarum vix imbutae, paucis „exaequaturum, proprie hoc beneficium a reli„quis distinguere Act. X, 38. Ἰωμενος τες καταδυνα„στευομενες απο διαβολε. Quid arceret apostolum a „verbis propriis, quae iudaeorum praeiudicatam „opinionem de daemonibus, morborum coeco„rum causis non superent, planius adhibendis, „nisi proprie esset haec locutio intelligenda? Prae„terea etc." His similia permulta occurrunt in editione Scholiorum Tauberiana et quidem eo orationis nexu, ut nemo scire possit, uter nostrum sic scripserit. Satius fuisset, si Vir doctus observationes in libros novi Foederis perpetuas, quas publice promiserat, (ut ex praefatione discimus,) seorsim

orsim dedisset foras. Ut hoc in posterum faciat, nos optamus, et optabunt sine dubio alii etiam qui literas amant.

Quod reliquum est, Deum precor per Dominum nostrum Iesum Christum, ut operam hanc meam porro in Numinis sui gloriam, et ecclesiae veram utilitatem vergere iubeat. Dabam Lipsiae, d. 23. Febr. MDCCXCII.

Ἡ καινὴ διαθήκη. Hebraei et Pentateuchum peculiariter et communiter omnes libros ad sacrum codicem pertinentes תורה sive νόμον appellarunt. Sed veteres Christiani eum librum, in quo doctrina christiana eiusdemque vetustissima historia continetur, maluerunt καινὴν διαθήκην appellare. In quo sine dubio respexerunt ad ipsa Christi verba, qui *novam religionis formam* morte sua sanciturus, eam novum ברית, τὴν καινὴν διαθήκην nominavit Matth. XXVI, 28. Vox ברית, quam LXX. interpretes, Hellenistae, atque inter eos viri sancti, qui Evangelia atque epistolas scripserunt, διαθήκην interpretati sunt, denotat et *promissiones divinas*, et conventiones mutuas, sive *foedera*, *pacta*. Significat autem διαθήκη interdum etiam *religionis formam*, vel *oeconomiam divinam;* propter promissiones divinas sub conditione fidei et obsequii nobis datas. Latine itaque hunc librum nec *Novum Testamentum*, nec *Novum foedus* appellaverim, sed potius *novam religionis formam*, vel *novam oeconomiam divinam*, germ. *die neue Religionsverfassung*, *die neue Religion*. Eo sensu *Vetus* ipsi saepe opponitur. Ita secundum Paulum Apostolum sunt δύο Διαθῆκαι, i. e. *Oeconomiae divinae*, vel *religionis formae* Gal. IV, 24. atque ut *illam Mosaicam* παλαιὰν διαθήκην, ita hanc *christianam* καινὴν vocat idem ille Apostolus 2 Cor. III, 14. 6. In Epistola ad Hebraeos illam vocat πρώτην hanc modo καινὴν modo νέαν quin et κρείττονα, itemque

αἰώνιον. Discrimen *Mosaicae* et *Christianae Oeconomiae* inter alia in eo est positum, quod illa *foederis* tantum, haec et *foederis* et *testamenti* rationem habeat, quod prolixe ostenditur Hebr. IX, 11--21. Hinc patet, quo sensu sit accipienda vox διαθήκης, libris sacris cum additamento παλαιὰ, vel καινὴ, tituli loco praefixa.

DE QUATUOR EVANGELIIS.

Vox εὐαγγέλιον etiam apud Profanos occurrit, et proprie significat *nuncium laetum.* Est autem nomen, unde hoc denominatur εὐάγγελος, et in Phoenissis Euripidis εὐάγγελος φήμη. In N. T. εὐαγγέλιον proprie ac primario dicitur κήρυγμα illud, a Ioanne Baptista inchoatum (Luc III, 18.) a Christo vero tum per se, tum per Apostolos consummatum, de regno Messiae deque parta remissione peccatorum. Hinc Ioannis quasi prima vox fuit: *Adest regnum Messiae* Matth. III, 2. Et *Christus* ab eadem illa voce incipit Matth. IV, 17. Marc. I, 15. Quia vero ad explicandam, illustrandam, et confirmandam doctrinam a Christo annunciatam pertinent omnes eius κηρύγματος circumstantiae: ideo ipsa quoque Historia accepit Evangelii nomen. Hebraicum verbum בָּשַׂר, et nomen בְּשׂוֹרָה significant *narrare, narratio*, e. g. 1 Sam. IV, 17. Iesaiae LII, 7. Vid. *Io. Adrian. Bolten* der Bericht *des Matthaeus von Iesu dem Messia* p. 1. 2. Εὐαγγέλιον itaque h. l. est *historica expositio vitae rerumque Iesu Christi.* Quod tamen non ita est intelligendum, quasi unusquisque Evangelistarum totam historiam Christi descripserit ordine chronologico. Quisque eorum recenset potius memorabilia tantum vitae Iesu, prout utilitas lectorum, quibus Evangelium suum proxime destinaverat, requirere videbatur. Quare

re oleum et operam perdunt, qui aliam Evangelistarum Harmoniam concinnare volunt, praeter eam, quae circa ipsam narrationum historicam fidem versatur.

Consilium Evangelistarum in conscribendis suis Commentariis sine dubio fuit id, ut Christianos sui temporis confirmarent in veritate, Iesum esse Messiam, (Io. XX, 31.) simulque hanc veritatem defenderent adversus calumnias adversariorum. Quum enim Iudaei aliique Iudaicae superstitionis patroni narrationes Apostolorum de resurrectione Christi et rebus eius in terra gestis, ore prolatas, suspectae fidei esse, calumniarentur, haud parum ad confirmandos Christianorum animos facere videbatur, si praecipua momenta historica, ex quibus dignitas et divina maiestas Iesu elucebat, literis consignarentur. Hae igitur opera defuncti sunt duo *Apostoli*, Matthaeus et Ioannes, et duo *Apostolis familiares*, Marcus et Lucas. Ex his Evangelistis tres, Matthaeus, Marcus et Lucas praecipue versati sunt in commemorandis iis, quae Iesus in *Galilaea* docuerat et egerat, fortassis propter falsos rumores a Iudaeis *Hierosolymitanis* sparsos. Hi enim, quum res memorabiles a Iesu Hierosolymis gestas, quippe omnibus notas, negare vix possent, omnibus viribus id egisse videntur, ut fidem eorum, quae Iesus in Galilaea docuisse et fecisse dicebatur, suspectam redderent. Id eos fecisse, eo magis credibile est, quod alias etiam Galilaeos, et quicquid ex Galilaea prodiret, contemnerent, Io. VII, 52. Haec videtur fuisse caussa, cur hi tres Evangelistae in enarrandis rebus Iesu in Galilaea gestis prolixiores fuerint, reliqua autem, si historiam ultimorum fatorum et resurrectionis Christi excipias, breviter tantum attigerint. *Ioannes* contra prolixior est in enarrandis memorabilibus, quae *Hierosolymis*, et in *Iudaea* contigerant, et alia a ceteris Evangelistis

omissa, addit, quod veteres iam observarunt. *Euseb.* Hist. eccles. L. III, c. 24. Plura de hac re dicemus in notis ad Evangelium Ioannis.

Novas de *origine* Evangeliorum Matthaei, Marci et Lucae hypotheses excogitarunt *Lessingius*, *Semlerus*, *Eichhornius*, *Halfeldus*, *Herderus*, *Eckermannus*, *Rufswurmius*, *Marsh*, Anglus, *Kuinoelius* in Commentario in libros N. T. historicos, alii. Hi omnes in eo fere consentiunt, Evangelium quoddam Syrochaldaicum, deperditum, cummunem trium Evangelistarum, *Matthaei*, *Marci* et *Lucae* fontem fuisse. Quum nimirum magna deprehendatur convenientia unius Evangelistae cum altero, in rebus, formulis et verbis singulis, aeque vero magna etiam diversitas, quoad ordinem, quo narrationes se excipiunt, et narrationes ipsas; hunc Evangelistarum consensum atque dissensum nullo modo explicari posse censent, nisi sumatur, omnes ex uno eodemque fonte hausisse. Quomodo vero singuli hoc fonte in singulis partibus suorum Commentariorum usi fuerint, de eo coniecturarum et opinionum mira est varietas.

Equidem ingenue fateor, hanc de origine trium Evangeliorum, ac de archetypo quodam Syrochaldaico eorum fonte (Urevangelio) hypothesin mihi semper fuisse suspectam. Etenim ut taceam, eam omni testimonio historico esse destitutam, non video, cur *Matthaeus*, de quo mox plura, comes Iesu Christi, testis oculatus, (αὐτόπτης) et pars rerum gestarum alieno subsidio ad Commentarium suum componendum, indiguerit. Ad Marcum et Lucam quod attinet, ex collatione trium Evangelistarum patet, eos Matthaei Commentarium adhibuisse, et partim exscripsisse, partim in alium ordinem redegisse, quaedam omisisse, quaedam addidisse, unumquemque pro suo consilio.

Quan-

Quanquam Marcus multas historiae evangelicae particulas a Petro Apostolo, cuius erat discipulus et comes, accepisse videtur, vix tamen dubitari potest, eum in componendo Commentario suo Evangelium Matthaei ad manus habuisse, et ex eo pro instituti sui ratione quaedam descripsisse. Nam in ipso narrandi modo, sententiis, verbis, ipsis adeo levissimis dicendi formulis accurate cum eo consentit; nec tamen Epitomator eius recte dici potest. Inseruit enim passim, quae ad integritatem ac maiorem lucem historiae evangelicae facerent, et plurimas circumstantias, quas Matthaeo intactas fuisse observarat; in nonnullis etiam narrationibus ab ipso recessit, iuxta fidem dictatorum quae a Petro accepisset, tum vero et suis in locis adiecit haud pauca, a Matthaeo praetermissa, quibus et re visum fuit, ut locupletata esset historia Evangelica, accuratius quoque temporis ordinem secutus est; quod exemplis demonstrare, ab instituti nostri ratione alienum, ab aliis vero luculenter expositum est. Ex multis nominamus D. Ioh. Leonardum Hug, Theologum Friburgensem, in egregio eius libro: *Einleitung in die Schriften* neuen Testaments. Zweiter Theil. Tubingae 1808. 8. p. 80 – 96. qui omnino hic est consulendus. Accedit, quod *Matthaeus* Evangelium suum in gratiam Christianorum ex Iudaeis Hellenistis in Palaestina et extra Palaestinam, *Marcus* autem in gratiam Christianorum e gentibus scripsit; unde perspicimus, cur plura enarrare omiserit, quae a reliquis Evangelistis commemorantur, et cur alia ab his omissa in librum suum receperit. Voluit nimirum ea tantum exponere, quae scitu utilia essent hominibus illis, quibus Evangelium suum destinarat, et ea ita narrare, ut enarrari istis hominibus deberent. Hinc omisit multa apud Matthaeum et Lucam obvia, ad solos Iudaeos et inprimis Palaestinenses spe-

spectantia, et hominibus a Palaestina remotis minus cognita, vel scitu non admodum necessaria vel Iudaeorum cogitandi modo accommodata, et addidit illustrationis caussa, quae suis lectoribus ad rectius intelligendam narrationem vel necessaria vel utilia putaret etc. quod infra, in Prolegomenis ad Marcum exemplis comprobabimus.

Lucam Matthaei Commentaria consuluisse, et ex his in librum suum haud pauca transtulisse, patet ex locis in Prolegomenis nostris in Lucam p. 5. quintae editionis citatis. Ex aliis etiam fontibus se hausisse, ipse in Prologo ad Commentarium suum fatetur; quinam vero hi fontes fuerint, de eo variae sunt doctorum hominum coniecturae, quas aliis diiudicandas relinquo. Sed v. 2. scribit, se referre, quae ab iis didicerit, qui ἀπ' ἀρχῆς αὐτόπται καὶ ὑπηρέται τῦ λόγυ, *ab initio testes oculati et pars aliqua rerum gestarum* fuerint; hos autem fuisse constat Apostolos, Mariam, matrem Iesu, cum aliis mulieribus et discipulis. Dedicavit librum suum Theophilo cuidam. Quisquis ille fuerit, hoc unum certum esse videtur, eum fuisse Christianum, a Luca ad professionem nominis Christiani adductum, et extra Palaestinam viventem, quia Lucas de situ locorum in Palaestina multa affert, quae nonnisi exteris ignota esse poterant.

Ex hactenus disputatis facile, ut mihi videtur, caussae consensus et dissensus trium priorum Evangelistarum cognosci possunt. Scripserunt nimirum Commentaria sua diversis hominibus et diverso consilio. Matthaeus Evangelium suum Hellenistis, Marcus Christianis e gentibus, Lucas Theophilo cuidam, extra Palaestinam viventi destinaverat. Marcus et Lucas Matthaeum, utpote αὐτόπτην et ὑπηρέτην τῦ λόγυ adhibuerunt, sed quaedam addiderunt, vel omiserunt, prout lectoribus suis necessaria vel utilia putarent,

rent. Nihil igitur nos cogere videtur ut ad Evangelium quoddam Syrochaldaicum (Urevangelium), quod nemo Veterum novit et vidit, a recentioribus fictum, confugiamus. De consilio Evangelistarum in conscribendis suis Commentariis dignus est inprimis qui conferatur Io. Inc. Hess in *Bibliotheca Historiae sacrae* theotisce scripta. Turici 1791. 8. Pars I. p. 202. seqq. De Evangeliis Apocryphis, veritatem religionis christianae non la efactantibus, sed confirmantibus, legi meretur *Isaacii Bellosobrii* diatribe, germanice versa *in Beytraegen znr Befoerderung theologischer Kenntnisse* etc. a *Io. A dr. Cramero* editis. Kiloni et Hamburgi 1777. P. I. p. 249. seqq.

Quatuor, nec plura Evangelia Sec. II. in ecclesia fuisse recepta, docet nos *Irenaeus* adv. Gnost. L. III, c. II. ex quo loco etiam discimus, unde factum, ut Matthaeo hominis, Marco leonis, Lucae vituli, Ioanni aquilae adponeretur forma, nempe propter cherubim quatriformia Ezech. I, 10. quia τετραπροσωπα, και τα προσωπα αὐτων εἰκονες της πραγματειας τȣ υἱȣ τȣ θεȣ, qua manifestavit se ut hominem, regem, sacerdotem et filium Dei. De ordine et numero Evangeliorum vid. *Euseb* Hist. eccles. L. III, c. 24.

De fide historica Evangelistarum prolixum opus habemus *Nathan. Lardneri*, Angli. Adde, quae breviter quidem, sed optime monuerunt: *Io. Tobler*, *in Gedanken und Antworten zur Ehre I. C. und seines Reichs* p. 119. seqq. et *Herder*, *in den Briefen das Studium der Theologie betreffend*, epist. 14. et sequentibus. Commendandus etiam tironibus, qui historiam evangelicam bene illustravit, *Hessius*, Turicensis, qui scripsit: *Geschichte der drey lezten Lebensiahre Iesu etc. et: über die Lehren, Thaten und Schicksale unsers Herrn;* ut alios taceam. Optimum modum interpretandi, ut historiam

sacram

sacram universim, sic etiam libros N. T. historicos tradit idem *Hessius* in Bibliotheca hist. sacrae. Ceterum Iustinus M. Evangelia etiam ἀπομνημονεύματα vocat, qua voce *Xenophon* eos libros inscripserat, quibus praecipua dicta factaque Socratis annotarat, si tamen Evangelia nostra habuit *Iustinus*, quod negat *Fr. Andr. Strothius*, haud contemnendis rationibus probans, usum esse Iustinum eo, quod non tantum Nazaraeis et Ebionaeis, sed et omnibus primae aetatis Christianis Palaestinensibus in usu fuisse videtur, *Evangelio secundum Hebraeos*. Vid. *Repertorium litteraturae biblicae et orientalis*. Tom. I, p. 1. sqq. Cf. *Hug*, l. c. Tom. II. p. 74. sqq.

DE EVANGELIO MATTHAEI.

Τὸ κατὰ Ματθαῖον Εὐαγγέλιον) *Matthaei Evangelium*, s. Evangelium a Matthaeo scriptum. Κατὰ h. l. indicat Genitivum. Quemadmodum enim Polybio Lib. III, c. 6. αἱ κατ' Ἀννίβαν πράξεις, *res gestae Annibalis* vocantur: ita τὸ κατὰ M. Εὐ. idem est quod Εὐ. τῦ Ματθάιε. Sic etiam Act. XVII, 28. τινὲς τῶν καθ' ὑμᾶς ποιητῶν sunt τινὲς τῶν ποιητῶν ὑμῶν cf. etiam Act. XVIII, 15. nec non *Aelian*. Var. hist. L. II, 42. ἡ κατ' αὐτὸν ἀρετὴ, *virtus eius*. In variis codicibus haec inscriptio varie legitur, e. g. ἀρχὴ τῦ κατὰ Ματθαῖον εὐαγγελίε, τὸ κατὰ Ματ. ἅγιον εὐαγγέλιον, ἐκ τῦ κατὰ Ματ. ἁγίε εὐαγγελίε. Vid. *Quatuor Evangelia graece etc.* edita ab Andrea Birch (Havniae, 1788. 4.) ad h. l. Caeterum hic titulus non videtur ab ipso Matthaeo profectus esse. Nonnulli credunt *Evangelii* quidem appellationem ei esse tribuendam, nomen autem *Matthaei* eo tempore a Christianis additum esse, quo cetera *Marci*, *Lucae* et *Ioannis*

nis accesserunt, ut illud ab his, et haec a se invicem distingui possent. Vid. Ioan. Christoph. Wolfii *Curas philolog. et criticas.* Sed *Evangelium* etiam nomen non ab ipsis Evangelistis, sed aliquanto post ab ecclesia additum esse, putat Anonymus apud Oecum. ut notat Christian. Fried Matthaei in edit. N. T. ad tit. Eu. Matth. Faustus, Manichaeus, (teste Augustino c. Faustum Lib. XVII, 2. XXVII, 2. XXXIII, 3.) ex titulis Evangeliorum confici posse putavit, non esse ea ab ipsis, quorum nomina gerunt, Evangelistis conscripta, sed ab aliis, qui se *secundum* eos scripsisse profiterentur. Sed lapsus est Faustus ignorantia linguae graecae, quod nesciret κατὰ Ματθαῖον, κατὰ Μάρκον etc. idem esse ac *Matthaei, Marci etc.*

Quod nominatim Matthaeum attinet, genuinum esse Evangelium, quod ei tribuitur, inter alios Eusebius docet H. Eccl. L. III. c. 25. VI. 25. qui etiam antiquissimorum Patrum testimonia affert. *Hebraice* Matthaeum scripsisse, hoc est Syriace sive Chaldaice, Patres ecclesiae perhibent, et recentiorum plerique statuunt. *Euseb.* H. E. L. III, c. 39. *Michaelis Einleitung in die göttl. Schriften des N. B.* §. 127. seqq. *Io. Adrian. Bolten*, praef. in vers. theotiscam Matthaei etc. Sed argumenta, quae id evincere debent, admodum imbecilla sunt. Nam *Papias*, cuius testimonio haec sententia nititur, vir nullius iudicii ac perspicientiae, (σφόδρα σμικρὸς ὢν τὸν νοῦν, ὡς ἄν ἐκ τῶν αὐτοῦ λόγων τεκμηράμενον εἰπεῖν φαίνεται, teste Eusebio hist. eccles. Lib. III, 39.) sine dubio Evangelium κατ' ἑβραίους, *secundum Hebraeos*, quo *Nazaraei* usi sunt, et quod *Hieronymi* adhuc aetate superfuit, cum Evangelio Matthaei confudit: Patres vero, unus (ut fit) ex alio eam traditionem sine examine descripsit, idque eo magis, quia

quia putabant, Matthaeum ad Palaestinenses, quibus lingua graeca ignota fuisset, hebraice scribere debuisse. Sed facile evinci potest, linguam graecam Apostolorum aetate ut in universo imperio Romano, ita etiam in Palaestina fuisse communissimam. Nam graecae urbes erant Gaza, Gadara et Hippos, (*Iosephus Antiquitt Iud.* Lib. XVII, c. XI. edit. Oberthür. Γάζα καὶ Γάδαρα καὶ Ἵππος Ἑλληνίδες εἰσὶ πόλεις.) Caesareae autem lingua graeca regnabat. (Ioseph. de bello Iud. Lib II, c. XIII. Syri αὐτὴν μέντοι γε τὴν πόλιν Ἑλλήνων ἔφασαν.) Inter ipsos Christianos Hierosolymitanos erant Graeci, (Ἑλληνισταὶ,) Act. VI, 1. Multi Hellenistae mercaturae exercendae caussa ex Asia minore in Palaestinam migraverant, Hierosolymis sedem fixerant, et Synagogas habebant, ibid. v. 9. Titulus, cruci Iesu impositus, scriptus erat tribus linguis, Syriaca, Graeca et Romana, teste Ioanne cap XIX, 19. 20. et additur, plurimos Iudaeorum eum legere potuisse. Homines plebeios etiam hanc linguam calluisse, vel docere potest locus Act. 21, 40. 22, 2. Sine dubio enim propterea attentiores facti sunt, Paulum Syrochaldaice loquentem animadvertentes, quia expectaverant eum sermone graeco verba esse facturum. Matth. IV, 15. commemoratur γαλιλαία τῶν ἐθνῶν, quia multi ex aliis gentibus, in quibus sine dubio etiam Graeci erant, inter ipsos Iudaeos habitabant. Apostolis linguae graecae peritiam non defuisse, inde etiam patet, quod Io. XII, 20. ſ. Ἕλληνες, Proselyti e gentibus Philippum rogarunt, ut sibi colloquendi cum Iesu copiam facere vellet. Graece scripsisse Matthaeum, exinde etiam patet, quod in adducendis locis veteris Testamenti plerumque versionem LXX. sequitur, quanquam interdum ab ea discedit, ubi nempe hebraicus textus consilio eius accommodatior erat. Vid. Hug l. c. p. 18. sqq. Werner Caro-

LUS LUDOV. ZIEGLER *vollständige Einleitung in den Brief an die Hebraeer*, p. 200. sqq. et Scriptores ab iis laudatos, quibus plures addi possent, si in re tam clara multis testibus opus esset. — Putant, qui textum nostrum graecum e *deperdito* Archetypo Syriaco translatum esse sumunt, collatione huius translationis cum Syriaco multa N. T. loca novam accipere lucem. Et ego ultro largior, *versionem* Syriacam veterem, (Peschito, simplicem) textus nostri Graeci utilem esse in hunc finem. Quum vero Evangelium illud archetypum, quod vocant, nullibi extet, Critici nostri meris coniecturis assequi conantur, quid in eo sit lectum, indeque depromunt interpretationes maximam partem contortas. Equidem ingenue fateor, mihi ex omnibus *Boltenii* huius generis interpretationibus ne unam quidem videri probabilem.

Ceterum, Matthaeum *in gratiam credentium ex Iudaeis in Palastina* Evangelium suum scripsisse, et quidem, ut Veteres tradunt, *Hierosolymis*, *octavo post ascensionem Christi anno*, qui Claudii Imperatoris primus fuit, magno consensu perhibent Patres ecclesiae. Hoc etiam res ipsa docere videtur. Multas enim Matthaeus de Iudaeorum superstitionibus refert disputationes, quibus apud alias nationes, vel templo iam everso vel paulo post evertendo, locus vix fuisset; totus in eo est, ut animos credentium obfirmet, nondum credentium autem animos non irritet magis, quin potius scrupulos ex Christi humilitate, paupertate et morte ignominiosa illis iniectos evellat. Quae etiam caussa fuisse videtur, cur tam multa V. T. loca ad testimonium citaret, ut recte *Westenius* observavit. Ex vulgari sententia ratio cur *Matthaeus* primum in ordine Evangelistarum occupet locum, haec est, quod primus omnium scripserit. Nititur

tur haec sententia veterum testimoniis. Aliis tamen, recentioribus nempe nonnullis, aut Ioannes, aut Marcus primus scripsisse videtur. Vide inprimis S. V. D. *Gottlobii Christiani Storrii* Theologi Tubingensis librum, cui titulus: *Ueber den Zweck der Evangelischen Geschichte und der Briefe Iohannis.* (Tub. 1786. 8.) §. 62. seqq. *Marcum* omnium primum scripsisse rationibus haud contemnendis evincere studet Vir doctus. De tempore, quo Matthaeus Evangelium suum scripserit et aliis huc pertinentibus cf. Michaelis lib. cit. §. 126.

CONSPECTUS

TOTIUS EVANGELII MATTHAEI.

Quatuor partibus constat hoc Evangelium:

I. De infantia Iesu. c. I. II.

II. De dictis et factis Ioannis et Christi praeparatoriis ad munus Christi publicum, mox suscipiendum. c. III—IV, 1—11.

III. De dictis et rebus gestis Christi in Galilaea, quibus se esse Messiam demonstravit. c. IV, 12—XVIII, 35.

1) res gestae Iesu ipsae narrantur variae. c. IV, 12—XI, 1.

2) quomodo excepta sint dicta et facta Iesu a varii generis hominibus, vel quid effectum sit sermonibus et miraculis eius, refertur c. XI, 2. — XVI, 12.

3) de dictis et factis Iesu proxime ad discipulos eius et futuros Apostolos spectantibus, c. XVI, 13. — XX, 16.

IV. Ultima fata Christi. c. XX, 17. — XXVIII, 20.

CAP.

CAP. I.

Duo priora Capita non esse Matthaei, sed addita ab eo, qui Evangelium ex hebr. in graecum transtulerit, multis probare voluit *Io. Williams*, Anglus, refutatus a *Velthusenio*. Sublestae fidei esse haec duo capita, et alia nonnulla loca huius Evangelii, contendit etiam *Strothius* Repertor. Tom. IX. *de interpolationibus in Evangelio Matthaei*. Potiora argumenta pro hac sententia sunt fere ista: 1) Desunt haec capita in eo, quo usi sunt *Ebionaei*, Evangelio hebraico, cuius initium erat: ἐγένετο ἐν ταις ἡμεραις Ἡρῳδε βασιλεως της Ἰουδαίας κ. τ. λ. (Matth. III.) *Epiphan.* Haeres. XXX. Itaque nec genealogia Christi, qua pro sua de Christo sententia speciose abuti potuissent, in Ebionaeorum exemplaribus extitit. 2) Defuerunt in Evangelio *Tatiani*, et fortassis in eo etiam codice Evangelii Nazaraeorum, quem *Hieronymus* habuit. 3) Ipsa verba βιβλος γενεσεως Ἰησε κ. τ. λ. titulum innuere videntur peculiaris cuiusdam libelli: ספר תולדות ישוע supplementi instar praefixi nonnullis Matthaei exemplaribus. Alias caussas, cur credibile sit, Genealogiam et historiam infantiae Iesu, non ab ipso Matthaeo, sed aliquanto post ab alio esse scriptam et Evangelio Matthaei praemissam, affert Io. Iac. Hess in Biblioth. hist. sacrae. p. 212. sqq. Hoc saltim facile concedent omnes, sub initiis doctrinae Christi nec necessarium fuisse nec conveniens consilio Apostolorum, ut ore vel scriptis historiam infantiae Christi traderent. Ex Actis Apostolorum constat, Apostolos in tradenda historia Christi plerumque hunc tenuisse morem et ordinem, ut initium facerent a confirmanda veritate resurrectionis Christi, cuius testes erant fide dignissimi; deinde vero adderent alia etiam ex vita Iesu, de quo-

quorum veritate omnibus Iudaeis in Palaestina ita constabat, ut nemo aequus ea negare posset, (Act. X, 37.) veluti de baptismo et testimonio Ioannis Baptistae, cuius auctoritas erat magna apud plerosque Iudaeos, de miraculis et doctrina Christi etc. Vid. Act. I, 21. 22. Historia infantiae Iesu nec ad *publicum* de Christo testimonium pertinebat, nec ex earum rerum genere erat, quae proprio Apostolorum testimonio comprobari poterant; his enim rebus non ipsi interfuerant, sed acceperant eas ab aliis hominibus fide dignis. Verisimile igitur est, Lucam, qui Commentarios suos in usum privati hominis scripsit, primum fuisse, qui de infantia Iesu consignaverit quae sciscitando rescisset. Extisisse tamen Genealogiam in Evangelio Matthaei iam *Clementis Alex.* et *Irenaei* aetate, patet ex iis, quae *Matthaei* ad Matth. I, 17. et Marc. I, 2. (p. 21. 22.) notavit. Scriptores, qui authentiam horum capitum vel impugnarunt, vel defenderunt, laudavit D. *Christian. Theoph. Kuinoel* Commentar. in Matthaeum (Lips. 1807. 8.) p. 11—17.

1. Βίβλος γενέσεως Ἰησοῦ Χριστοῦ) *Genealogia Iesu Messiae.* Nam *βίβλος*, סֵפֶר, aut est *descriptio* et *γενεσις ortus, origo*, (ut Gen. II, 4. ἡ *βίβλος γενέσεως οὐρανοῦ καὶ γῆς descriptio originis coeli et terrae,*) aut *βίβλος* est *catalogus*, Philip. IV, 3. et *γένεσις*, hebr. מִשְׁפָּחָה est *familia*, ut Exod VI, 24. Num. I, 18. Utroque modo *βίβλος γενέσεως* est *genealogia*, sive catalogus maiorum Iesu Christi hominis. Optime ii, qui hanc phrasin ex Gen. V, 1. סֵפֶר תּוֹלְדוֹת, ubi LXX. habent *βίβλος γενέσεως*, petitam arbitrantur. Accedit, quod etiam Iudaei genealogiam appellant סֵפֶר תּוֹלְדוֹת. Alii, quos nominat *Iohan. Christoph. Wolfius* ad h. l. his verbis histo-

historiam vitae rerumque a Christo gestarum et sic totius Evangelii materiam innui censent, sed sine idoneis argumentis. Praeferenda est igitur eorum sententia, qui his verbis non totius Evangelii, sed tantum Genealogiae a comm. 2, ad 16. vel etiam capp. I. II. titulum indicari statuunt. Vid. D. *Henr. Eberh. Gottl Paulus Commentar.* in N. T. p. 169. De nomine Ἰησοῦς vid. infra v. 21. Χριστὸς (nomen dignitatis) haud commode vertitur *unctus*. Respondet enim hoc nomen graecum in versione Veteris Testamenti Alexandrina, et in libris N. T. hebraico verbo מָשִׁיחַ, *Messias*, quod plerumque significat *Regem*, κατ' ἐξοχήν autem maximum ex Davidica stirpe regem, cuius regnum spirituale, aeternum super omnes gentes se extendit. Apud Iudaeos nempe regibus et principibus sacerdotum et nomen, et potestas atque dignitas regia et sacerdotalis unctione conferebatur; unde accidit, ut quivis, cui dedisset Deus veniam gerendae rei alicuius praeclarae, משיח diceretur, in primis *propheta*, *princeps sacerdotum*, maximeque *Rex*. Vid. Ies. XLV, 1. Ps. CV, 15. Lev. IV, 3. VI, 15. 1 Sam. II, 10. Hinc מָשִׁיחַ et נָגִיד, Χριστὸς et βασιλεύς permutari solent 1. Sam. II, 10. Ps. II, 2. 6. Luc. XXIII, 2. (Χριστὸν βασιλέα, pro Χριστὸν, τετέσι βασιλέα,) et aliis locis. (Cf. Io. Frid. Fischeri, Prof. et Rectoris Scholae Thomanae Lips. celeberrimi *Prolusiones de vitiis Lexicorum N. T.* Prolus. 14. p. 353. seqq.) Ceterum appellatio haec ad regem Iudaeis promissum maximum translata primum Dan. IX, 25. 26. et ab eo tempore Iudaeis usurpata esse videtur. υἱὸς Δαβὶδ, qui (Iesus Messias) *est ex posteris Davidis*. Vox υἱὸς h. l. sensu latiori sumitur, sicuti Hebraeorum בֵּן etiam de nepote, abnepote, omnibusque qui ab aliquo genus

nus ducunt, usurpari solet. Quam vulgata autem fuerit appellatio *Messiae filii Davidis* ex scriptis Iudaeorum et libris N. T. patet. *υἱὸς Ἀβραάμ, qui fuit ex posteris Abrahami.* Hoc de Davide dicitur; solet enim vox filii ad nomen proxime praecedens iungi, ut Zachar. I, 1. Luc. III, 23. seqq. Abrahami mentionem adiecit Matthaeus, tum ut genus ad primam stirpem referret, a qua commate sequenti incipit, tum ut primo intuitu ostenderet, Iesu natales fuisse illustres, qui et ad Davidem regem celeberrimum, Deoque dilectissimum, et ad Abrahamum, qui eximio modo amicus Dei appellatus est, genus suum referret. Caeterum suspicatur D. Christ. Gottlob Storr (*Ueber den Zweck der evangelischen Geschichte und der Briefe Iohannis*, p. 256.) Genealogiam hanc in familia Iesu repertam, et a propinquo Iesu *ἀπίσῳ* quodam usque ad Iesum continuatam a Matthaeo praemissam esse Evangelio suo eo consilio, ut ostenderet, narrationem suam de ortu Iesu non nuper demum a Christianis excogitatam, sed dudum in familia Iesu notissimam, ipsisque etiam iis familiae partibus, quae Iesum non habuissent pro Christo (nam auctori Genealogiae *ἀπίσῳ* Iesus non erat *ὁ Χριστὸς* v. 17. sed *ὁ λεγόμενος Χριστὸς* v. 16. coll. XXVII, 17. 22.) minime suspectam fuisse. Quapropter Storrio inscriptionis, a Matthaeo praefixae sententia haec esse videtur: "Iesu, quem ego pro Christo, itaque (c. XXII, 42. Act. II, 30. III, 25.) pro stirpe Davidis et Abrahami habeo, genealogia sequitur, prout in eius familia fertur.„ Alii Matthaeum hanc genealogiam ex publicis tabulis exscripsisse putant. Haec nos suo loco relinquimus.

2. *Ἀβραὰμ — ἀδελφὰς αὐτοῦ* (Gen. XXI, 2. XXV, 24. XXIX, 35. Crebriorem repetitionem verbi *ἐγέννησε* ab hebraica loquendi ratione repetendam esse, nemo non videt.

videt. Potuisset enim scribi sic: Ἀβραὰμ ἐγέννησε τὸν Ἰσαάκ. Ἰσαὰκ δὲ τὸν Ἰακὼβ κ. τ. λ.

3. Ἰούδας — θάμαρ) Gen. XXXVIII, 27—30. Φαρὲς — Ἀρὰμ) 1 Chron. II, 5. 9.

4. Ἀρὰμ — Σαλμών) 1 Chron. II, 10. 11. Leves variationes in nominibus, e. c. ἀμειναδὰχ β, ἀμιναδάμ etc. omitto.

5. Σαλμὼν — Ῥαχάβ) Boosum genitum esse a Salmone etiam Ruth. IV, 21. legimus. Sed *Rachab* fuisse matrem Boosi nuspiam in V. T. legimus. Videtur igitur Matthaeus, vel quisquis hanc Genealogiam Evangelio praemiserit, hoc nomen invenisse in Genealogia, quae in familia Iesu asservabatur. Quaerunt etiam interpretes, utrum *Rachab* hic memorata eadem sit cum Raab Hierichuntina, de qua Ios. II, 1. an ab ea diversa? Eandem statuunt interpretes plerique veteres et recentiores. Mihi vero vel rationes temporum huic sententiae adversari videntur, ut alia taceam. Probo igitur G. *Outhovii* sententiam, qui singulari dissertatione, Bibliothecae Bremensi Historico-Theologicae Class. III. inserta, diversam esse probare suscepit. Cf. *Wolfii* curas ad h. l. Βοὸζ — Ἰεσσαί) Ruth. IV, 17. 22. 1 Chron. II, 12.

6. 7. Cf. 1 Sam. XVI, 1. XVII, 12. 2 Sam. XII, 24. 1 Reg. XI, 43. XIV, 31. XV, 8. 1 Chron. III, 10.

8. Ἀσὰ — Ἰωράμ) 1 Reg. XV, 24. 2 Reg. VIII, 16 Ἰωρὰμ δὲ ἐγέννησε τὸν Ὀζίαν) Omissi sunt hic tres omnino Reges, ad complendam successionis seriem pertinentes, *Achasias*, *Ioasus* et *Amazia*. 2 Reg. VIII, 24. 1 Chron. III, 11. 12. 2 Chron. XXII, 1. XXIII, 2 Chron. XXIV, 27. Huius omissionis diversae caussae apud alios leguntur. Nobis verisimillima est eorum sententia, qui omissas esse quasdam personas putant, ob divisionem totius Ge-

nealogiae in tres classes, (v. 17.) ut τῶν δεκατεσσάρων numerus per omnes classes retineretur. Orientali consuetudine integrum fuisse auctori, praetermittere stirpes, quae numerum constitutum excederent, ostenderunt *Michaelis* ad Ruth. IV, 20. *Eichhornius* Einl. ins A. T. P. II. p. 449. P. III. p. 310. et Anonymus in Repert. für bibl. und morgenl. Litterat. P. XIII, p. 169. Nec ulla necessitas auctorem cogebat, ut singulas personas enumeraret: cum enim ipsi unice propositum fuisset, ostendere, Iesum ex regia prosapia ortum; obtinere illud potuit etiam non omnibus personis enumeratis. Nec obstat verbum ἐγέννησεν, quod etiam nepos ab avo, imo pronepos a proavo generatus dici possit.

9. 10. Cf. 2 Reg XV, 7. 38. XVI, 20. XX. 21. XXI, 18. 24. cum locis parallelis in libris Chronicorum.

11. Ἰωσίας δὲ ἐγέννησε τον Ἰεχονίαν καὶ τὰς ἀδελφὰς αὐτοῦ). Haec omnino vera est lectio. Codices haud pauci habent: Ἰωσίας δὲ ἐγέννησε τὸν Ἰωακεὶμ. Ἰωακεὶμ δε ἐγέννησε τὸν Ἰεχονίαν καὶ τὰς ἀδελφὰς αὐτοῦ, contra auctoritatem meliorum codicum, Versionum et Patrum. Vid. D. Io. Iac Griesbachii *Comment. crit. in textum graecum* N. T. (Part. I.) ad h. l. Est autem is Ἰεχονίας, qui hic commemoratur, Ioakimi, filii Iosiae filius, adeoque Iosiae nepos, quem *Iosephus* (Archaeol. X, 8. s.) Ἰωάχιμον, Alexandrini Ἰεχονίαν, hebr. יְכָנְיָה dixerunt, 1 Chron. III, 15. 16. 2 Chron. XXXVI, 8. s. Sed 2 Reg. XXIV, 6. in Complut. pro Ἰεχόνίας legitur Ἰωαχὶν, et in cod. Vat. Ἰοαχίμ, cuiusmodi codice ipse Iosephus usus videtur. Vid. *Fischer* de vitiis Lexicor. N. T. p. 420. seqq. Michaelis quidem in *annotationibus in N. T.* theotisce scriptis Ioakimum in locum suum restituendum

endum esse existimat; atque hanc sententiam *Schulzius* etiam (Anmerkungen, Erinnerungen und Zweifel etc.) probat. Sed omnia redeunt ad computandi τὰς γενεὰς rationem, de qua infra ad v. 17. dicemus. Ἐπὶ τῆς μετοικεσίας B *βυλῶνος*) *Tempore transportationis* (populi Iudaici) *in Babyloniam.* Vox μετοικεσία apud profanos non reperitur. Interim rei designandae idonea et propria est; nam μετοικεῖν Graecis dicitur is, qui in terra peregrina, patria pulsus, vivit. Unde μετοικεσία τοῦ λ ὁ est translatio populi Iudaici ex patria in Babyloniam, quam Hebraei captivitatem appellare solent. Sic ὁδὸς αἰγύπτου, via in Aegyptum Ier. II, 18. ἐπὶ sub, circa, hebr. עַל. Ceterum auctor genealogiae tempus migrationis haud inepte finivit. Nam ipse *Iosias* vix prohibitus fuit a migratione, singulari beneficio, 2 Reg. XXII, 16 – 20. *Iechonias* autem, nepos Iosiae, mox etiam *filius Iosiae*, in cuius locum Iechonias suffectus fuit, alter denique filius, Iechoniae successor in exilium proficisci debuerunt. 2 Reg. XXIV, 6—16. XXIII, 34. XXIV, 1 – 4. 2 Chron. XXXVI, 1. 6—8. 1 Chronic. III, 15. 2 Reg. XXIV, 17. seqq. XXV.

12. Μετὰ — Ζοροβάβελ) Zorobabel, cuius hic fit mentio, fuit is, qui commemoratur 1 Esdr. III, 2. V, 2. Hagg. I, 1. forsan diversus ab eo, cuius fit mentio 1 Chron. III, 17. 29.

13. De maioribus Iesu, qui hoc et sequentibus commatibus commemorantur, in libris V. T. nihil legimus.

16. Τὸν ἄνδρα) Maritum atque uxorem etiam ex sponsalibus dici, non Hebraeorum tantum, sed et aliarum gentium institutis convenit. Quum igitur in genealogiis udaeorum non sponsi et sponsae, sed mariti et uxores recenseantur, et Iosephus v. 24. Mariam duxisse, diserte dicatur, sine dubio ἀνὴρ h. l. maritum significat. ἐγεννήθη)

γεννᾷν Graecis et de patre et de matre dicitur. Quod in versionibus nonnullis legitur: *Ioseph, cui desponsata erat virgo Maria. Virgo autem Maria genuit (peperit) Iesum*, nil nisi paraphrasis est textus recepti et genuini. *Griesb.* l. c.

17. Πᾶσαι οὖν — δεκατέσσαρες) Γενεαὶ h. l. sunt *stirpes*, ipsae γενέσεις, Hebraeorum תולדות, i. e. series hominum, qui ita sibi successerunt, ut secundus ex primo, tertius ex secundo, quartus e tertio etc. natus sit. *Iosephus* Antiquitt. L. VII. c. 6. ἐπὶ τέσσαρας γενεὰς *in quartam usque stirpem.* Dionysius Halicarn. tot γενεὰς numerat, quod erant successiones regum. Genealogia haec universa divisa est in *tres* partes, quarum unaquaeque complectitur XIV. *tessaradecadas.* Caussas huius partitionis varias afferunt docti. Mihi Gussetii placet sententia, (contra *Chissuk Emuna* p. 328.) qui auctorem Genealogiae memoriae soli consulere hoc modo voluisse, atque inde legitimam quoque omissionum nonnullarum, subinde ibi ad veterum exemplum factarum, rationem reddi posse censet. Orientalibus in more positum esse, ut variis subsidiis ad genealogias menti imprimendas utantur, *Michaelis* etiam ad h. l. notat. Sed difficilis interpretibus visa est quaestio, quomodo illis tesseradecadibus sua ratio constet. Equidem cum Gottfr. Oleario (in observatt. sacr. p. 30) existimaverim, computationem earum, non tam implicatam esse, quam eam nimia sua diligentia fecerunt eruditi. Si verbis Matthaei presse insistimus, et, (quod ex legibus criticis omnino fieri debet) τὸν Ἰαχείμ v. 6. omittimus, *primam* classem ducit Abrahamus, claudit *Davides*: *secundam* classem ducit *Davides*, (v. 6.) claudit μετοικεσία, seu *Iosias* (v. 10.), qui attigit μετοικεσιάν

Ba-

Βαβυλῶνος: *tertiam* classem iterum ducit *Iosias* (v. 11.) claudit *Iosephus* (v. 16.) Omnes igitur difficultates evanescere videntur, si Davides et Iosias, quorum uterque suam tesseradecada claudit, simulque novam incipit, bis numerantur. Nec obstat, quod genealogia ex hac computandi ratione desinat in *Iosepho*, quum tamen nomen Christi etiam in genealogia v. 16. 17. appellatum sit. Vere enim Iesus e genealogia eximitur, et *Iosepho*, tanquam extrema stirpe terminatur numerus γενεῶν, βίβλε γενέσεως, cuique classi assignatus; unde etiam formula: *hic vero genuit sequentem*, in eodem Iosepho usurpari desinit, v. 16. quia Iosephus non genuit Iesum. Haec consideratissima mutatio in extrema genealogia (v. 16.) clarissime ostendit, Iesum ceteris γενεαῖς, quarum XIV. singulis genealogiae partibus continentur, discerni, eiusque nomen e genealogia exemtum esse. Cf. STORRII dissert. exeget. *in libror. N. T. historicor. aliquot loca.* Tub. 1790.

Quaeritur denique, quomodo Matthaeus conciliandus sit cum Luca, qui plane aliam genealogiam Iesu exhibere videtur? Difficultates non quidem plane tolluntur, minuuntur tamen, si, quod verisimile est, statuamus, eam, quam *Matthaeus* habet genealogiam, esse Iosephi, quam *Lucas*, *Mariae*. A Matthaeo recenseri genealogiam Iosephi, a *Salomone* ducentis genus, patet ex comm. 16. coll. 6. 7. Mariam vero genus duxisse ab alio filio Davidis, *Nathane*, (cuius nomen extat etiam 1 Chron. III, 5.) discimus ex Luc. III, 31. Matthaeus Iosephi genealogiam recensere voluit, qui scripsit Evangelium suum in gratiam udaeorum, paucis annis post ascensionem Domini Cum nempe multi Iosephum Iesu genitorem putarent: constare debuit illis de ortu Iosephi ex Davide. Accedit, quod Canones Hebraeo-

rum

rum non solent in generationibus ordinem mulierum texere. Est tamen nonnisi secundaria Iosephi apud Matthaeum genealogia, ad tempus adhibita, dum omnibus innotesceret, Iesum esse Mariae, non etiam Iosephi (nisi per adoptionem) filium. Primaria Mariae, apud Lucam, est genealogia. Et optimo quidem iure Maria genealogiam ingreditur, quia, quicquid ex humana, Davidica stirpe traxit Iesus, id totum ex matre traxit. Cf. *Velthusenii* libellum egregie scriptum: *Sophienruhe oder die Landpfarre*, etc. Hamb. et Kil. 1783, 8. *Ueber die Stammtafel unsers Herrn*, in den *Beytraegen zur Befoerderung des vernünftigen Denkens in der Religion, Heft* 7. D. *Paulus* Comment. p. 263. Multos alios recensuit Wolfius in *curis*. Cf. Scholia ad Luc. III, 23. f. Ceterum non est mirum, si qua hic occurant impedita, quum nobis, tam longe ab illa aetate remotis, plena et sufficiens rituum et methodorum genealogicarum notitia non suppetat. Dignum est notatu, vivo Salvatore nostro, nihil unquam contra originem eius ex stirpe Davidis allatum fuisse ab adversariis Iudaeis, in reliquis alias satis ad disputandum proclivibus, quamvis eum Davidis filium vocari frequenter audirent; (Matth. IX, 27. XV, 22. et aliis locis;) nec postea Apostolis, Christi genus ad Davidem referentibus (Rom. I, 3. 2 Tim. II, 8.) aliquid oppositum fuisse. Quod argumento est, nihil ipsis in promptu fuisse, quod huc facere posse videretur. Codices nonnulli latini addunt: *Genealogia hucusque. Incipit Evangelium secundum Matthaeum.* In alio cod. lat. incipit Evangelium a comm. 18, genealogia autem avulsa ab eo est, et cum variis prologis Evangelio praemittitur.

18. Τοῦ δὲ Ἰησοῦ Χριστοῦ ἡ γέννησις οὕτως ἦν) *Iesu Christi autem nativitas sic erat.* Plures critici defende-

runt,

runt, Matthaeum scripsisse Χριστῷ absque Ἰησοῦ, confisi potissimum Irenaei diserto testimonio, et omnium latinorum sive codicum sive Patrum unanimi consensu, quorum sententiam *Griesbachius* ad h. l. refutat. E graecis codicibus solus Cantabrigiensis omittit nomen Ἰησοῦ. Pro γένεσις (a γεννᾶσθαι) alii legunt γένεσις (a γίνεσθαι) et inter utrumque vocabulum hoc discriminis esse volunt, quod illud *nativitatis* seu *generationis*, hoc generaliorem *originis* significationem habeat. Sed nimis subtile hoc esse videtur, quum centies vocabula γεννᾶσθαι et γίνεσθαι etiam in aliis scriptoribus confundantur. Γέννησιν h. l. per *nativitatem* vertunt *Erasmus*, *Beza*, aliique, praeeunte etiam, ad quod *Casaubonus* provocat, Glossario vetere, in quo γέννησις per *procreationem* et *nativitatem* convertitur. Alii *generationis* notionem praeferunt, ob comma 20. *Griesbachius* γένεσις praefert τῷ γέννησις, quod vix credibile sit pro notissimo γέννησις scriptum fuisse γένεσις, γέννησις autem ortum esse videatur vel e vicinitate verbi cognati ἐγεννήθη v. 16 vel e nimio nonnullorum studio, genethliacorum seu astrologorum, qui de γένεσει multa blaterabant, superstitiosas nugas praecidendi. Μνηστευθείσης γὰρ — πνεύματος ἁγίου *Quum nempe mater eius Maria desponsata esset Iosepho, accidit, ut, antequam convenirent,* (i. e. antequam is eam domum duxisset,) *gravida facta esset per vim divinam.* Γὰρ h. l. explanandi significationem habet; *nempe, scilicet, nimirum.* Solent Graeci narrationem alicuius rei exordiri, particula γὰρ addita. Exempla habet *Krebsius* ex Iosepho. Μνηστευθείσης — Μαρίας, est casus absolutus Hebraeorum: *quod attinet ad* etc. pro μνηστευθείσα Μαρία ἀνήρ. Similes constructiones sunt ap. LXX. e.g. 1 Sam. IX, 11. Gen. XLIV, 4. Συνελθεῖν, *convenire* cf. v. 20.

An-

Antequam Iosephus ipsam solenni nuptiarum ritu domum deduxisset consortemque tori fecisset. Utrumque enim, ubi de matrimonio sermo est, ex natura rei intelligitur. 1 Cor. VII, 5. Non videtur perpetuum fuisse, ut a sponsalium die sponsa in sponsi domum transiret Deut. XX, 7. Εὑρέθη ἐν γαστρὶ ἔχουσα, sc. ἔμβρυον, foetum; i. e. *gravida erat.* Εὑρεθῆναι idem est ac εἶναι, e. g. Luc. XVII, 18. 1 Pet. II, 22. Cur verba ἐκ πνεύματος ἁγίου vertenda putaverim: *per vim divinam*, infra ad v. 20. docebo.

19. Ἰωσὴφ — ἀπολῦσαι αὐτὴν) *Iosephus autem, sponsus eius, quum esset aequus (mitis) et nollet eam diffamare, voluit eam clam dimittere.* Ἀνὴρ hic non notione *mariti* propria, sed *sponsi* sumitur. Δίκαιος, non tantum *viri iusti*, sed saepe etiam *pii, aequi, mitis, boni* significationem habet. Sic צַדִּיק et חָסִיד Ps. CXLV, 17. synonymice permutantur, et Gen. XIX, 19. Exod. XV, 13. LXX. Interp. hebr. חֶסֶד vertunt δικαιοσύνη. Volebat Iosephus Mariam repudiare, quam ex alio viro gravidam esse suspicabatur: sed ab omnibus, quae famae et existimationi eius nocere poterant, consulto abstinuit. Παραδειγματίζειν proprie est, *exempli loco aliquid vel aliquem proponere*, deinde etiam notat: *publicae alicui ignominiae exponere, puniendo infamare et exemplo aliis facere, ludibrio exponere* Vid. *Schleusneri* Lexicon N. T. sub hac voce. Alii legunt δειγματίσαι. Sed illud praeferendum videtur, quanquam nec hoc per veterum auctoritatem praesidio destitutum sit. Vid. *Griesbachii* Commentar. crit. ad h. l. Λάθρα ἀπολῦσαι, *clam repudiare*, i. e. non adiecta repudii causa. Postquam nempe Iosephus consilium cepisset Mariam dimittendi, non poterat id quidem facere nisi libello repudii scripto, testi-

bus

bus adhibitis, et iisdem, quibus sponsalia contracta erant, solemnibus servatis: at in ipsius erat arbitrio, utrum vellet caussas, quae ipsum, ut ita ageret, permoverant, exponere an tacere, ut patet ex locis Rabbinorum a *Wetstenio* laudatis. Omnibus igitur rite perpensis, statuit Iosephus Mariam *clam* repudiare, i. e. non adiecta repudii caussa,

20. Ἐνθυμηθέντος) i. e. ἐννοήσαντος, quum apud se constituisset, servata aoristi significatione. Ἰδὲ) Hebraeis הִנֵּה, qua particula singulis paene versibus utuntur. Interdum tamen haec ipsius vis est, ut lectorem praeparet ad aliquid insigne et mirificum audiendum. Apud Profanos etiam τὸ *ecce* repentinum quid et improvisum denotat. Virgil. Aen. II, 270. „*In somnis ecce* ante oculos moestissimus Hector visus adesse mihi.“ ἄγγελος — ἐφάνη αὐτῷ) Visa quaedam dormientibus a Deo obiici, constanter ac omnibus creditum est. *Homer.* Iliad, α. 63. καὶ γὰρ τ' ὄναρ ἐκ Διός ἐστιν. *Aristotelis*, *Isocratis* et *Suetonii* loca Wetstenius ad h. l. laudat. Ceterum quod Iosephum et Mariam attinet, inciderat hic dignus vindice nodus, qui expediri non poterat aliter, nisi si Deus ἀπὸ μηχανῆς interesset. Consilium enim quod Iosephus ceperat, erat illud quidem prudentissimum; at vero si id executus fuisset, omnium contumeliis exposita fuisset innocens et sancta virgo. Ne igitur iniuria fieret virgini, Deus providentia sua effecit, ut consilium suum mutaret Iosephus. Dicitur autem *angelus Iehovae* ei apparuisse. Ubi notandum, angelorum nomine in sacris litteris haud raro venire omne id, quo Deus utitur ad voluntatem suam exsequendam, sive sit naturale sive praeternaturale, dummodo ex improviso ita evenerit. Sic pestem (2 Sam. XXIV, 15. seqq. Ps. LXXVIII,

LXXVIII, 49. coll. Exod. XII, 12. 13.) et morbos (Act. XII, 23.) angelus Iehovae immisisse dicitur. Sic etiam venti et fulgura nominantur angeli Domini. Ps. CIV, 4. Inprimis vero omnes eventus improvisi, quibus pii atque Deo cari homines iuvantur, tribuuntur angelis, ut 2 Reg. XIX, 35. Ps. XXXIV, 8. XCI, 11. 12. Quum igitur *angelus* Iosepho per quietem apparuisse dicitur, hoc significatur, non sine providentia divina singulari factum esse, ut is per somnium ad mutandum consilium de deserenda virgine commoveretur. Qualis autem fuerit species vel figura oblata Iosepho per quietem, an humana, an vero alia, id quidem tacente historia nemo facile definire ausit. *υἱὸς Δαβίδ*) Non sine caussa Iosepho in somnis in memoriam revocatur nobilitas stirpis, ex qua ipse erat oriundus, ex qua Messiam oriturum esse, omnibus Iudaeis erat notum, et ex qua Mariam ortam esse sciebat. Hac ipsa allocutione animus Iosephi in spem magnarum rerum erigebatur. Υἱὸς pro *υἱὲ* hic, ut saepius ponitur. Μὴ *φοβηθῇς — γυναῖκά σου*). *Ne dubites in d mum deducere Mariam, sponsam tuam.* Παραλαμβάνειν *feminam sibi adiungere. in domum illam deducere;* opponitur ergo voci *ἀπολῦσαι*, et faciendum ipsius societatis coniugalis initium innuit. Maria, sponsa Iosephi hic dicitur *γυνή*, *uxor*, e more udaeorum, apud quos sponsa eodem cum uxoribus loco habebatur. Sic Gen. XXIX, 21. *da mihi uxorem meam*, i. e. sponsam mihi pactam. Τὸ *γὰρ ἐν αὐτῇ γεννηθὲν*) Vulgaris loquendi modus de foetu nondum in lucem edito, quia ignoratur utrum sit mas, an foemina. Ceterum verte, Aoristo per praesens expresso: *quod in illa gignitur.* Γεννάειν, *gignere*, mulieribus tribuitur, dum foetum concipiunt, et in utero ad maturitatem usque enutriunt. *ἐκ πνεύματός ἐστιν ἁγίου*) *Hoc totum debetur*

betur omnipotentiae divinae. Deus pro sua omnipotentia progenuit hunc foetum. Nam πνεῦμα ἅγιον, πνεῦμα θεοῦ, רוח יהוה, in sacris litteris V. et N. T. haud raro indicat *vim potestatemque divinam*, e. g. Matth. XII, 28. coll. Luc. XI, 20. et Spiritus Iehovae super aliquem venire dicitur, quando vis divina in eo operatur. Huius usus loquendi habemus multa exempla in libro Iudicum et Actis Apostolorum. Potuisse autem Deum efficere, ut virgo δίχα κοινωνίας ἀνδρὸς conciperet nemo facile negaverit, qui credit primum hominem sine patre et matre natum, omnesque mortuos in vitam redituros esse. De *Celsi* et Iudaeorum calumniis vix est cur dicamus. Legat qui vult, ORIG. *contra Celsum* Lib. I. p. 25. sqq. edit. Spenceri, ספר תולדות ישו in Io. CHRISTOPHORI WAGENSEILII libro cui titulus: *Tela ignea Satanae, h. e. arcani et horribiles Iudaeorum adversus Christum Deum et christianam religionem Libri* ἀνέκδοτοι etc. Altdorfii MDCLXXXI. 4. Nostra aetate non tantum adversarii religionis christianae, sed Theologi etiam contra disputarunt. Vid. *Anonymi Versuch eines schriftmaefsigen Beweises, dafs Ioseph der wahre Vater Christi sey.* Berol. 1792. Cui *Euchar. Ferdin. Christianus Oertel* opposuit commentatiunculam sub titulo: *Antijosephismus.* Novas explicationes tentavit: *Anonymus in den Beytraegen* zur Beförderung des vernünftigen Denkens in der Religion. Heft 16. Conf. *Wetstenius* ad h. l. Alii mythum philosophicum admiserunt; de quibus conferri potest *Kuinoel*, Commentar. p. 28. s. cum Scriptoribus ibi laudatis. Miraculi veritatem ac dignitatem defendit *D. Georg Fried Seiler*, in libro: *Ueber die goettlichen Offenbarungen*, Tom. II. p. 73. sqq.

21. Τέξεται δὲ υἱὸν) *Filium* pariet, non *filiam* Quod quum ita evenisset, indicio erat, somnium hoc Iosepho divinitus fuisse immissum. Καὶ καλέσεις τὸ ὄνομα αὐτῷ Ἰησοῦν) Phrasis καλεῖν ὄνομά τινος, pro καλεῖν τινα, saepe obvia est in N. T., ut Luc. I, 13. 31. II, 21. aliisque locis. Nomen Ἰησοῦς factum est ex hebraico nomine יְהוֹשֻׁעַ, *Iosua*, et significat *eum, per quem Deus dat salutem* sive *Salutiferum*. Primus, qui hoc nomen accepit, fuit Mosis minister, Iosua. Quum is autem הוֹשֵׁעַ, *Hoseas, (iuvat, salutem dat)* vocatus esset, Moses nomen eius mutavit in יְהוֹשֻׁעַ, *Iehova iuvat* seu *salutem dat*, Num. XIII, 16. Compositum est hoc nomen ex verbo חושיע, *servavit, salutem dedit*, et nomine יהוה. In Hagiographis autem scribitur contracte ישוע, quod *Graeci interpretes, Siracides, Iosephus et Philo* vertunt Ἰησοῦν. Significat itaque Ἰησοῦς servatorem, eum, per quem Deus salutem confert, et est apud Iudaeos nomen proprium, perquam usitatum, ut Act. VII, 45, Coloss. IV, 11. Hebr. IV, 8. Sed in Iesu nostro nomen erat ominosum; quia est *Servator* hominum. Quare statim additur: αὐτὸς γὰρ σώσει — — ἁμαρτιῶν αὐτῶν. Sensus est: *Ipse enim populum suum a peccatis eius liberabit et felicem reddet.* Per λαὸν αὐτοῦ Iosephus non alium populum intelligere potuit quam nationem Iudaicam. Eo enim tempore nec angelorum nec hominum cuiquam innotuerat beneficium Christi aeque ad gentes et ad Iudaeos spectare. Σώζειν dicitur is, *qui non tantum servat et liberat, sed etiam salutem dat.* Hinc factum est, ut Graecae ecclesiae doctores Iesum σωτῆρα appellarent, cuius nominis vis, monente Cicerone, uno verbo latino exprimi non potest, ut bene observavit *Heumannus* in Bib-

Biblioth. Theol. Brem. Class. IV, p. 296. Ἀπὸ τῶν ἁμαρτιῶν αὐτῶν) Pro αὐτῶν nonnulli codices habent αὐτῆ, quia refertur ad τὸν λαὸν. Sed huiusmodi enallage numeri non est infrequens, quando nomen collectivum praecedit. Ἁμαρτίαν saepe non tantum esse peccatum, sed etiam *poenam peccati*, patet ex 1 Petr. II, 24. Io. IX, 41. XV, 22. 24. et aliis locis. Iosephus autem, quum audiret poenas populi Iudaici, sine dubio cum ceteris illius aetatis Iudaeis cogitavit de miseria, quam populus tum experiebatur sub imperio Herodis et Romanorum. Igitur credibile est, hanc divini nuncii vocem ita intellectam esse a Iosepho, quod filius promissus, populum, emendatis eius moribus, ab illa miseria sit liberaturus, eumque felicem redditurus. Peracto Christi opere in his terris, patuit demum, σωτηρίαν, quam non tantum populo Iudaico sed universo generi humano offert, esse remissionem peccatorum, emendationem vitae, tranquillitatem animi, spem vitae aeternae, et ipsam felicitatem aeternam.

22. 23. Τοῦτο δὲ ὅλον — μεθ' ἡμῶν ὁ Θεός) *Haec tota res autem contigit, ut perficeretur dictum a Domino per Prophetam dicentem: Ecce virgo concipiet, et pariet filium* etc. Ies. VII, 14. Haec non angeli, sed Evangelistae Matthaei esse verba, res ipsa docet. Angelus enim locutus erat de rebus futuris, quae nondum contigerant, nec dicere poterat: τοῦτο γέγονεν. Sed Matthaeo, quippe rem iam gestam narranti, haec verba probe conveniunt. PAULUS in Commentar. p. 72. verba somniantis Iosephi esse putat. Τοῦτο ὅλον, *omne hoc*, quod hactenus de nativitate Iesu, eiusque memorabilibus circumstantiis narravi, hoc igitur non fortuito, sed providentia divina ita dirigente *contigit*, *ut nempe perficeretur* (iterumque, simili modo eveniret) *quod dictum erat a Iehova per*

per Prophetam, etc. De phraseos ἵνα πληρωθῇ notione bene, ut mihi videtur, observavit Iac. Gussetius (vid. *Wolfii* curas ad Matth. II, 15.) Scripturas dici *impleri* quatuor modis: primum, quum id fit ad literam, quod Propheta aliquis praedixit esse futurum; deinde quum id fit, non de quo scriptura loquitur in sensu literali, sed id quod praeter illud fuit significatum; tum, quum nec id fit de quo scriptura loquitur, nec aliquid aliud, quod per id significatum fuerit, sed quod illi est simile; denique quum id, quod scriptum est, factum quidem fuerat antea, sed magis magisque fit in posterum. Duobus modis posterioribus hanc phrasin a Matthaeo plerumque usurpari, hoc nullo modo negari potest ab eo, qui contulerit c. II, 15. 17. 23. Non igitur reperio idoneam caussam, cur Matthaeus in citando Iesaiae loco aliam notionem phraseos ἵνα πληρωθῇ in animo habuisse censendus sit. Hunc huius phraseos usum alia etiam N. T. loca comprobant, e. c. Matth. XV, 7. Luc. IV, 21 Iac. II, 23. Nam oracula in his locis citata alio tempore impleta dicuntur, quum rei alibi narratae similis alia contigit. Hunc morem alii etiam scriptores imitati sunt, veluti, quum Angelus S. *Ephremo:* Cave, inquit, ne in te *impleatur*, quod scriptum est: *Ephraim ut vitula* etc. Ose. X, 11. (ap. *Assemannum* Bibl. Orient. T. I, 1. 36.) Pleni sunt etiam omnes Philosophorum Rhetorumque libri versibus Homericis ad aliam significationem translatis. Sed age, iam ipsum Iesaiae locum c. VII, 14. paucis considerabimus. Nimirum Rex Iudaeae, Achasus perterritus Syrorum et Israelitarum in se conspiratione, nullam temporibus istis difficillimis spem salutis animo concipiebat, nisi se in fidem et clientelam Regis Assyrii, tum temporis potentissimi, darent. Contra Iesaias hortabatur ipsum, ut omissis eiusmodi consiliis, spem

suam

suam in Deo collocaret, affirmans, irritos fore conatus Regum Syriae atque Israelis, regnumque Hierosolymorum mansurum penes Davidis posteros. Quibus pollicitationibus quum fidem Achasus non adhiberet, Iesaias divino iussu dat illi optionem signi alicuius a Deo expetendi, cuius signi testimonio fides verbis fieret. Sed quum Achasus verbis honestis, animo autem impio hoc ipsum recusaret, Iesaias post seriam impietatis obiurgationem, ait, Deum tamen sponte sua brevi id effecturum, quod tum minime speraretur, quodque velut arrhabonis esset loco ad obsignandas promissiones ceteras. Quale autem hoc signum esset, his verbis indicat: ἰδοὺ ἡ παρθένος — ἐμμανουήλ. Ἡ παρθένος, cum articulo, hebr. הָעַלְמָה, cum הַ demonstrativo. Videtur Propheta designasse virginem, tum forte praesentem; sive nupta, sive innupta, sive Iesaiae recens desponsata uxor, sive alia fuerit, nihil refert. Hoc saltim res ipsa et universa orationis series docet, de re post 700 annos eventura, non esse sermonem; haec enim Achaso arrhabonis loco ad obsignandas promissiones ei datas, non esse potuisset. De phraseos ἐν γαστρὶ ἕξει notione, vide supra ad v. 18. Καὶ τέξεται υἱὸν, non filiam, sed *filium* pariet. Hoc Iesaias sine admonitu divino scire haud poterat. Pro verbis: καὶ καλέσατε τὸ ὄνομα αὐτοῦ ἐμμανουήλ, in hebraico textu legitur: וְקָרָאת שְׁמוֹ עִמָּנוּאֵל *et tu vocabis* etc. Quapropter nonnulli in textu Matthaei pro καλέσατε legendum esse putant καλέσεις, quam lectionem etiam codices nonnulli exhibent. Sed nihil mutandum contra plurimorum optimorumque codicum fidem. Καλέσατε, impersonaliter esse sumendum, vix est quod moneamus. Verti potest *nominare poterunt; nominari poterit.* Videtur Matthaeus consultu scripsisse καλέσετε pro καλέσεις, ne incautus lector in eam incideret cogitationem,

nem, puerum e Maria virgine nasciturum, potius Emmanuel quam Ἰησοῦς fuisse appellandum. Denique Matthaeus nomen ἐμμανουήλ interpretatur μεθ' ἡμῶν ὁ θεὸς, *Deus nobis auxilium, salutem praestabit.* Qualis autem futura esset illa salus, quam Deus daturus esset, Propheta v. 15. seqq. docet. Clarum est igitur, prophetam promittere signum brevi extiturum, ex quo Achas brevi futuram liberationem ab hostibus sibi tum imminentibus deberet cognoscere. Indigitavit itaque virginem quandam praesentem omnibusque notam, et praedixit, eam brevi tempore post ex iusto matrimonio parituram esse filium, appellandum עמנואל in signum futurae liberationis, addita promissione, antequam puer ex ista virgine nasciturus ad discretionis annos pervenerit, regionem istorum regum, propter quos aegre erat Achaso, fore desertam. Isti vero rei, quae tempore Achasi contigerat, ea res, quam hic narrat Matthaeus, tam similis fuit, ut similitudo vix cogitari possit maior. Tempora Achasi fuerunt calamitosa; fuerunt etiam tempora, quibus contigit id, quod Matthaeus refert; ibi mittitur Propheta, hic mittitur angelus; ibi promittitur liberatio ab hostibus brevi futura, hic liberatio a multo maiore calamitate et miseria; ibi in signum liberationis promittitur puer brevi tempore ex virgine nasciturus, et appellandus עמנואל, *(Deus nobis auxilium praestabit.)* hic itidem promittitur puer ex virgine nasciturus, appellandus Ἰησοῦς, יהושע, *Iehova iuvat*, seu salutem dat. Quod igitur Iesaiae tempore modo quodam imperfecto impletum est, id perfectum suum implementum habuit in Messia. Scilicet Iudaei antiqui, probe considerantes, libros sacros, inprimis propheticos V. T. non ab hominibus vulgaribus, sed spiritu divino actis esse scriptos, in ea erant sententia: Quicquid magnum, eximium, mirabile de certis quibusdam hominibus in

V.

V. T. dictum esset, id multo magis et sensu maxime proprio valere de Messia, quod clarissime ex CHRISTIANI SCHOETTGENII *libro de Messia* Tom. II. Hor. Hebr. cognosci potest. Matthaeus igitur loco Iesaiae non utitur ut vaticinio proprie sic dicto; non tamen verba Prophetae citat quasi ornatus poëtici, vel accommodationis caussa, sed propter veram et magnam similitudinem rerum tempore Achasi et tempore suo gestarum; et poterat sane hic narrandi modus iis, quibus hoc Evangelium proxime destinatum erat, multam cogitandi sperandique praebere materiam. Vid. PAULUS, Commentar. p. 72. sqq. Non tantum hunc Matthaei locum, sed etiam reliquam huius capitis partem bene, non tantum quoad sensum, sed etiam accommodate ad usum practicum illustravit RUDOLPHUS MAURER, in dissert. *über die Menschwerdung unsers Herrn*, in den Beytraegen zur Befoerderung des vern. Denkens in d. Relig. Heft X. XI. Cf. etiam quae SCHULZIUS, Theologus olim Giessensis, adversus MICHAELEM acutissime ad hunc locum disputavit. De *vaticiniis* in universum, nominatim de *vaticiniis Messianis* legi possunt: *Io. Tobler* in libro: *Gedanken und Antworten zur Ehre Iesu Christi und seines Reichs*, p. 183. seqq. HERDER *in den Briefen das Studium der Theologie betreffend*, epist. 17. *seqq.* HESSE *Versuch vom Reiche Gottes*, *Sect.* IX. Io. GODOFR. EICHHORN *Einleitung ins alte Testament*, Tom. III. p. 1. *seqq.* Adde HUFNAGELII dissertat. de Psalmis Prophetias Messianas continentibus, SEILERI Progr. de Vaticiniorum — iusta interpretandi ratione, D. IAC. CHRISTOPH. RUDOLPH. ECKERMANN theologische Beytraege etc.

25. ἐκ ἐγίνωσκεν αὐτήν) sc. tori consuetudine ut Gen. IV, 1. Iud. XI, 39. hebr. יָדַע quomodo etiam Graeci et Latini loquuntur. ἕως ἃ ἔτεκε τὸν υἱὸν αὐτῆς τὸν πρωτότοκον) *Helvidius* olim, quem recentiorum nonnulli secuti sunt, hoc praecipue loco adversus perpetuam Mariae virginitatem abusus est. Quamvis autem opinio, Mariam, post Christum ex se natum, plures liberos suscepisse, nihil habeat periculi, ex his tamen verbis firmari haud potest. Nam ἕως sicut hebr. עַד interdum etiam futurum tempus includit Gen. XXVIII, 15. 2 Sam. VI, 23. 1 Tim. IV, 13. Et primogenitus est, ante quem alius non est natus, sive deinde alii secuti fuerint sive non. *Pollux* Onomast 2. 2. Βρέφος — πρωτότοκον, πρωτόγονον. etc.

CAP. II.

1. Τοῦ δὲ Ἰησοῦ — εἰς Ἱεροσόλυμα) Verba τοῦ Ἰησοῦ γεννηθέντος verti possunt: *Iesu paullo ante nato*, seu non multo post Iesu nativitatem. Tempus non accurate definitur. Contigit tamen id, quod de Magis narratur, superstite adhuc Herode, qui Magnus dicebatur; nam statim sequitur: ἐν ἡμέραις Ἡρῴδου τοῦ βασιλέως. Ceterum vox ἡμέρα, et in plur. ἡμέραι in N. T. saepissime usurpatur, ubi iuxta vulgarem Graecismum poneretur χρόνος, aut καιρός. Sapit igitur haec phrasis Hebraismum. Βηθλεὲμ, oppidum ignobile, quod sex milliaria aberat Hierosolymis, austrum versus. Cf. infra v. 6. Τῆς Ἰουδαίας) *Hieronymus* rationibus ductus valde infirmis, legendum esse censuit *Iudae*, repugnantibus codicibus non solum graecis omnibus, sed etiam latinis vetustissimis. Nec est, cur Graecorum lectionem in dubium vocemus. Bethleem enim in eo tractu omnino sita fuit, qui Iudaeae nomine a Samaria, Gali-

Galilaea et aliis Palaestinae regionibus distinguebatur. Haud raro tamen latius de omni Palaestina usurpatur. Ps. LXXVI, 2. 2 Chron. IX, 11. Caeterum hoc additur, quia eiusdem nominis locus situs erat in Galilaea inferiori, non procul a mari Galilaeo. Ios. XIX, 15. De nomine urbis Hierosolyma vid. infra v. 3. Μάγος THOM. HYDE *in historia religionis veterum Persarum* derivat a Persico vocabulo *Mogh*, quod significat *sacerdotem, antistitem religionis*. Ex hoc Chaldaei fecerunt מג, Graeci Μάγος. Iam Ierem. XXXIX, 3. 13. commemoratur רב־מג, *Praefectus Magorum*. Veteres de Magis tradunt, eos frequenter peregrinationes instituisse, et contemplationi astrorum, vel potius astrologiae operam dedisse. *Apuleius* in Apologia: Persarum lingua Magus est, qui nostra sacerdos. *Hesychius*: μάγον τὸν θεοσεβῆ καὶ θεόλογον καὶ ἱερέα ὅι Πέρσαι λέγεσι. *Suidas* in Lexico: μάγοι παρὰ Πέρσας ἤτοι φιλόσοφοι καὶ φιλόθεοι. *Cic.* de divinit. I, 23. „In *Persis* augurantur et divinant Magi, qui congregantur in fano commentandi caussa et inter se colloquendi — nec quisquam rex Persarum potest esse, qui non ante magorum disciplinam scientiamque perceperit.“ Seneca epist. 58. *Magi, qui forte Athenis erant.* Vox ἀνατολῶν elliptice usurpatur, pro ἀνατολαὶ vel ἀνατολὴ ἡλίϱ, ut Ios. I, 4. 15. In plurali numero non esse emphasin patet ex eo, quod Matthaeus v. 2. substituit: ἐν τῇ ἀνατολῇ. Non tantum *ortum solis*, sed etiam *plagam*, *regionem orientalem* significat. Imprimis vero *Regnum Parthicum* Regnum Orientis vocari solet, ut patet ex locis Wetstenio laudatis. Sed Iudaea *Arabiam* etiam in primis *felicem* habet sitam orientem solem versus. Accedit, quod Hebraei omnes populos, qui inter Aegyptum atque Euphratem habitabant, orientales, atque ipsam regionem קדם appellarunt

runt. Gen. XVI, 12. XXV, 6. coll. v. 18. Iob. I, 3. Ierem, XLIX, 28. Non igitur contemnenda est eorum sententia, qui Magos ex Arabia advenisse existimant, quod etiam *Iustinus* M. statuit in disputatione cum Tryphone. In Arabia etiam et aliis in regionibus fuisse Magos C. *Adami* in obs. Th. Philol. ostendere conatus est. ἐις Ἱεροσόλυμα) Non putabant, regem illustrem in vico ignobili nasciturum, sed illum quaerendum esse in urbe regia, in ipso palatio, atque in familia, quae tum regnabat. Nam tota eorum ars erat coniecturalis. De tempore quo Magi advenerint, vid. infra ad v. 16. notanda.

2. Λέγοντες — προσκυνῆσαι αὐτῷ) *Quaerentes, ubinam regem Iudaeorum, recens natum, reperire possent? cuius quia sidus in Oriente vidissent, ideo se ipsum adorandum profectos, iam adesse.* Sic sensum bene expressit Henr. Godofr. Reichardus in vers. N. T. edit. Lips. 1799. Solent fere Hebraei historias, quae narrantur, inductis ipsis personis explicare: Latini contra plerumque obliquis narrationibus, quas vocant, utuntur, quo modo etiam *Castellio* totam hanc periodum convertit. Ceterum inesse in modo narrandi, quem scriptores N. T. usurparunt, necessarias ad narrandi consilium naturamque virtutes, easque omnes simplicitate scribendi, sine ornatu, teneri posse, eleganter docet b. *Morus, in Defensione narrationum N. T. quoad modum narrandi.* Βασιλεὺς τῶν Ἰουδαίων) Ἰουδαῖος hebraicum vocabulum est יְהוּדִי *a Iuda descendens*, a יְהוּדָה, Iuda, filio quarto Iacobi ex Lea. Nomen יְהוּדִי primum occurrit 2 Reg. XVI, 6. et quidem de solis subditis regni Iuda. Primitus omnes posteri Abrahami dicti sunt Israelitae, ab Israele, seu Iacobo, patriarcha, usque ad tempora Rehabea-

beami, quibus decem tribus ab eo defecerunt, et Ierobeamo adhaeserunt. Tum enim decem tribus appellatae sunt *domus Israel*, sed duae tribus, Iuda et Beniamin, *domus Iuda*. Post exilium Babylonicum omnes in Palaestinam reduces facti appellati sunt Iudaei, sive fuissent de tribu Iuda, sive etiam de alia quadam tribu. Tandem sic dicti sunt omnes e gente Israelitica orti et religioni Mosaicae addicti, etiam extra patriam viventes. Ex eo, quod Magi interrogant, ubi sit ὁ τεχθεὶς βασιλεὺς τῶν Ἰουδαίων; *Michaelis* concludit, eos fuisse Iudaeos. Sed recte monet *Schulzius*, eos, si fuissent Iudaei, potius dicturos fuisse: ubi est noster Rex? Plerique interpretes consentiunt, eos fuisse *Ethnicos*, Philosophos et Astrologos. Αὐτῆ τὸν ἀστέρα) *stellam, quae hunc regem portendebat.* Plurimos haec Matthaei narratio de stella Magis visa offendit, quod putarent, stellam istam fuisse quasi ducem itineris Magis, eosque antecedendo deduxisse Hierosolyma primum, deinde Bethlehemum; denique autem evanuisse. Quod secus esse, ex commatis 9. explicatione patebit. Interim ut hanc difficultatem, non Matthaei, sed interpretum culpa enatam tollerent interpretes, finxerunt, stellam illam fuisse miraculosam, vel coelestem illam lucem, quae ipsa nocte nativitatis Christi pastores Bethlehemiticos circumfulserat, vel aliud quoddam *Meteoron*, stellae similitudinem referens Sed *Cometam* fuisse, recte vidit *Origenes*, c. *Celsum* L. I. p. 45. edit. Spenc. de hac stella scribens: τῷ γένει τοιοῦτον γεγονέναι, ὁποῖοι κατὰ καιρὸν γινόμενοι κομῆται κ. τ. λ. Quod vel ex eo fit verosimile, quod Veteres, eodem monente *Origene* l. c. in ea fuerunt opinione, significari huiusmodi stellis insignes in terris mutationes, e. c. translationes regnorum, bella, et interdum etiam res bonas. Aelius Lampridius de Alexan-

Alexandro Severo: *Fertur pridie natalis eius tota die apud Arcem Caesaream stella primae magnitudinis visa.* *Iustinus* Lib. XXXVII. de Mithridate: *Quo genitus est anno, et eo quo regnare coepit, stella cometes per utrumque tempus septuaginta diebus ita luxit, ut coelum omne conflagrare videretur.* Quomodo Magi ex visa stella cognoverint, in *Iudaea* praecise, nec in alia terra magnum Regem esse natum, id omnino obscurum est. Facile tamen, sive Arabia sive Persia fuerit eorum patria, potuerunt ex Iudaeis discere, expectari ab iis Messiam, magnum Regem. Nam et in Arabia et in Persia multos fuisse Iudaeos, ex historia constat. In opinione hac, natum esse regem *Iudaeorum*, confirmare poterat eos *vetus et constans opinio, quae* (teste SUETONIO in Vespas.) *percrebuerat Oriente toto, esse in fatis, ut eo tempore Iudaea profecti rerum potirentur.* *Tacitus* Hist. V, 13. *Pluribus persuasio inerat, antiquis sacerdotum litteris contineri, eo ipso tempore fore ut valesceret Oriens, profectique Iudaea rerum potirentur.* Equidem hanc de Cometarum praesignificationibus opinionem fuisse superstitiosam, ultro largior. Sed singulari providentia ac bonitate Dei interdum fieri, ut errores ipsi occasio sint ad veritatem perveniendi, quis dubitet? Licet igitur certissime futilis, vana atque fallax fuerit ars Magorum, casu tamen aliquando in verum indicere potuit. Egregie Wetstenius: admirabilis (inquit) hinc elucet sapientia Dei, qui hominum erroribus et sceleribus usus Iosephum per scelus fratrum in Aegyptum deduxit, regem Babelis per haruspicia et sortes Iudaeis immisit, *Ezech.* XXI, 25—27. et Magos hic per Astrologiam ad Christum direxit. Lege, quae in hanc historiam scite observavit I. C. *Velthusen* in libro:

So-

Sophienruhe oder die Landpfarre etc. Hamb. et Kil. 1783. 8. Adde: *Io. Otto Thiefs: Ueber die Magier und ihren Stern* Hamb. 1790. 8. et PAULI Commentar. p. 111. seq. Verbum προσκυνεῖν significat *in genua procidere honoris exhibendi caussa, submisso poplite aliquem venerari*, et usurpatur tum de civili, tum de religioso cultu. Ritus erat inprimis Persicus et Orientalis. Herodot. I, 134. *Corn. Nepos* Conon. 3. *necesse est enim, si in conspectum veneris, venerari te Regem, quod προσκυνεῖν illi vocant.* Par igitur est, ubi de Rege agitur, existimare, Magos eo honore Iesum prosecutos fuisse, quo Regem suum solebant Ceterum verbum προσκυνεῖν apud bonos auctores cum accusativo personae construitur. Quod autem librorum N. T. scriptores dativo personae usi sunt, id vel fecerunt exemplo verbi השתחוה (Gen. XLIII, 26.) vel constructionis huius caussa atque origo e Macedonica Alexandrinaque dialecto ducenda est, quum Polybius quoque, et alii posteriorum temporum scriptores eadem verbi constructione usi reperiantur. Cf. *Fischeri* Proluss. p. 686.

3. Ἀκούσας δὲ — μετ' αὐτοῦ) *Matthaeus*, quod scriptoribus S. alias solemne est, unico verbo tanquam in transitu indolem et characterem morum Herodis accuratissime exprimit. Herodes, septuagenarius quidem et aegrotus, sed crescente inprimis aetate, suspicionibus indulgens, cogitabat de Messia, qui imperium in Iudaeam sibi destinatum, more aliorum principum vi occupaturus hostesque debellaturus esset. πᾶσα Ἱεροσόλυμα) Ἱεροσόλυμα, est plur. neut. Deest igitur vox ἡ πόλις. Sine aspirato scribi deberet; derivatur enim non ab ἱερόν Σαλομῶντος, sed a יְרוּשָׁלַם possessura est pacem, aut יִרְאוּ שָׁלֵם visuri sunt pacem; quod nomen urbs accepit ab eo tempore, quo Da-

David arce Zionis potitus est. 1 Chron. XI, 4. seq. Per metonym. *incolae urbis.* Hierosolymitanos perturbabat memoria motuum inter initia regni Herodis excitatorum: tum enim Parthi, duce Pacoro, regis filio, Hierosolymis et tota Iudaea occupatis, Antigonum regem constituerunt. Inde bellum, cui aegre finis impositus.

4. Καὶ συναγαγὼν πάντας τὲς ἀρχιερεῖς) Atqui unus tantum solebat esse Sacerdos summus. Itaque intelligendi sunt assessores Synedrii. Accedit, quod etiam vicarius Pontificis, et Pontifices exauctorati, et Pontifici sanguine proxime coniuncti, nec non praefecti et capita 24. classium et ordinum, in quos descripti leguntur sacerdotes Iudaeorum et ante et post exilium babylonicum, dicti שָׂרֵי הַכֹּהֲנִים 2 Chron. XXXVI, 14. Pontifices maximi seu summi sacerdotes nuncupantur. Γραμματεὺς proprie est *scriba* i. e. *talis, cuius officium hoc est, ut scribat, vel describat.* Verum haec vox graeca ad exemplum hebraeae vocis סוֹפֵר aliam etiam significationem accepit, ut γραμματεὺς sit *legis peritus*, vel universim *literatus, literarum peritus.* Sic Esras סוֹפֵר vocatur i. e. *divinae legis consultus et doctor.* Vid. Esr. VII, 6. 11. 12. Apud Iudaeos סוֹפְרִים educationi scholasticae, tractando calamo, atque scriptioni praecipue sese addixerunt; quales erant, Notarii publici in Synedriis, Registrarii in Synagogis, Amanuenses transscribendis Phylacteriis, legi, sententiolis postibus affigendis, contractuum libellis, aut divortii etc. operam navantes. Sine dubio quaevis secta habuit suos γραμματεῖς et νομικούς. Οἱ γραμματεῖς τὲ μέρες τῶν Φαρισαίων commemorantur Act. XXIII, 9. Ergo etiam Sadducaei habuerunt suos γραμματεῖς. Sed praeter hos fuerunt *Karaei*, textuales, nec Sad-

Sadducaeorum nec Pharisaeorum sectae addicti, sensum literalem Scripturae praeferentes mystico. Vid. notanda ad c. XXII, 34. Multi eorum Pontificibus adsidebant cum Senioribus. Matth. XXVI, 57. ἐπυνθάνετο — γεννᾶται) *Sciscitabatur ab iis, ubi Messias nasceretur.* De significatione vocis ὁ Χριστὸς vid. supra ad c. I, 1. Γεννᾶται non est praesens, sed futurum medium contractum, habetque futuri passivi vim.

3. οἱ δὲ εἶπον — Ἰσδαίας) Magno consensu Iudaei tradunt Messiam Bethlehemi nasciturum. Io. VII, 42. quod probant ex hoc Michae loco, V, 1. *Pirke R. Elieser* c. 3: „Unde vero probabis, nomen Messiae fuisse ante mundum conditum? ex Psalmo LXXII, 17. Et alia scriptura dicit: et tu Bethlehem Iuda an parva es inter Principes Iudae? et egressiones eius sunt ab initio h. e quum mundus nondum esset conditus" Nihil igitur refert, an Michas l. c. intellexerit Messiam sive minus. Sufficit Iudaeos locum sic interpretatos esse.

6. Καὶ σὺ — Ἰσραήλ) Recessit hic Matthaeus a verbis LXX. interpretum, quae Hebraica satis exprimunt, et quae alias sequi solet, libertate sua usus, et dummodo mentem verborum retineret, de minutiis parum sollicitus. Γῆ h. l. est *urbs;* LXX interpretes enim Hebr. עִיר saepe per γῆν reddiderunt, ut Ierem. XXXIV, 22. Idem fit Matth. XIV, 34. ubi γῆν γεννησαρὲτ de *urbe* Gennesareth dici, ex eo patet, quod eadem statim v. 35. τόπος appellatur. In textu hebraeo extat Bethlehem אפרתא, pro quo γῆ Ἰούδα hic ea de caussa positum esse videtur, ut distingueretur a Bethlehem Galilaeae; nam etiam in Galilaea, et quidem in tribu *Zebulon* huius nominis urbs fuit. Ios. XIX, 15. Proverbis: ὀλιγωστὸς ἐλαχίστη εἶ ἐν τοῖς ἡγεμόσιν Ἰούδα, textus

tus hebraeus habet: צעיר לחיות באלפי יהורה, Alexandrini: ὀλιγοστὸς εἶ τῷ εἶναι ἐν χιλιάσιν Ἰούδα. In locum ἐδαμῶς substitutum fuit μὴ in codice cantabrigiensi, ut istius vocabuli ambiguitate dissensus inter Prophetam et Evangelistam dissimularetur. Nam μὴ ἐλαχίστη εἶ intelligi poterat vel negative: *minima non es*, vel interrogative: *nonne* seu *nunquid minima* es? Codices versionum latinarum antehieronymianarum studiose servarunt ambiguitatem, reddendo *non*, quod interrogative etiam accipi potest, ut Matth. XII, 3. Textum Matthaei cum hebraico textu Michae diligentissime comparavit Io. Adrian. Bolten (*der Bericht des Matthaeus* von Iesu dem Messia) ad h. l. et explicare tentavit. Cf. Paulus, Commentar. p. 120. sqq. Falsam esse interpretationem, quae apud Matthaeum extat, concedit Michaelis, sed eandem a Iudaeis, quos Herodes interrogaverat, profectam esse addit. Alii varios conciliandi modos tentarunt. Quicquid sit, Bethlehem diverso respectu urbs *minima* et *non minima* vocari poterat. Bethlehem enim et vicus parvus atque ignobilis erat: et nativitate Messiae futurus erat clarissimus. Accedit, quod צעיר interdum significat *princeps, illustre* Zachar. XIII, 7. et in Arab. lingua. Simili fere modo conciliat R. *Salomo*. "Digna quidem eras, ut esses parva in familiis Iudae, propter vitium Ruthae Moabitidis, quod tibi adhaeret; verum ex te prodibit mihi Messias filius David etc." Apud Micham אַלְפֵי יְהוּדָה sunt *familiae Iudae*. Nam vox hebraea אֶלֶף significat χιλιάδα, partem tribus, i. e. *familiam*, ut apparet Iud. VI, 15. certo numero posito pro incerto. In textu Matthaei legitur ἐν τοῖς ἡγεμόσιν Ἰούδα, *in principibus* Iudae, quasi in Hebraico textu esset: בְּאַלְפֵי יְהוּדָה. Nam אַלְפִים sunt ἡγεμόνες, *principes fami-*

familiarum, Ἐκ σοῦ γὰρ — τὸν Ἰσραήλ) *Ex te enim proveniet princeps, qui reget populum meum, Israel.* Ἡγούμενος hic non est praefectus qualiscunque, sed is qui dominatur, et penes quem rerum summa est. Ἐξέρχεσθαι, hebr יָצָא, *genus ducere ab aliquo* Gen. XVII, 6, Ποιμαίνειν h. l. usurpatur usitata metaphora, qua gubernatio et rectio indicatur. Notum est, reges esse *Homero* ποιμένες λαῶν, et est Xenophontea sententia: ὅτι παρακπλήσια ἔργα ἐστὶ νομέως ἀγαθοῦ καὶ βασιλέως ἀγαθοῦ.

7. Καλεῖν, h. l. est *accersere*, pro προσκαλεῖν, quo LXX. saepe pro קָרָא utuntur. Hoc inde fit, quod hebraei composita non habent. Ἠκρίβωσε) diligenter et solerter inquisivit. Τὸν χρόνον) annum, mensem, diem, quo primum apparuisset. Haec enim Astronomi studiose notare solebant.

8. Verba πορευθῆναι, ἐλθεῖν et similia hebraico more saepe ita ponuntur, ut vi omni careant. Possunt igitur in versione omitti. ὅπως κἀγὼ ἐλθὼν προσκυνήσω αὐτῷ) His verbis iterum ingenium Herodis accurate depingitur; erat enim homo callidus, astutus et vafer, qui aliud in lingua aliud in pectore gerebat.

9. Ἀκούσαντες τοῦ βασιλέως) *Morem gerentes Regi*, ut Matth. XVII, 5. Hoc sensu saepe usurpant Hebraei verbum שָׁמַע. Sed et Graecis ac Latinis ἀκούειν et *audire* saepe est *obsequi*. Προῆγεν αὐτούς) Verbum προάγειν significat et *producere* et *praecedere*. H. l. in posteriori sumitur significatione, et προῆγεν αὐτούς in plusquamperfecto vertitur: *Praecesserat eos*. Nimirum Cometes apparuerat Magis in oriente, non autem monstraverat viam; nam sua sponte in eam ferebantur opinionem, regem illustrem nonnisi Hierosolymis, in urbe regia esse quaerendum,

dum, nec duce itineris erat opus. Pergentes autem Hierosolymis Bethlehemum, iterum conspexerunt stellam in patria visam. ἕως ἐλθὼν ἔστη — τὸ παιδίον) *Donec super domo illa, in qua infans erat, substitisset.* Ἐλθὼν more Hebraeorum pleonastice positum est, et in versione recte omittitur. Sic infra c. XIII, 4. ἦλθε καὶ κατέφαγε, pro quo Lucas c. VIII, 5. simpliciter κατέφαγε. Pro ἔστη Codd. nonnulli Alexandrini et Occidentales habent ἐστάθη, quae lectio non est contemnenda. Potuit nempe librarius aliquis, observans ἔστη de his, quae sponte subsistunt, ἐστάθη vero de iis, quorum progressus ab alio sistitur, adhiberi, facile opinari, de stella, ultro consistente minus commode ἐστάθη dici, atque sic mutare in ἔστη. Alibi etiam, e. c. Jos. X, 13. de sole et luna dicitur ἔστη. Ἐπάνω (supple τοῦ τόπου ἦν τὸ παιδίον. Caeterum ἔστη iterum in *plusquamperfecto* vertendum est: *substiterat.* Populariter hoc dictum est, ut nos etiam dicere solemus: sol, vel luna super hac illave domo conspicitur.

10. Ἐχάρησαν χαρὰν μεγάλην σφόδρα) *Vehementissime laetati sunt.* Elegantia Attica est in his: ἐχάρησαν χαρὰν, *gavisi gaudium*, sicut πολεμὸν πολεμίζειν; ἀγορὰν ἀγορεύειν et βελὰς βελέυειν. Latini: servire servitutem, et pugnare pugnam; nec est in huiusmodi phrasibus quaerenda emphasis. Adiectivum autem μεγάλην est pro adverbio, ita ut χαρῆναι χαρὰν μεγάλην idem sit quod χαρῆναι μέγα, et χαρῆναι χαρὰν μεγάλην σφόδρα idem valeat, quod χαρῆναι μέγιστον, s. μέγιστα, i. e. *vehementissime laetatum esse.*

11. Εὗρον) Legendum potius: εἶδον. Sic enim habent Codices tantum non omnes; Versiones et Patres multi, et edit. quoque. Εὗρον habet cod. basileensis Theophylacti quo usus est *Erasmus;* qui quum videret hanc lectio-

ctionem latinae versionis testimonio confirmari, eam praeferendam esse censuit. πεσόντες) πίπτειν h. l. est *humi procumbere*. τὰς θησαυρὰς αὐτῶν) Thesaurus hic non significat ipsum aurum et res pretiosas reconditas, sed conditorium, arcam, saccum, in quo reconduntur. Hesychius: θησαυρὸς εἰς ἀναθημάτων καὶ χρημάτων ἱερῶν ἀπόθεσιν οἶκος. δῶρα) Reges cum donis adire et toti orienti, et Persis sive Parthis praecipue in more positum fuit, cf. Gen. XXXII, 14. sqq. Gen. XLIII, 11. 25. 1 Sam. X, 27. et alia loca. Hic mos etiamnum in Oriente obtinet. Vid. *Harmar* Beobachtungen über den Orient. Th. 2. p. 1. seqq. λίβανον) Grammatici contendunt, λίβανον arborem dici, λιβανωτὸν vero thus. *Suidas*: λίβανωτὸν καὶ λιβανωτὸς ὁ καρπὸς τῆς λιβάνου, λίβανος δὲ αὐτὸ τὸ δένδρον. Sed Ammonius: λίβανος κοινῶς καὶ τὸ δένδρον καὶ τὸ θυμιώμενον. Ita singulari divina providentia factum est, ut pauperiati Iosephi subvenirent magi, eumque ad fugam viatico instruerent. Nam praeter aurum poterant thus et myrrha medicis caro vendi. Thus quidem et myrrham non nisi in Arabia nasci *Herodotus* (III. 107.) auctor est. *Strab.* tamen L. XVI. Τῆς λιβάνου βέλτιον τὸν πρὸς τῇ περσίδι esse affirmat. Ex eodem *Strabone* discimus, merces istas iuxta mare rubrum natas per sinum persicum deportatas atque ita per Babyloniam, Mesopotamiam, Syriam in Palaestinam venisse.

12. χρηματισθέντες) *moniti a Deo*. 2 Maccab. II, 4. χρηματισμὸς γενηθέντος et alibi passim apud LXX. Interpretes, ut et apud *Iosephum* Occurrit etiam saepissime verbum χρηματίζεσθαι apud profanos scriptores, sed alia notione, ac in S. litteris. κατ' ὄναρ) *Per somnium*. Ad artem Magorum non solum spectabat Astrologia, verum etiam Oniroeritice. Attendebant igitur et mutationibus in

coelo

coelo ortis et somniis sive suis sive aliorum. Saepe coniectura eos turpiter fefellit, ut in interpretatione somnii Xerxis et defectionis solis, cuius meminit *Herodot.* VII, 19. Hic tamen somnium a Deo immissum recte agnoverunt. Videntur enim in itinere plura de Herodis indole, astutia, et crudelitate audivisse, et satius esse existimasse, mandata eius negligere, et per aliam viam in patriam redire, in quo proposito per somnium confirmati sunt. ἀνεχώρησαν) Secesserunt, occulto itinere, et se receperunt in patriam. Ceterum sapientissimo Dei consilio ita evenisse credimus, ut peregrini advenirent recens nati regis adorandi caussa. Pertinuit enim hoc ad excitandos admonendosque Iudaeos, ut praepararent animos ad recipiendum Messiam, qui tum ab omnibus exspectabatur. Pertinuit etiam ad alendam et confirmandam spem, quam parentes aliique pii homines, moniti a Deo, de puero conceperant. Sequens historia nos docet, quantis periculis Iesus iam puer fuerit expositus, at singulari Dei providentia ereptus.

13. ἄγγελος — Ἰωσὴφ) Vid. supra c. I, 20. Iosephus haud dubie ex Magis audiverat, quae mandata ab Herode acceperant; metuebat igitur Herodis insidias, et fugam meditans in somnis admonebatur, ut cum infante eiusque matre in Aegyptum fugeret. Aegyptus Bethlehemo fuit provincia proxima, ita ut illam intra paucos dies attingere possent. Post Antonii et Cleopatrae mortem in provinciam romanam redacta fuerat; plurimi autem Iudaei sedes ibi fixerant, qui graece loquentes versionem graecam librorum sacrorum adornaverant, quin etiam templum auctore Onia IV. Heliopoli exstruxerant.

14. ὁ δὲ ἐγερθεὶς — Αἰγύπτου) Christum in Aegypto didicisse artes magicas, pervulgata est Iudaeorum calum-

lumnia, quae refutatione non indiget. *Celso* eam repetenti breviter sed bene respondit *Origenes* c. Cels. L. I. p. 39. edit. Spenc. Turpissimam hanc fabulam dudum explosam nonnullis nostrae aetatis fabulatoribus arrisisse quodammodo, quis non miretur? Quam parum vero mendaces sibi constent, patet ex recentioribus Iudaeorum commentis de *Schemhamphorasch* in libro *Toldos Ieschu* supra memorato ad c. I, 20. scriptoris nostri. Alias fabulas commemoravit *Ioan. Christophor. Wagenseilius* in confutatione illi libro annexa.

16. Ἵνα πληρωθῇ κ. τ. λ.) cf. annotata ad Cap. I, 22. ἐξ Αἰγύπτου ἐκάλεσα τὸν υἱόν μου.) Sic Hos. XI, 1. in Hebr. Paullo aliter LXX. interpretes. Hoseas sine dubio loquitur de exitu Israelitarum ex Aegypto, duce Mose, respicitque ad verba Exod. IV, 22. 23. Matthaeus haec verba non citat tanquam vaticinium de Messia, sed apte personae Messiae accommodat. Quasi dicat: ac tum illud recte dici potuit, quod ab Hosea de Israele usurpatur etc. Idem Dei amor, qui eum moverat, ut Iudaeos ex servitute aegyptiaca liberaret, effecit etiam, ut Christum in Aegypto non relinqueret, sed ad suos, quibus doctrinam coelestem traditurus esset, reduceret.

16. ἐνεπαίχθη ὑπὸ τῶν μάγων) *quod ludibrio habitus esset a Magis.* In eam enim partem interpretatur frustrationem expectationis suae et opinionis, ad se illos reditores esse. ἀποστείλας — ἀπὸ διετοῦς καὶ κατωτέρω) *Interfici iussit omnes pueros biennes et nondum biennes in Bethlehem eiusque territorio.* Ἀποστείλας ἀνεῖλε, *Castellio* recte vertit: misit interfectum. Eodem modo loquendi usum esse Polybium cum aliis Scriptoribus Graecis ostendit *Raphelius* in notis Polybian. Διετοῦς est Genitivus neutrius generis (διετές) non masculini, et διετὴς

de

de *aetate* dicitur, non de *tempore;* nam de tempore Graeci διέτης usurpare solent. Porro ἀπὸ διετοῦς e consuetudine sermonis hebraei pro ἀπὸ διετῶν dictum est, et verba ἀπὸ διετοῦς cum verbis πάντας τοὺς παῖδας cohaerent, adeoque non de *tempore*, non de bimatu, sed de ipsis *infantibus* biennibus accipienda sunt. Formula loquendi est hebraica, veluti quum Num. I, 20. dicitur: כל־זכר מבן עשרים שנה ומעלה Cf. etiam Esr. III, 8. 1 Chron. XXVII, 23. Non igitur audiendi sunt, qui verba nostra accipiunt de *tempore*, de ipso duorum annorum spatio, quasi ἀπὸ διετοῦς absolute dictum esset pro ἀπὸ διετοῦς χρόνου. Vid. *Fischeri* Proluss. p. 49. seqq. Ceterum ex hoc loco doctissimi interpretes post Origenem, Eusebium et Epiphanium colligunt, Christum fere biennium complevisse, cum Magi advenirent, variis inducti rationibus, quarum haec non est postrema, quod putant, non occisurum fuisse Herodem omnes *bimulos*, si Iesus longe abfuisset ab ista aetate. Sed potuit tyrannus maioris securitatis caussa iubere, ut biennes etiam interficerentur, ne ex errore fortassis in vivis conservaretur quem sibi invisum putabat infans. Quaeritur etiam quando advenerint Magi ex Oriente? Quanquam nihil definiri potest, hoc tamen certum esse videtur, omnia quae Lucas c. II, 22 de itinere Hierosolymitano, de purificatione, et Sacrificio (quod ante diem XL a nato puero offerri non potuit Levit. XII.) enarrat, ante Magorum adventum contigisse. Non enim est verisimile, post caedem infantium, Herode adhuc vivo atque superstite, Iosephum cum matre et filio Hierosolymam petiisse, et templum, in quo neque latere neque sine praesentissimo periculo agnosci poterat, intrasse. Rationes, cur Magi *post* Christum in templo praesentatum advenisse existimandi sint, *Io. David Michaelis* in annotatt. attulit. In hac sententia alii etiam in-

interpretes dudum fuerunt. Videtur quidem repugnare *Lucas* c. II, 39. post narrationem de purificatione et sacrificio, nulla itineris Aegyptiaci mentione facta dicens: ὑπέστρεψαν (Iosephus et Maria cum infante) εἰς τὴν Γαλιλαίαν, εἰς τὴν πόλιν ἑαυτῶν Ναζαρέτ. Sed revera non repugnat. Tacet quidem fugam in Aegyptum, sed non negat. Vix per aliquot menses in Aegypto mansisse videntur Iosephus et Maria cum puero. Mors enim Herodis primo aut secundo Christi anno contigit. Mortuo autem tyranno Iosephum cum puero in Galilaeam concessisse, Matthaeus etiam narrat v. 19. 22. Silentio *Iosephi* de hoc infanticidio fides Matthaei non labefactatur. Tanta enim fuit crudelitas Herodis, ne a cruore quidem trium filiorum abstinentis, ut caedes 50 puerorum, (plures enim non fuisse videntur,) non tanti *Iosepho* visa fuerit, quae prae ceteris regis crudelissimi facinoribus commemoranda esset. Qui plura desiderat, adeat *Kuinoelii* Commentar. p. 50. s. et Scriptores ab eo laudatos.

17. 18. Τότε ἐπληρώθη — τῷ προφ.) *Tum* (iterum, alio modo) *evenit dictum Prophetae Ieremiae, dicentis: Magni ad Ramam ejulatus, lamenta, ac fletus audiuntur. Rama* erat urbs tribus Beniaminiticae, non longe remota ab Hierosolymis, et per hanc ipsam urbem Iudaei in Babyloniam abducti sunt. Ier. XL, 1. XXXI, 15. θρῆνος καὶ κλαυθμὸς καὶ ὀδυρμὸς eleganter iunguntur ad magnitudinem luctus indicandam. ῥαχήλ) Autonomasia, i. e. singulae filiae Rahel, et aliae matres. Filiae Rahelis sunt Beniaminitae; nam Rahel fuit mater Beniamin, non procul a Rama sepulta, Gen. XXXV, 17. 19. 1 Sam. X, 2. 3. καὶ οὐκ ἤθελε παρακληθῆναι. *Noluit consolationem admittere.* Ante verba ὅτι οὐκ εἰσί nonnulli intelligi volunt participium λέγουσα, hac ratione ducti, quod hic

non dicatur παρακαλεῖσθαι ἐπί, quae phrasis alias in argumento consolationis adhiberi soleat, sed παρακαλεῖσθαι ὅτι. Ego vero non perspicio idoneam caussam, cur παρακαλεῖσθαι iungendum sit cum ὅτι. Omnia recte se habent, si ὅτι, hebr. כי vertitur: *nam, enim.* Phrasis οὐκ εἰσὶ significat: *mortui sunt.* Sic Gen. XLII, 36. Hebr. אינכם *non est.* Graeci etiam de mortuis vulgo dicunt, ὅτι οὐκ εἰσὶ Plenius *Iosephus* in vita sua: οὐκέτι εἰσὶ μεθ' ἡμῶν. Non de infanticidio, sed captivitate decem tribuum Propheta proprie loquitur. Urbana manet interim ac suavis applicatio. Ac si dicat Matthaeus: Tum vere illud dici potuit: Vox lamentabilis audita est; matres libros amissos deplorarunt, neque consolationem admiserunt, quia amplius non erant. Tum Bethlehemum vere facta est Rama. Nec personae de quibus loquitur, sunt eaedem, nec locus, nec denique calamitas. Qui ex Graecis Romanisque auctoribus, quid sit locos adhibere similes, didicerunt, fieri non potest, quin urbanitatem summam hic ac elegantiam agnoscant.

19. *Herodis* tristia fata narrat *Iosephus* Antiqq. XVI, 11. XVII, 9. qui etiam de eius crudelitate ac tyrannide multa commemorat. Contigit autem mors Herodis primo aut secundo Christi anno. Vide Wetstenium ad h. l. et Chronologos.

20. Τεθνήκασι γὰρ οἱ ζητοῦντες τὴν ψυχὴν τοῦ παιδίου *Nam mortui sunt, qui insidiabantur vitae pueri;* vel potius: *mortuus est ille, qui* etc. Nam ex universo narrationis tenore intelligitur, his Matthaei verbis significari solum Herodem. Hebraeis haud inusitatum fuisse, ut de regibus et principibus civitatum, aliisque hominibus claris uterentur nominibus appellativis, omninoque de illis fere, tanquam de pluribus loquerentur, probant

ex-

exempla 1 Reg. I, 33. 43. ubi satis apertum est, unum Davidem nominari אֲדֹנִים non אֲדֹנָיו. Eodem cap. v. 25. nominantur שׂרי הצבא; quum unus intelligendus sit Ioabus v. 19. Huc etiam referri possunt loca Luc. XIX, 33. Act. XVI, 16. 19. Alii opinantur, per insidiatores h. l. indicari non solum Herodem, sed alios etiam, huius consilii participes, nominatim Antipatrum, filium regis natu maximum, qui, iussu patris paullo ante eius obitum fuerit interemtus: adversus quos disputat *Io. Frid. Fischer*, (cui hanc observationem debemus) in *Proluss. de vitiis Lexicor. N. T.* p. 173. sqq. Videtur tamen Matthaeus potius respexisse ad Exod. IV, 19. Phrasis ζητεῖν τὴν ψυχὴν formata est ad hebraeam בִּקֵּשׁ נֶפֶשׁ *quaerere animam*, seu *vitam*; nam vox נֶפֶשׁ in his talibus non *animam*, partem hominis nobiliorem, sed vitam significat. Quum autem Hebraei *quaerere*, בִּקֵּשׁ *vitam* dicunt, non hoc volunt quod aliquis vitam alicuius quaerat, ut eam possideat, aut conservet, sed ut eandem tollat ac perdat. Exempla huius phraseos sunt Exod. IV, 19. 1 Sam. XXIII, 15. et aliis locis.

22. ἀκούσας δὲ — ἀπελθεῖν) *Quum autem audivisset, Archelaum regnare in Iudaea pro Herode, patre suo, timuit illuc redire.* Verbo βασιλεύειν h. l. non regiae potestatis notio, sed omnino imperii potestas, ut verbo ἄρχειν, subiici debet. Nam imperator Augustus Archelao attribuit Iudaeam, Idumaeam, Samariam ita, ut ἐθνάρχης appellaretur, non βασιλεύς. Ioseph. Archaeol. XVII, 15. Idem tamen Archelaus, quem Iosephus ἐθνάρχην vocat, ab eodem l. c. βασιλεὺς nominatur. Phrasis βασιλεύειν ἐπί τινα est hebraizans; nam Hebraei מָלַךְ construere solent cum עַל. 1 Reg. II, 11. Mich. IV, 7.

Graeci autem verbo huic casum secundum et rei simpliciter addere solent. Quod ad rem attinet, Bethlehem erat in Iudaea. Quanquam igitur consilium Iosephi fuerat sedes figere Bethlehemi, filiumque educare in eodem oppido, in quo David educatus fuerat, mutavit tamen consilium, quum audivisset Bethlehemum in Archelai ditione ac potestate esse. Nec immerito. Archelaus enim patrem moribus referebat, valde suspicax atque crudelis: quem animum, antequam Iosephus rediisset, multis indiciis prodiderat. Ioseph. de B. Iud. I, 21. εἰς τὰ μέρη τῆς Γαλιλαίας) εἰς τὰ μέρη, i. e. εἰς τὰ ὅρια, *fines*, regio certis finibus inclusa, hebr. גבול, Exod. X, 14. 19. Galilaea et Peraea cesserant Herodi Antipae, qui ingenio mitis atque benignus, urbibus Iuliadi et Tiberiadi exstruendis intentus, pollicitatione atque indultu immunitatum et leni imperio multos ex aliis provinciis incolas allicere studebat. Serviebat voluptatibus; at tales non solent esse truculenti.

25. καὶ ἐλθὼν) *Et quum (eo) venisset.* Haec genera dicendi sumta sunt ab Hebraeis, quibus sunt isti pleonasmi frequentes, veluti quum dicunt: *et surgens abiit; et respondit dicens,* et similia multa, quae infinitis locis occurrunt. κατῴκησεν εἰς πόλιν λεγομένην Ναζαρέτ.) Sic cap. IV, 13. Apud Graecos differunt κατοικεῖν et παροικεῖν, sicut apud Latinos *habitare* et *commorari* Εἰς πόλιν, vel *habitatum concessit*, vel εἰς πόλιν positum pro ἐν πόλει Nam frequenter εἰς pro ἐν ponitur, ut Marc. II, 1. sicut apud Hebr. אל pro ב ponitur. ὅπως πληρωθῇ — κληθήσεται) Phrasis ὅπως πληρωθῇ hic eodem sensu sumitur, quo supra v. 17. 15. et c. I, 22. In locum προφητῶν substituerunt τὰ προφήτα versionum antiquarum auctores, paullo liberius verba textus reddentes, quia inusitatus in allegandi formula numerus pluralis ipsis videbatur,

tur, ubi definita verba antiqui carminis cuiusdam laudantur Vid. *Griesbachii* Commentar. crit. Quum dictum, quod tanquam apud Prophetas extans hic citatur, nusquam in libris V. T. conceptis verbis legatur, in varias itum est sententias, quas *Wolfius* in curis ad h. l. recensuit. Errant sine dubio, qui olim quidem extitisse, sed periisse deinde volunt. Verisimillima mihi est eorum sententia, qui Matthaeum ad ea Prophetarum loca (non enim unum aliquem e Prophetis, sed plures citat,) respexisse existimant, ubi vilis et abiecta Messiae conditio praedicitur, veluti Ps. XXII. Ies. LII. LIII. Voluit enim Matthaeus rationem afferre, cur *Nazarethi*, non autem *Bethlehemi* habitaverit servator; atque hanc ait esse illam, ut appareret, Prophetas vera dixisse, quando de eo ita locuti sunt, ut de *Nazareth* lectores cogitare possent. Omnino autem Iesus per contemtum vocatus est olim a Iudaeis Ναζωραῖος, i. e. Nazarethanus, et hodie adhuc a Iudaeis vocatur *Ieschu Hanozri*. Itaque ipso loco, locique nomine, Nazareth, ad apicem illud impletum, quod a Prophetis praedicitur, Messiam fore contemtum. Fuit enim Nazareth vicus ignobilis, ita ut proverbio diceretur: a Nazaretha potest aliquid bonum esse? Io. I, 47. Nomen autem τῶν Ναζωραίων omnino inditum fuisse *Nazarethanis*, ex Act. XXIV, 5. colligi potest. Κληθήσεται, quanquam vox καλεῖσθαι in N. T. saepe ponitur pro εἶναι, esse, h. l. significatum suum retinere potest, quum Iesus revera per contemtum Nazarethanus appellatus sit.

CAP. III.

1. Ἐν δὲ ταῖς ἡμέραις ἐκείναις) Δὲ a sat multis codicibus vetustis et bonis, et a pluribus versionibus abest. *Griesbachius* nihilominus retinendum esse putat, "nam (inquit)

cur

cur adderetur, caussa aderat nulla. Contra vero facile potuit omitti in principio non anagnosmatis solum, sed κε. φαλαὶς etiam, a quo narratio incipit plane alia, cum antecedente minime cohaerens." Omnino verum hoc est. Sed potuit etiam omitti ab iis, qui duo prima capita Matthaei genuina esse negabant, vel dubitabant. Nam hebraicum Evangelium Matthaei, quo Ebionai utebantur, his incipiebat verbis: Ἐγένετο ἐν ταῖς ἡμέραις Ἡρώδε βασιλέως τῆς Ἰουδαίας, ἦλθεν Ἰωάννης βαπτίζων βάπτισμα μετανοίας ἐν τῷ Ἰορδάνῃ ποταμῷ, teste *Epiphanio* haeres. XIX, 14. Ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις, בימים ההם. Ita solent scriptores V. et N. T. narrationem ordiri. Iesaiae XXXVIII, 1. Gen. XXXVIII, 1. H. l. est μετὰ ταῦτα, cum Iesus Nazarethae in obscuro viveret. Post historiam nativitatis et infantiae Christi sequitur iam secunda pars Evangelii, continens historiam dictorum et factorum Ioannis et Iesu praeparatoriis ad munus Christi publicum mox suscipiendum. c. III — IV, 1 — 11. Ἰωάννης ὁ βαπτιστής) Ita cognominatus, ut distingueretur a Ioanne *Apostolo*. Accepit autem hoc nomen a munere, quod ex mandato Dei baptizaret Iudaeos in venturum Messiam, Io. I, 26. Egregio testimonio Ioannem ornavit *Iosephus*, Antiqq. XVIII, 5. 2, quem locum etiam *Origenes* citavit c. Cels. L. I. Κηρύσσων) *Proclamans*. Κηρύσσειν de iis dicitur, qui in plateis, in campis, in aëre aperto, ut a multis audiantur, vocem tollunt, et quae auctoritate publica vel regia promulganda sunt, quaeve in mandatis habent ab alio, praedicant, quemadmodum Graecorum Κήρυκες, et Latinorum *praecones*. ἐν τῇ ἐρήμῳ τῆς Ἰουδαίας) ἔρημος χώρα, *solitudo*, terrae tractus, nec oppidis, nec vicis, nec incolis adeo celebris et frequens, sed pascuis abundans. Respondet hebraico מִדְבָּר. Solitudinis Iudae

fit

fit etiam mentio Iud. I, 16. Ps. LXIII, 1. Sic vocantur campi tribus Iuda, adiacentes lacui Asphaltitidi et Iordani fluvio. *Ioseph. de Bello Iud.* III, 10. 7. Iordanus διατέμνει τὴν Γεννήταρ μίσην, ἔπειτα πολλὴν ἀναμετρήσας ἐρημίαν εἰς τὴν ἀσφαλτῖτιν ἔξεισι λίμνην. Tempore Iosuae (c. I, 61. 62.) habuit haec solitudo sex urbes multosque vicos. Talmudici etiam pecudum, arborum, frugum solitudinis mentionem faciunt. Regiones minus habitatae atque cultae opponuntur populosioribus.

2. Μετανοεῖτε) μετανοεῖν proprie significat *post factum sapere, et de errore admisso ita dolere, ut sapias*, quod Latinis proprie significat *resipiscere* Semper cum μετανοίᾳ cohaeret ὁ σωφρονισμὸς, sicut haec duo recte coniunguntur a Plutarcho in Dialogo πότερα τῶν ζώων φρονιμώτερα. Hebraeorum שוּב. Corruptissimos tum temporis fuisse Iudaeorum mores, *Iosephus* etiam tradit, qui Lib. V, c. 13. de B Iud. inter alia: *Equidem*, (ait,) *arbitror, si Romani sceleratis istis exitium inferre cessassent, futurum fuisse, ut urbs aut terrae hiatu absorberetur, aut eluvione deleretur, aut soli Sodomitici fulmina experiretur, multo enim magis impiam progeniem edidit, quam erant qui haec perpessi sunt.* Ratio cur iam vita esset emendanda statim additur: ἤγγικε γὰρ ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν.) *Iam enim in eo est, ut regnum Dei instituatur.* ἤγγικε forma quidem praeteriti temporis verbum, quum significatio praesentis sit, id quod in multis verbis in graeco sermone deprehenditur. *Iam fere adest:* ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν *Regnum Dei*, Regnum quod Deus per Messiam instituet, vera salus per Messiam promissa. Videtur eiusmodi appellatio tunc temporis inter Iudaeos recepta fuisse, quia alioquin non intellecturi erant, quid sibi Ioannes vellet. Et omnino multa

ha-

habent Iudaei de מַלְכוּת שָׁמַיִם. Commutantur autem in libris N. T. formulae *βασιλεία τῶν οὐρανῶν* et *βασιλεία τοῦ θεοῦ*, veluti Matth. VIII, 11. coll. Luc. XIII, 29. Marc. I, 15. Luc. VI, 20. alibique frequenter. Iudaica enim dialecto שָׁמַיִם haud raro sumitur pro *Deo*, Dan. IV, 28. Matth. XXI, 25. Luc. XV, 21. Ioh. III, 27. Regnum *coelorum* itaque est regnum *Dei*, vel regnum Messiae. Desumitur haec Phraseologia, *Regnum coelorum*, a Daniele C. VII, 13. 14. 27. ubi promittitur Messias, s. Rex qui cum nubibus coeli venturus, regni aeterni post IV. Monarchias fundamenta iacturus, et praesertim homines verum Dei cultum edocturus Deoque subiecturus esset. Sed iam a Davidis temporibus vates Hebraeorum vaticinati sunt de futura aetate aurea, de magno quodam duce et rege, qui Iudaeorum omnibus hostibus debellatis, veram religionem restauraturus, et longe lateque propagaturus, omnisque generis felicitate populum suum beaturus esset. (KNAPP *dissert de usu vaticiniorum ad Messiam pertinentium*, in Opusc. Tom. I. p. 1. sqq.) Hanc felicitatem in regno Messiae Iudaei tum expectabant. Ioannes igitur eadem formula usus est, quae usu recepta erat apud Iudaeos. Quum autem hi sibi persuaderent, Messiam sibi et nationi Iudaicae, quippe ab Abrahamo ducenti genus, omnes alias nationes subiecturum, et visibili modo regnaturum esse, Ioannes non aperte quidem, (hoc enim tum temporis supra captum eorum fuisset) tacite tamen correxit ideam de Messia, significans, nonnisi moribus et animis emendatos participes fore felicitatis per Messiam reparandae. Non potest autem ubivis haec *βασιλεία τ. οὐρανῶν* exprimi sine periphrasi, quia eius partes sunt multae. Interdum significat *coetum Messiae ipsum*, in-

interdum bona huic coetui propria et in his terris et post hanc vitam. Haud raro ita vocatur etiam *opus Dei in hac omni re instituenda, decernenda et exsequenda.* Igitur nihil agunt, qui omnia N. T. loca, in quibus istae formulae occurrunt, ad unam significationem trahere volunt; respicere potius debet interpres semper ad orationis cohaerentiam, ut intelligat, quae notio cuique loco sit tribuenda. Universim Deus dicitur regnare κατ' ἐξοχήν, ubi legibus eius et institutis obtemperatur; qui his legibus obediunt, felices redduntur. Ergo sensus verborum ἤγγικε ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν hic est: *Iam in eo est, ut Deus sibi colligat societatem hominum, qui eius voluntati et praeceptis obsequium praestabunt, favore eius singulari fruentur, et beneficiis eximiis in hac et futura vita ornabuntur.* Quum nemo nisi bonus iuribus et beneficiis huius societatis frui possit, omnino animum et mores emendare debet is, qui hoc Dei regnum optat, vel *intrare regnum* Dei, i. e. in hanc societatem adoptari cupit. Quia Deus hanc novam societatem, quae deinceps ἐκκλησία vocata est, per Messiam instituit, igitur vocatur etiam *regnum Messiae.* Qui plura desiderat, adeat *Kuinoelii* Commentar. p. 61—67. ibique laudatos Scriptores.

3. ὁ ῥηθείς) praedictus, iam olim annunciatus, nam ῥέω, per Synecd. gen. *praedico.* ὑπὸ Ἡσαΐου) Cap. XL, 3. Verba Matthaei nec cum textu hebraico, nec cum versione Alexandrina plane consentiunt. Iesaias loquitur de reditu Israelitarum e captivitate babylonica, et gentem afflictam laetiorum temporum promissionibus erigere iubet. *Iehovae* via parari dicitur, quod ille ipse populum reducturus sit. Sed Rabbini, e. c *Dav Kimchi* statuerunt, hanc Prophetae praedictionem tempore Messiae plenum eventum esse habituram. φωνὴ βοῶντος) *vox (auditur) cla-*

clamantis, publice docentis, atque hortantis. Hebr. קוֹל קוֹרֵא Vox clamat. ἑτοιμάσατε τὴν ὁδὸν Κυρίου) *Parare viam*, est viam munire, sternere, complanare, purgare, expedire quae prius aspera, inepta, sentibus obsita, pulverulenta erant. εὐθείας ποιεῖτε τὰς τρίβους αὐτοῦ) *Complanate semitas, quibus incedet.* Simile desumtum a rege in itinere constituto. ἡ τρίβος, hebr. מְסִלָּה quae vox non semitam sed viam regiam, vel viam stratam et munitam significat. Illustranda sunt haec verba ex more veterum Regum praecipue Orientis, qui, cum aulicis aut exercitu iter facturi praemittebant apparitores stipatoresque, qui vias adaequarent, et hiatus obstruerent etc. *Rectam viam facere*, est, deserta via obliqua et per ambages ducente, viam brevem atque compendiariam invenire. Per montes, valles, silvas, qua Rex incedere debebat, mittebantur munitores, qui arbores caederent, valles adaequarent, montium obstacula tollerent. Sensus est: Efficite, ut Messias mox venturus animos vestros, omnibus obstaculis remotis, praeparatos ad se recipiendum inveniat. Erat nempe munus Ioannis praeparare populum ad Messiae adventum.

4. αὐτὸς δὲ — τριχῶν καμήλου) *Ipse autem Ioannes indutus erat vestimento ex pilis camelorum confecto.* Pronomen αὐτῷ hebraico more redundat, ut Marc. VII, 25. Apoc. XIII, 12. et aliis multis locis. Ex auctoribus Talmudicis constat, lanam sive pilos camelorum apud Hebraeos magnum usum habuisse in conficiendis pannis ad vestitum. Confectum erat vestimentum Ioannis ex pilis Camelorum, sed asperis illis, nec arte comtis. Varia enim sunt pilorum Cameli genera. Vid. *Michaelis* ad h. l. ζώνην δερματίνην) *Cingulum pelliceum.* Ita cinctus erat Elias,

Elias, 2 Reg. I, 8. ἀκρίδες) Locustae genus erat mundum, et esui licitum חגב Levit XI, 21, 22. ubi LXX. habent: τὴν ἀκρίδα. Locustarum usum ignorare non possunt, qui legerunt unquam, quae de iis prodiderunt, qui in Oriente versati sunt. Loca veterum non pauca notarunt *Heinsius et Wetstenius* in h. l. Recentior et fide dignissimus testis est *Carsten Niebuhr* in *descriptione Arabiae*, germanico idiomate exarata; p. 171. seqq. cf. etiam *Hasselquist*, *Schaw*, *Arvieux*. Μέλι ἄγριον) *mel sylvestre*, quod ab apibus non elaboratum in sylvis ex arboribus manare solet. *Salmasius* in comment. de Manna, *Iobus Ludolphus* aliique post Suidam, sub voce ἀκρίδας, hoc mellis genus idem esse volunt cum Manna, quo Israelitae in deserto usi sunt. *Plinius* XI, 15. tertium genus mellis minime probatum sylvestre, quod ericaeum vocant. Ericen autem myricae esse similem, tum Dioscorides, tum idem Auctor dixit 1 Sam. XIV, 25, 26. Victu vestituque vili usus est Ioannes, tum ut severitas morum responderet doctrinae ipsius, tum etiam ut hoc modo et corpus et animum firmaret, seque ad subeunda intrepide pericula praepararet.

5. καὶ ἡ περίχωρος τοῦ Ἰορδάνου) *inprimis planities circa Iordanem.* Καὶ h. l. verti potest, inprimis; nam ἡ περίχωρος τοῦ Ἰορδάνου est pars Iudaeae. *Strabo* de planitie Iordani adiacente haec habet: Est locus C. stadiorum, totus irriguus atque habitationibus plenus.

6. καὶ ἐβαπτίζοντο) βαπτίζειν est mersare, tingere, corpore vel parte corporis quod baptizari dicitur, aquas subeunte. Vetustissimi mortalium Baptismos sive ablutiones ad Religionem cultumque numinis pertinere iudicarunt, tum ut munditiem et puritatem commendarent, tum ut ritu

tu solemni caverent, ne quis irreverenter ac temere ad res sacras accederet. Aeneid. II, 717. At hic agitur de uno solemni Baptismo, semel et in perpetuum administrando, nec unquam postea repetendo. Huius ritus vestigia inveniuntur in Baptismo Proselytorum. Nimirum magno consensu hodie a Iudaeis traditur, si quis ex gentibus ad Religionem Iudaicam accessisset, et ipsum cum uxore et liberis, etiam infantibus fuisse baptizatum. Iam in *Thargum Ionathanis* in Pentateuchum eius fit mentio, ubi de Proselytis sermo est, Exod XII, 44. circumcides eum et baptizabis eum. Negarunt quidem nonnulli interpretes, Proselytorum baptismum iam Christi aetate in usu fuisse apud Iudaeos, sed pluribus argumentis demonstrarunt DANZIUS in dissert. *de baptismo proselytorum Iudaico et de antiquitate baptismi initiationis Israelitarum vindicata,* in MEUSCHENII Novo Testamento e Talmude illustrato p. 233. seqq. BUXTORFIUS, LICHTFOOTIUS, WETSTENIUS, alii, inprimisque ZIEGLER *theol. Abhandlung.* Goett. 1804. Th. 2. Abhandl. 2. p. 132. sqq. Baptismus Proselytorum fuit traductio Gentilium in religionem Iudaicam, Baptismus *Ioannis* traductio Iudaeorum in religionem aliam. Atque hinc eo magis est mirandum, quod ad eum tam prompte populus confluerit, cum Baptismum tam diversum a noto illo proselytico introduceret. Cuius ratio hinc sumenda, quod ad adventum *Messiae,* immutandam plane rerum faciem merito opinati sunt. ἐξομολογούμενοι τὰς ἁμαρτίας) Confitebantur, se esse peccatores, et per se indignos qui participes fierent beneficiorum Messiae. Generalis erat haec peccatorum confessio. Nonnunquam autem accessisse videtur specialis detestatio eorum peccatorum, quae praecipue Deum irritant. Act. XIX, 18. Ratio additur Luc. III, 12. 14.

7.

7. τῶν Φαρισαίων καὶ Σαδδουκαίων) De istis Iudaeorum sectis multa habent *Iosephus* et *Talmudici*. Tres Iudaeorum sectas numerat *Iosephus*, Antiq. XIII, 5. 9. *Pharisaeorum* nempe, *Sadducaeorum* et *Essenorum*, easque nominat τρεῖς φιλοσοφίας, triplicem *philosophiam*, quae tres sectae non male conferuntur cum tribus in Graecia inclutis, *Pythagoraeorum*, *Epicuraeorum* et *Stoicorum*. Origo earum videtur referenda ad tempora post captivitatem Babylonicam, quum Iudaea esset in potestate Regum Syriae et Aegypti, Alexandri M. Successorum. Tunc enim Iudaei multa inprimis de immortalitate animorum et de potentia Spirituum dogmata arripuerunt a Graecis, Philosophia Pythagoraea et Platonica imbutis. *Pharisaei* פְּרוּשִׁים, quasi ἀφωρισμένοι, ita appellantur, quod maiori sanctitatis gradu aut praetextu ab aliis semet separarent. *Sadducaei*, צְדוּקִים, a צָדוֹק *Zadoko*, degenere Antigoni Sochaei discipulo, qui sub Ptolemaeo primo Aegypti Rege tribus ante Christum natum seculis vixit, denominati sunt. Duo autem erant praecipua capita dissensus Pharisaeorum et Sadducaeorum: Prius versabatur circa varios ritus, ceremonias a Pharisaeis institutas, et traditiones non scriptas a Sadducaeis repudiatas; posterius erat de immortalitate animarum, quam Pharisaei statuebant, Sadducaei negabant. *Sadducaei* fatum omnino tollebant, omnia arbitrio hominis subiiciebant, et statuebant nos tum bonorum nobis ipsis auctores esse, tum mala nobismet per stultitiam nostram accersere; *Pharisaei* denique dicebant quidem, fato omnia fieri, sed hominis voluntatem non privabant impetu a seipsa pendente, quippe sic Deo placuisse, ut certo temperamento miscerentur in unum fati decretum et ratio humana, si quis

velit

velit agere cum vitio aut cum virtute. Ioseph. A. XVIII, 1. 3. Vulgaris olim fuit Theologorum sententia, Sadducaeos libros tantummodo Mosis admisisse, reliquos vero libros Vet. Testamenti repudiasse; sed nullis firmis argumentis nititur haec opinio. Maiorem quidem atque praecipuam auctoritatem libris Mosis tribuerunt, sed reliquos etiam Iudaeorum libros sacros admiserunt, quod docte et accurate demonstrarunt STAÜDTLIN *Geschichte der Sittenl. Iesu* Th. I. p. 421. seqq. 446. et GÜLDENAPFEL in diss. *Iosephi Archaeologi de Sadducaeorum canone exhibente.* Ienae 1804. 4. Sectae Pharisaeorum addicta fuit plebs et mulierculae, cum Sadducaeis vero faciebant principes, nobiles atque divites. *(Ioseph.* A. XIII, 10. 5. 6.) *Essaeos* vel *Essenos* Ἐσσαίους vel Ἐσσηνούς, eosdem cum חסידים Ἀσιδαίοις 1 Maccab. VII, 12. 13. aut ab illis ortos volunt. De his vid. *Ioseph.* A. XVIII, 1. 5. inprimis vero PHILONEM *de vita contemplativa.* Horum in Evangeliis non fit mentio. Quam corrupta fuerit Sadducaeorum et Pharisaeorum doctrina, et quam aliena in maximis capitibus ab avita disciplina, ex ipsis Evangeliis satis clare patet. ἐρχομένους ἐπὶ τὸ βάπτισμα αὐτῶν ἐπὶ ὰδ; ut *apud Xenoph.* Cyropaed. ἦλθον ἐπ' ἀργύριον. *Polyb.* ἐλθεῖν ἐπὶ τοῦτο. Alii ἐπὶ reddunt *contra*, ut sensus sit: Videns Ioannes Pharisaeos et Sadducaeos eo consilio accedere, ut baptismum impedirent. Sed non opus esse videtur hac explicatione. Licet enim plerique Pharisaeorum baptismum Ioannis non reciperent, Luc. VII, 30. Matth. XXI, 25. nihil tamen impedit, quo minus statuamus saltem quosdam illum suscepisse, inter initia praecipue praedicationis, antequam Sectae illi invisus esset Ioannes. Nam initio plures eorum putasse videntur, eum esse Messiam, quo duce potestati Romanorum sese subducere possent.

possent. Io. I, 19. 24. Luc. III, 15. γεννήματα ἐχιδνῶν) *progenies viperarum*, i. e. homines pessimi, noxii, viperarum simillimi, ab origine adeo generis. Clytemnestra Electram vocat θρέμμ' ἀναιδές, sobolem impudentem. Ita et belluam vocarunt Latini hominem immanem. Δεινῆς ἐχίδνης θρέμμα dixit *Sophocles*. Vipera est autem pessimae naturae et pestilentissima. Est asperius dictum, quia Iudaeorum isti doctores pietatis et auctoritatis pallio tecti, lingua sua animis simpliciorum falsa et superstitiosa dogmata instillando nocebant. τίς ὑπέδειξεν ὑμῖν φυγεῖν ἀπὸ τῆς μελλούσης ὀργῆς) vehemens Oratio! cf. Gal. III, 1. *Quis vos doceat effugere poenam imminentem?* Nam ἡ ὀργὴ τοῦ θεοῦ est *poena divina*. Videtur Ioannes intelligere et huius vitae poenam, et miseriam imminentem post hanc vitam iis, qui non resipiscunt. Cf. 1 Thess. I, 10. ἡ ὀργὴ ἡ ἐρχομένη. ὑποδεικνύειν, *demonstrare, persuadere*, vel potius *docere*, idem quod διδάσκειν, quo sensu occurrit Sir. XLVIII, 28. Alexandrini verbum הוֹרָה Iob. VI, 24. Prov. IV, 4. verterunt διδάσκειν, sed 2 Paral. XV, 3. per ὑποδεικνύειν. Quum nempe Iudaei ipsi Messiam omnibus mortalibus praestantiorem fore et per ipsum maxima bona exspectanda esse crederent, facile erat intellectu eum impunitatem peccatis haud concessurum, sed singularem morum innocentiam a subditis requisiturum, poenasque tanto graviores contumacibus inflicturum esse, quanto et ipsius dignitas amplior, et pollicitationes maiores forent. Sed difficillima res erat Pharisaeos, sanctitatis opinione ac fama superbientes, et Sadducaeos, voluptatibus deditos ad veram perducere poenitentiam. Ergo Ioannes, mirum est, inquit, vos etiam hic conspici; quo monitore vos accessistis, qui aliorum Doctores estis? Serio-

rione ista agitis? Si me viam vobis monstrantem sequi vultis, opere ipso ostendite.

8. Ποιήσατε — τῆς μετανοίας) Sensus est: *Factis et moribus demonstrate animi emendationem*; re ipsa et factis ostendite, vos pristino more non amplius velle vivere, sed nunc sentire rectius. Καρποὶ metaphorice saepe sunt *facta, opera hominis in utramque partem, sive bona, sive mala.* Ποιεῖν καρπὸς, *proferre fructus.* Ποιεῖν, de fructibus, ut hebr. עָשָׂה; Gen. I, 11. 12. Ἄξιον, *dignum, conveniens, congruum.* Facta digna mentis emendatione, eique congrua. Pro καρποὺς ἀξίους legendum est καρπὸν ἄξιον. Sic enim habent plurimi Codd. Verss. et Patres quidam. Pluralis, quem vulgares exhibent editiones, vel librariorum, numeros saepissime confundentium, oscitantia debetur, vel e Luca huc est traductus.

9. μὴ δόξητε λέγειν ἐν ἑαυτοῖς) *Ne animum inducite sic apud vosmet cogitare.* Λέγειν ἐν ἑαυτῷ, *cogitare* apud se. Τὸ δοκεῖν hic non simpliciter significat *videri*, sed *aliquid sibi per arrogantiam persuadere*, vel sibi de aliquo placere. Aliis verbum δοκεῖν hic redundare videtur, ut in loco parallelo Luc. III, 8. verba μὴ ἄρξησθε redundant. πατέρα — Ἀβραάμ) Iudaei putabant, se iam propter Abrahamum, generis sui auctorem, Deo esse gratos et acceptos, nec emendatione mentis et morum sibi opus esse. Io. VIII, 33. 39. 53. Vide loca Rabbinorum ap. *Wetstenium.* Iudaei quidem veteres, Philo, Iosephus aliique a genuinis Abrahami filiis requirebant, ut exemplum illius sibi proponerent. Quum autem docerent, ipsam pietatem Abrahami posteris eius imputari, factum est ut Iudaei de parentum sanctitate spem impunitatis

tis et superbiam concipérent, seque propter vicariam ab Abrahamo praestitam operam legibus solutos existimarent. Hanc vanam opinionem nunc abiiciendam esse Ioannes monet. λέγω γὰρ — τέκνα τῷ Ἀβραάμ) Sensus est: *Deus pro omnipotentia sua potest efficere, ut alii homines* (non-Iudaei) *fiant filii Abrahami* (mores eius imitantes) *quamvis hoc nunc minime fieri posse videatur.* Nam filii Abrahami illi intelliguntur, qui mores eius imitantur. Io. VIII, 39. 40. Rom. IV, 16. IX, 7. Ἐκ τῶν λίθων τούτων, *ex lapidibus his*, in ripa iacentibus, quos Iordanes vel advexerat vel nudaverat, est figuratum loquendi genus, quo indicatur omnipotentem Deum efficere posse, quod nullo modo fieri posse homines putent. Cf. Luc. XIX, 40. Sensus igitur est: Nolite existimare, vos solos Deo esse caros, et promissionem Abrahamo datam ad vos solos, quanquam improbos, et in peccatis vestris perseverantes, pertinere. Potest Deus efficere, ut homines ex aliis nationibus, vobis digniores, meliores et percipiendis beneficiis Messiae idonei reddantur. Passim Baptista, Christus, Apostoli dant operam, ut Iudaeis adimant superbiam et spem impunitatis de parentum sanctitate conceptam, quod illis maximum fuit bonae mentis impedimentum. Τέκνων, i. e. *prolis* nomen, seu liberorum, latius quam filiorum patet; quod semel annotasse sufficiat, quum idem infinitis paene locis occurrat.

10. ἤδη δὲ καὶ — κεῖται) *Quin imo etiam securis ad radicem arborum posita est.* Particulae ἤδη δὲ καὶ recte vertuntur per: *quin imo etiam.* Crescit igitur oratio, ut sensus sit: non solum posse adoptari alios, qui pari cum Iudaeis iure fruantur, (v. 9.) sed etiam, quod maius est, Iudaeis iam gravissimas poenas imminere, ni vere resipiscant. Proverbialem esse phrasin nemo non videt.

Solent nempe homines boni malive arboribus bonis aut malis comparari. Ps. I. Matth. VII, 17—20. Rom. XI, 17. Sicut igitur arbores inutiles et nullius frugi exscinduntur, et igni comburuntur, sic homines mali et improbi tandem horrendis suppliciis peribunt. Quum autem dicitur, securim iam ad radicem positam esse, sensus est: *Iam imminent poenae divinae improbis et pertinacibus paratae. Quicunque malus est, nec animum moresque emendat, iustam sentiet animadversionem.* Nam ποιεῖν (pro φέρειν) καρπὸν, *fructum ferre*, quum de hominibus usurpatur, idem est ac agere, indolem suam et iudicandi sentiendique rationem dictis et factis ostendere. Erant Iudaei in ea opinione, si Messias adveniat, gentes omnes novis suppliciorum generibus, et portentis inusitatis in lacum ignis perpetui deiectum iri, se autem omnes fore incolumes et beatos. Ioannes autem Iudaeis etiam, qui poenitentiam non essent admissuri, iustas denuntiat poenas.

11. ἐν ὕδατι) ἐν ex Hebr. Idiotismo redundat; quod saepissime fieri solet. εἰς μετάνοιαν) εἰς caussam finalem indigitat. *Ad.* Vel secundum Grotium: *Super professione poenitentiae quam facitis.* Hoc igitur volebat Ioannes: Ego tantum aqua vos baptizo, et quidem eo consilio ut vos hoc solemni ritu obstringam meliori vitae, quam promittere debet is qui baptismum suscipit. ὁ δὲ ὀπίσω μου ἐρχόμενος) qui paulo post me munus suum auspicabitur, nempe Messias. ἰσχυρότερός μου ἐστὶν) *potentior, dignitate maior est me.* Hellenistae τὸ אַךְ haud raro vertunt ὁ ἰσχυρὸς, δυνατὸς. ἱκανὸς) Idem valet quod ἄξιος, Io. I, 27. Quo sensu etiam apud Profanos occurrit. τὰ ὑποδήματα βαστάσαι) Servile ministerium. Nam ser-

servorum erat, calceos dominorum portare. Βαστάζειν, quod proprie de magnis oneribus usurpatur, h. l. est φέρειν. Non differt quoad sensum, quod Marcus ait: λῦσαι τὸν ἱμάντα τῶν ὑποδημάτων αὐτῦ, quia, qui solvebant calceorum corrigias, iidem et portabant eos, et exutos auferebant. Id igitur Ioannes vult, se tanto esse Christo inferiorem, ut ne dignus quidem sit, qui in eius famulitio vilissimum excalceandi munus obeat. αὐτὸς ὑμᾶς βαπτίσει ἐν πνεύματι ἁγίῳ καὶ πυρί) Sensus esse videtur: *Is vobis divinam suam vim et potestatem luculentissimis documentis demonstrabit.* Πνεῦμα ἅγιον in universum est *vis potestasque divina.* Vid. supra c. I, 20. inter alia etiam beneficia divina ad animum pertinentia varii generis, Act. I, 5. II, 1. seqq. X, 46. XI, 16. 1 Cor. XII, 13. Hanc suam divinam vim et potestatem Iesus demonstravit docendo, miracula patrando, post mortem in vitam redeundo etc. atque sic non tantum Apostolos facultate docendi miraculaque patrandi, sed et alios homines religionis scientia variisque animi bonis et beneficiis largissime imbuit. Nam βαπτίζειν sensu metaphorico saepe est alios largissime imbuere aliqua re. Καὶ πυρὶ, quamvis in 88. codicibus omissum, *Griesbachius* pro genuino habet. Adversus numerosam iuniorum librorum turbam tuentur id magno consensu codices omnium antiquissimi et praestantissimi, e diversis sacri textus recensionibus derivati, hisque suffragantur versiones vetustae omnes, si Syram hierosolymitanam et Slavonicae libros recentiores excipias. Omittunt pauci codices graeci grandiusculo charactere exarati et Evangelistaria multa. In his autem, et iunioribus codicibus praetermissa sunt ista verba vel propter obscuritatem, vel ob locos Marci ac Ioannis parallelos, in quibus καὶ πυρὶ silentio praeteritur, vel denique ob lectionem

ecclesiasticam hic finientem. Copiose, ac, ut solet, accurate de hac lectionis varietate disseruit GRIESBACHIUS in *Commentario critico*. Quid autem erit *βαπτίζειν ἐν πυρί*; Variae sunt interpretum sententiae de horum verborum sensu. Nonnullis *ἐν πυρί* h. l. est *inter ignem, inter fulmina missa*, ut respiciatur ad historiam Act. II. Die nempe Pentecostes dona spiritus sancti data sunt inter fulmina et ignes. Sed ibi de Apostolis est sermo; hic vero de omnibus Iudaeis. Aliis *πῦρ* est Symbolum gravissimarum poenarum: ut sensus sit: *Largissime imbuet doctrina coelesti*, (eos, qui disciplinae eius se tradunt,) *aut gravissime puniet*, (eós, qui emendari nolunt.) Alii aliter. Quodsi vero conferamus v. 10. (*εἰς πῦρ βάλλεται*) et v. 12. (*τὸ δὲ ἄχυρον κατακαύσει πυρὶ ἀσβέστῳ*) vix dubitabimus, *πῦρ* etiam hoc comm. 11. esse Symbolum gravissimarum poenarum quas Messias improbis inflicturus est. Ergo *βαπτίζειν ἐν πυρί* erit: *gravissime punire*. Docet itaque Ioannes, cur dixerit, Messiam multo se esse maiorem. Is, inquit, qui post me munus suum auspicabitur, non tantum eximia dona largietur hominibus, sed etiam, ut dominus, immorigeros castigabit, quum ego, indignus eius servus et minister nihil aliud praestare possim nisi homines solemni baptismi ritu obstringere meliori vitae, et huic Messiae parare viam.

12. *οὗ τὸ πτύον — ἄλωνα αὐτοῦ*) *Qui ventilabro quod in manu habet, ventilabit frumenta sua.* Verbum *διακαθαρίζειν* ostendit, *ἄλωνα* non esse ipsam *aream*, sed *frumenta* extrita et in area congesta, acervum granis et paleis mistum. Verbum *διακαθαρίζειν* idem valet, quod verbum *λικμᾶν*, *ventilare*, *vannare*, quo verbo usi sunt Alexandrini in simili re, Ruth. III, 2. pro hebr. [illegible].

Tri-

Tritico comparantur boni homines, *paleis* mali, homines nauci. Sensus est: *Accurate discernit bonos et malos; perspicit etiam intimos recessus animorum* καὶ συνάξει — ἀσβέστῳ) *Et grana quidem condet in granarium, sed paleas* (stipulas) *cremabit igni inextincto.* Ἄχυρον non est *palea*, quae vento abigi solet; haec enim dicitur ἄχνη, sed totus *calamus* frumenti, a radice ad spicam, atque adeo *stramen*, hebr. תֶּבֶן, Exod. V, 7, *tribulo comminutum.* De variis triturandi modis vid. Bochart Hierozoicon. P. I. L. II. c. XXXII. p. 314. edit. Lips. 310. sqq. veteris. Plerumque Orientales utebantur plaustro, rotis instructo, quod factum erat ex asseribus dentatis, in quo aliquis sedit, atque iumenta agitavit, quae plaustrum trahebant. Paulsen *vom Ackerbau der Morgenlaender.* p. 110. sqq. Ἀποθήκαι non sunt horrea, sed *cavernae subterraneae*, in quibus Orientales frumentum, vinum et oleum asservare solent. cf. h. *Fabri Beobachtungen über den Orient* P. II. p. 463. Utitur hac voce *Aquila* Prov. III, 10. ubi Symmachus verit θησαυρὰς, LXX. ταμιεῖα. πῦρ ἄσβεστον significat talem ignem, qui non prius extingui potest, quam omnia consumserit atque deleverit. Solebant, postquam frumentum in horreum comportatum esset, paleae sub divo iacenti ignem immittere, quo citissime consumebatur, cum rapidus incendia flatus ventilaret. Sensus est: *Bonos tuebitur, a calamitatibus liberabit, et servabit; malos autem gravissime puniet.* Ipse erit doctor et iudex. cf. v. 11. βαπτίσει πυρί

13. Τότε — τῷ βαπτισθῆναι) sc. ἕνεκα. Paulo ante initium muneris sui adveniebat Iesus cum aliis Galilaeis, a Ioanne baptizari cupientibus. Narratur historia inaugurationis Iesu ad munus Messiae, sane memorabilis.

14.

14. χρείαν ἔχω ὑπ) opus mihi est ut baptizer abs te. Tui baptismi indigens sum. Nesciebat quidem Ioannes tum, Iesum esse Messiam, Io. I, 33. sed agnoscebat tamen in eo hominem ceteris longe praestantiorem. Non ignorabat, quantam exspectationem parentes, propinqui et amici Iesu de eo conceperant, et quam praeclare spem de se conceptam summae sanctitatis studio sustinuisset et confirmasset. Itaque ei dicebat: tu potius me venturo Messiae per baptismum obstringere debes. Cf. notanda ad illum locum Ioannis.

15. ἄφες ἄρτι) ἀφιέναι hic est *sinere*, ut infra VII, 4. 5. πληρῶσαι πᾶσαν δικαιοσύνην) *Cumulate satisfacere officio*, plene ac perfecte facere quod est ius, fas, (δίκαιον) nihil officii in ulla parte vitae munerisque reliquum facere. Interpretes hebr. מְשַׁפֵּט vertunt nunc δικαιοσύνην, nunc δικάιωμα, *praescriptum legis*. Christus nempe non egebat baptismo, quum nec peccatorum confessio, nec remissio peccatorum cum baptismo coniuncta in eum caderet. Volebat tamen a Ioanne baptizari, quia per hanc occasionem innotescere populo Iudaico (Io. I, 31.) et partim missa coelitus voce Filius Dei, partim Spiritu instructus adspectabili signo declarari debebat. Vid. Mori diss. *de Christo, demandatum sibi a Patre duplex negotium exsequente cum virtute etc.* in dissertt. Theologicis p. 320.

16. καὶ βαπτισθεὶς — ὕδατος) *Quum autem Iesus aqua tinctus, vix e fluvio ascendisset.* ἀνέβη εὐθύς, i. e. *vix ascenderat*. Non enim vult subito ascendisse Christum ex amne, sed ut ascenderat subito factum quod sequitur. In hunc ferme modum εὐθέως utitur *Marcus I*, 29. ἀνεῴχθησαν αὐτῷ οἱ οὐρανοί) *Discessit coelum eo* (Ioanne) *spectante*. Nonnulli putant Dativum αὐτῷ positum

situm esse pro: ἐπ' αὐτὸν, *super Iesum*, sed hanc interpretationem non ferunt leges grammaticae; est potius αὐτῷ Dativus commodi, et explicandus: eo *spectante*. *Coelum apertum est*, apud profanos tria significat: tonuit, nubes discesserunt, et lumen effulsit. Evangelium *Ebionit.* ap. Epiph. H. 30. Καὶ εὐθὺς περιέλαμψεν τὸν τόπον φῶς μέγα. Iustinus M. Dial. c. Tryph. p. 315. edit. Colon. πῦρ ἀνήφθη ἐν τῷ Ἰορδάνῃ. Discesserunt itaque nubes, et fulgura apparuerunt. ὡσεὶ περιστερὰν) Ambiguum videri posset loquendi genus. Potest enim intelligi aut *species columbae visa;* aut quod visum est, ita descendisse, quomodo columbae solent. Mihi posterius placet. Visus est nempe fulgor, non subito, (veluti quum aliquid dicitur ut sagitta i. e. celeriter de coelo delabi,) sed paullatim, ut columbae solent, descendens. Volatus enim columbae, descendentis praesertim, habet aliquid singulare. Aeneid. V, 217. Nec repugnat Lucas c. III, 22. Nam σωματικῷ εἴδει est *visibili specie*, non περιστερᾶς, sed ὡσεὶ περιστερὰν descendisse Spiritum, i. e. Symbolum Spiritus sancti dicit Evangelista. Hoc Symbolum autem in Iesum descendentis Spiritus s. erat fulgor eximius, ut die Pentecostes Act. II. et alias saepe in V. T. Τὸ πνεῦμα τοῦ Θεοῦ *descendens* igitur non erat persona Spiritus sancti; (huic enim, utpote omnipraesenti motus localis tribui non potest,) sed corporea quaedam, et quidem ignea species e nubibus delapsa, non tantum Iesu, sed et Ioanni ac populo adstanti visa, qua attenti reddebantur omnes qui tum forte aderant, ut cognoscerent, hunc Iesum muneri Messiae gerendo esse destinatum. Haec species corporea fuit *Symbolum externum* venientis super Iesum *Spiritus sancti;* vocatur enim τὸ πνεῦμα τοῦ Θεοῦ. *Dotes* eximias intelligi, plerique interpretes consentiunt, et confirma-

firmatur haec sententia ex locis, ubi Iesus, quicquid fecit ac docuit, ἐν πνεύματι fecisse ac docuisse dicitur, e. c. cap. IV, 1. XII, 28. Luc. IV, 18. coll. 21. Act. X, 38. Sed quaeritur, quales fuerint istae dotes Spiritus sancti cum Iesu tum, quum baptizaretur, communicatae? Haec difficilis quaestio dirimenda est non ex coniecturis, sed ex usu linguae Scriptoribus sacris peculiari. Est autem notissimum, hebraico loquendi usu, quem Scriptores N. T. perpetuo imitantur, רוּחַ, πνεῦμα saepissime dici de quavis animi virtute, et רוּחַ יהוה πνεῦμα Θεοῦ esse *permagnam et praestantissimam animi vim*. Persaepe exprimitur hac phrasi *magnus animus*, *fortitudo insignis* et *Spiritus Dei super homines praeclaros venisse dicitur*, quando insignis et plane singularis, vel etiam magnus animus iis accessit, ad magna negotia suscipienda. Cf. Iudic. III, 10. VI, 34. XI, 29. XIV, 6. 19. XV, 14. coll. XVI, 19. 20. Ies. LXI, 1. Quum igitur nostro loco τὸ πνεῦμα τοῦ Θεοῦ super *Iesum* descendisse dicitur, haud dubie sensus est, Iesum valde commotum animo iam firmiter decrevisse suscipere munus docendi, vel Messiae provinciam difficillimam, molestiis et maximis periculis plenam. Quare non sine caussa addit Lucas c. III, 21. accidisse hoc Iesu *inter praecandum* προσευχομένου (αὐτοῦ). Notitiis certe atque dotibus ad docendum necessariis tum temporis instructum esse Iesum, non est credibile. Hae enim per naturam rei unius horae spatio suppeditari haud possunt. Accedit, quod Iesus a primis pueritiae annis se ad munus docendi praeparasse, et sapientia crevisse dicitur, Luc. II, 40—52. ut taceam, propter intimam coniunctionem filii Dei cum homine Iesu novâ institutione non opus fuisse. Puto igitur Iesum hominem tum, quum baptiza-

tizaretur, excitatum esse ad suscipiendum forti animo difficillimum munus. In hoc suo proposito confirmatus est voce coelesti, cuius statim v. 17. fit mentio.

17. καὶ ἰδοὺ — ἠύδοκησα) *Et ecce vox e coelo exaudita est.* קוֹל יְהוָה saepe est *tonitru*, 1 S. XXIX, 3. seqq. XVIII, 14. et sic φωνὴ legitur etiam Apocal. VI, 1. Hebraei autem aeque ac Graeci et Romani fulmina et tonitrua annumerabant signis praesentiae Dei, et prodigiis divinitus factis, quorum significationem ex rerum circumstantiis diiudicabant. Vid. 1 Reg. VIII, 10. XVIII, 38. 39. Ovid. Fast. IV, 834. Virg. Aeneid. II, 693. Tonitru igitur Ioanni erat publica declaratio Dei, Iesum esse Messiam, et λέγουσα explicari debet: *quae indicabat, declarabat.* Cf. Io. VI, 71. Ps. XIX, 2. 3. 4. *Vitringa*, *Stephanus Morinus*, aliique quos Wolfius in curis ad h. l. nominat, verba haec: φωνὴ ἐκ τῶν οὐρανῶν intellexerunt de בַּת קוֹל, *filia vocis*, h. e. certo oraculi divini genere, quod in Iudaeorum scriptis frequenter memoratur. Sed illa *filia vocis* plerumque nihil aliud fuit, quam vox aut echo temere aliunde auribus allapsa, ex qua, divina ei origine adscripta, auguria captarunt homines superstitiosi; vel etiam vox hominum aliorum, quam ominis loco arripuerunt, et in rem suam interpretati sunt. Iudaeorum de *Bathkol* sententiam, adductis ipsorum locis exponit *Vitringa* in observatt. sacr. Lib. VI, c. IX. Cf. etiam *Lightfooti* horas Talmud. ad h. l. ὁ ἀγαπητὸς) Cum articulo, charissimus, dilectissimus. Ita proprie vocatus filius unicus. Graeci interpretes vocem יָחִיד quae unicum significat, solent vertere ἀγαπητὸν Gen. XXII, 2. 12. 16. Iud. XI, 34. Ier. VI, 26. ἐν ᾧ εὐδόκησα) Haec verba ex Ies. XLII, 1. leviter immutata et huc translata sunt. Phrasis autem εὐδοκεῖν ἐν τινὶ est

Heb-

Hebraismus 1 Par. XXVIII, 4. De significatu vocis *ἐυδοκεῖν* vid. *Raphelii* notas Polybianas, (p. 30. seqq.) qui etiam observat, indefinitum tempus hic adhiberi ad actum continuum indicandum, quemadmodum Graeci eo tempore uti consueverint de iis rebus, quae solent fieri, quaeque et sunt, et fuerunt, eruntque. Sensus huius vocis coelestis est: *Hic est filius meus, qui mihi placet, quo delector*, cuius mihi omnia et dicta et facta sunt probatissima, quique mihi in omnibus rebus ita satisfacit, ut nihil praeterea requiram. Declaratus itaque est Iesus modo maxime solenni pro filio Dei unico, et vero Messia. Nam *filius Dei* et *Messias* Iudaeis erant Synonyma. Quo sensu autem Christus esset *filius Dei*, hoc per Apostolos demum declaratum est. Digna sunt lectu, quae ad hanc narrationem monuit HERDERUS, in libro: *christliche Schriften. Zweite Sammlung. Vom Erlöser der Menschen; nach unsern drey ersten Evangelien*, p. 58. sq.

CAP. IV.

1. Τότε — ὑπὸ τοῦ διαβόλου) Multa sunt in hac narratione obscura, quae ad liquidum perduci vix possunt. Hoc tamen facile apparet, Iesum hominem, qui nunc inchoare vellet munus difficillimum et periculis plenum, iussu divino se in desertum contulisse, ut a populi commercio semotus, precibus, ieiuniis et meditationibus se praepararet muneri, et firmaret animum adversus gravissima pericula, molestias et tentationes, quibus se expositum fore facile praevidere potuit. Dicitur Iesus secessisse *εἰς τὴν ἔρημον*. Quaenam solitudo h. l. sit intelligenda non constat. Vulgaris opinio, quam etiam Michaelis probat, est, fuisse desertum Arabicum, Sinaiticum, itinere Israelitarum illustre. Aliis re-

verisimile est, intelligi desertum *Quarantaniae*, quod a Ierichunte tendit per montana Bethelis, valde horridum, duobus fere milliaribus cum dimidio distans Hierosolymis. Quare *Marcus* c. I, 13. addit, Iesum in solitudine fuisse cum feris bestiis. Vid. *Anton Friedr. Büschingii* Harmonia Evangelistarum, p. 7. 8. In hanc solitudinem actus esse Iesus dicitur (ἀνήχθη, pro simplici ἤχθη, ut Act. XVI, 34.) ὑπὸ τοῦ πνεύματος. Dudum explosa est eorum superstitiosa opinio, qui Iesum a malo daemone per aërem actum esse in desertum statuunt. Est potius ὑπὸ τ. πν. *instinctu et impulsu divino.* (Cf. Luc. II. 27.) *Lucas* habet c. IV, 1. Ἰησοῦς πνεύματος ἁγίου πλήρης ὑπέστρεψεν ἀπὸ τοῦ Ἰορδάνου κ. τ. λ. *Marcus:* τὸ πν. αὐτὸν ἐκβάλλει, *Spiritus eum exire iubet.* De vera notione vocis πνεῦμα ἅγιον cf. notata ad c. III, 16. Πειρασθῆναι ὑπὸ τοῦ διαβόλου. Infinitivus πειρασθῆναι non indicat consilium Iesu, sed eventum. Non secessit Iesus, ut se tentandum praeberet, sed ut vacaret precibus, ieiuniis et meditationibus. Quum autem his esset intentus, permittente Deo id evenit quod iam narratur. Πειράζειν, *experiri aliquem, quid valeat; sollicitare ad peccandum.* Iac. I, 13. Sollicitatus est igitur Iesus, ut aliquid faceret, quod munere nunc suscipiendo esset indignum, vel etiam a proposito munus hoc difficillimum et periculosissimum suscipiendi prorsus desisteret. Is, qui Iesu insidiatus est, vocatur ὁ διάβολος, ὁ πειράζων (v. 3.) et σατανᾶς (v. 10.). Διαβάλλειν non tantum est *calumniari*, sed saepe etiam *decipere.* *Hesychius* διαβάλλοντο explicat ἐξηπάτησαν. *Aristophanes* in Equit. πανουργότατον καὶ διαβολώτατον iungit, et huic tribuit τὸ ἐξαπατᾶν. Vox σατανᾶς origine est hebraica, שָׂטָן, quam LXX. modo ἐβίβλον, modo διά-

βο-

βολον reddiderunt. His igitur vocabulis describitur aliquis, qui dolo et astu alterum aggreditur, ut eum ad peccatum vel indignum aliquod facinus impellat. Qui autem hoc facit, est ὁ πειράζων, i. e. πειράζει. Saepe *hominibus* astutis et per fraudem insidiantibus tribui nomen *Satanae* et *diaboli*, dubio caret. Vid. 1 Chron. XXI, 1. Matth. XVI, 23. 1 Tim. III, 11. Interdum etiam homo pessimus, diabolica indole praeditus vocatur διάβολος. Io. VI, 70. Saepius in sacris litteris κατ' ἐξοχήν vocatur ὁ σατανᾶς et ὁ διάβολος malus ille daemon, qui pro auctore habetur omnium peccatorum et scelerum. Solenne est autem Scriptoribus sacris dicere, improbum illum Satanam dixisse vel fecisse, quod dixerunt vel fecerunt improbi et callidi homines, diabolica indole praediti, e. g. 1 Petr. V, 8. 2 Cor. XII, 7. 1 Thess. II, 18. Equidem non dubito, nostro etiam loco intelligendum esse hominem improbum, callidum, qui amicitiam simulans, impellere ad facinus aliquod indignum, vel etiam prorsus deterrere a proposito conaretur Iesum. Nam colloquia cum eo instituit; comitatus est eum etc. Nisi igitur anilibus fabulis de vi et potestate diaboli in alias formas se mutandi fidem adhibere velimus, concedendum sane erit, eum qui Iesum sollicitavit, fuisse hominem, sed hominem pessimum, callidissimum, et versutissimum simulatorem. Non continua serie istas tentationes se excepisse, quin potius adversarium per intervalla, prout sese offerret occasio, artium suarum fecisse periculum, scite iam observavit *Gottfr. Olearius* in observatt. in Ev. Matthaei p. 108. Quis is fuerit, id plane ignoramus; et ipse Iesus ignorasse videtur. Ignoramus etiam, unde pessimus iste noverit, Iesum esse Messiam? Potuit adesse, quum Iesus baptizatus et publice voce coelesti Messias declaratus est. Potuit ex col-

colloquiis cum Iesu institutis resciscere quis esset. Quid horum verum sit, plane ignoramus. Confer tamen ad v. 5. annotanda. Multo difficilior eorum videtur esse sententia, qui putant Iesum interne tantum tentatum esse, malis cogitationibus animo eius a diabolo suggestis, aut non revera, sed in visione prophetica, in somnio aut phantasia haec contigisse, ceu *Io. Clericus* in animadversionibus prim. edit. ad Hammondi Commentar. N. T. *Abr. Scultetus* in deliciis bibl. *Balthasar. Beckerus* et alii arbitrati sunt, quam sententiam exornare studuit *Hugo Farmer*, Anglus, in peculiari libro, quem *Schwager* in vernaculam nostram transtulit. Bremae 1777. 8. De interna tentatione explicarunt etiam recentiores. Vid. Beytr. zur Beförderung des vern. Denkens in der Religion. Heft 3. Cf. EICHHORN *allgem. Bibliothek der bibl. Litteratur*, Tom. III. Partic. 2. p. 281. seqq. PAULUS, Commentar. pag. 242. ss. omnino hic conferendus. Contra horum sententiam disputat STORR in *dissert. exeget. in libror. N. T. histor. aliquot loca*, p. 6. seqq. Novam coniecturam proposuit IMMANUEL BERGER, in libro: *Versuch einer moralischen Einleitung in das neue Testament* T. I. p. 106. seqq. Putat nempe Iesum hac narratione docere voluisse discipulos suos, cavendum esse a superstitiosis opinionibus de diabolo eiusque potestate, quia virtuti sint noxiae; sed spem Iesu, praeiudicium hoc evellendi ex animis discipulorum frustratam fuisse, dum hanc narrationem male intellexissent. Aliis tota haec narratio est mera fabula, diu post Christi mortem excogitata, aliis fabula moralis, parabolae similis. Varias aliorum expositiones recensuit et examinavit K. C. L. SCHMIDT, in den *exegetischen Beyträgen zu den Schriften des neuen Bundes*, periculo 5. et 6. Plura reperies apud KUINOELIUM, Commentar. ad h. l.

2. *καὶ νηστεύσας — ἐπείνασε*) Communis interpretum sententia semper fuit, et est, Iesum per 40 dies et noctes ab omni cibo et potu penitus abstinuisse. Sed recte monet doctissimus D. THADDAEUS, Academiae Bonnensis Prof. (in libello: *Versuchungsgeschichte Christi erklärt und von Widersprüchen gerettet*, 1798. 4.) *νηστεύειν, ieiunare,* saepe nihil esse aliud nisi *carere panibus*, et eiusmodi cibis, quibus alias vesci solemus, quo sensu etiam Moses et Elias per 40 dies et noctes ieiunasse leguntur, Exod. XXXIV, 28. coll. Deut. IX, 9. 18. 1 Reg. XIX, 6—8. Iesus nempe in desertum secedens non tulit secum panes et alia ad victum quotidianum necessaria, ut iter facientes in Orientis regionibus solent, sed herbis, radicibus, melle sylvestri etc. vitam sustentavit; idque eo consilio fecisse videtur, ut in munere suo, inopiam et famem facilius tolerare posset. Cf. etiam *Schulzius* ad h. l. qui *Thaddaei* sententiam probat, novisque rationibus confirmat. *ὕστερον ἐπείνασε*, i. e. vim famis ita sensit, ut vix resistere amplius posset, ut iam appetere *ἄρτου*, לֶחֶם, inciperet.

3. *καὶ προσελθὼν — γένονται*) *Et quum ad eum accessisset tentator, dixit: Si es Messias, iube verbo, ut hi lapides panes fiant.* Ὁ *πειράζων*, i. e. *πειράσης*, (Hellenistae enim saepe more Hebraeorum, qui verbalibus destituuntur, vice eorum participia usurpant,) *insidiator*, per fraudem ad peccandum sollicitans 1 Thess. III, 5. 1 Cor. VII, 5. Πειράζειν universe est *explorare;* saepius autem in malam partem sumitur pro *insidias struere*, *ad peccandum sollicitare.* Matth. XVI, 1. et locis modo citatis. Is igitur qui ad Iesum accesserat, voluit ei insidias struere, eumque impellere ut aliquid faceret, quod persona Messiae esset indignum. Primo ei

suasit,

suasit, *ut, si crederet se esse Messiam, miraculum ederet ad depellendum, quam tum sentiebat, famem.* Εἰ υἱὸς εἶ τοῦ θεοῦ, *si es Messias* (c. III, 17.) εἰπὲ, *iube verbo,* ἵνα οἱ — γένωνται, *ut hi lapides* (hic obvii) *panes fiant.* Brevius haec narratur. Videtur enim ὁ πειράζων de aliis etiam rebus collocutus esse cum Iesu antequam hoc diceret. Hoc videtur voluisse dicere: Non est credibile, vocem illam, qua nuper declaratus es Messias (c. III, 17.) fuisse divinam. Videris phantasia deceptus ipse imponere humeris tuis onus, cui ferendo eris impar. Quodsi tamen tibi persuades, a Deo ipso tibi esse demandatam Messiae provinciam, nunc fretus eius auxilio ad pellendam famem lapides hos muta in panes. Certe enim fame perire Deum pati Filium suum, indignum est, ut adeo certo tibi ex eo, quod μεταμόρφωσιν istam praestare nequeas, constare possit, te non esse Messiam. Speciosa sane oratio! Sed indignum persona Messiae fuisset, si abiecta fiducia in Deum, sui ipsius conservandi caussa miraculum fecisset. Adeo patiens malorum debuit esse Iesus, ut etiam cruci se affigi sineret, nec per miraculum impediret conatus hostium, nec descenderet de cruce. Ad solam aliorum hominum utilitatem concessa erat ei facultas patrandi miracula. Quare respondet Iesus:

4. οὐκ ἐπ' ἄρτῳ — στόματος θεοῦ) *Deus non tantum pane, sed quocunque etiam alio modo conservare potest vitam hominis.* Deut. VIII, 3. Ἐπὶ παντὶ ῥήματι, *quacunque re,* Luc. I, 37. Ἐκπορευομένῳ διὰ στόματος θεοῦ) *quod egressum fuerit ex ore Dei,* i. e. quod Deus constituerit et decreverit. Thren. III, 38. Iud. XI, 36. Vita hominis non pendet a pane, sed a voluntate et decreto Dei, qui non tantum pane, sed quacunque alia re potest conservare vitam hominis. Sic olim conservavit

vitam

vitam Israelitarum in deserto, Manna depluente. Non male *Rich. Simon* in notis ad Vers. Gall. ita παραφράζει verba nostra: *Homo potest vivere ex omni eo, quod Deus eum edere iubet.* Iesus ipse hactenus ex herbis, radicibus, melle et aliis rebus in deserto proventibus vixerat. HERDERO *(christl. Schriften*, fascic. 2. p. 75.) τὸ ῥῆμα ἐκπορευόμενον διὰ στόματος θεοῦ est ipsa vox Dei ad Iordanem e coelo missa, quae mentem Christi his diebus praeparationis ad munus occupaverit, et quasi aluerit. *Miſstrauen an dem Rufe war die Versuchung; und Glaube daran ohne Probe die Antwort.*

5. Τότε παραλαμβάνει — πόλιν) *Tum assumit* (et deducit) *eum deceptor in urbem sanctam*, Hierosolyma. Hoc non statim post primam illam tentationem, sed alio tempore factum esse videtur; nam particula τότε modo brevius, modo longius temporis intervallum indicat. Ridiculi sunt, qui Iesum a Diabolo in aërem sublatum, et Hierosolymam raptatum sibi persuadent. Παραλαμβάνειν significat haud raro *comitem sibi adiungere, eumque in aliquem locum abducere.* Matth. XVII, 1. Num. XXIII, 14. *Hermannus von der Hardt* (in Ephemerid. Philolog. disc. 1. de ala templi Hierosolym.) iam suspicatus est, hunc, qui Iesum deduxit Hierosolyma, fuisse quendam ex Primoribus Iudaeorum, insignem Iesu adversarium, cum eo congressurum, eumque coram synedrio rebellionis accusaturum. Quae opinio egregie conspirat cum iis, quae nos ad v. 1. monuimus. Qui obiiciunt, Iesum ante auspicia muneris sui Iudaeis ignotum fuisse, ii non cogitant, multos fuisse testes et spectatores inaugurationis eius solennis, c. III, 16. 17. Synedrio autem displicuisse et Ioannis baptismum, et Iesu consilium, quis dubitet? Quum igitur ὁ πειράζων, quisquis ille fuerit, videret, Iesum a pro-

po-

posito munus Messiae suscipiendi deterreri nullo modo posse, alia ratione aggressus est eum. Simulavit, se eius responsione (v. 4.) acquiescere, et suasit ei, ut iam Hierosolyma se conferret, ibique muneris auspicandi gratia, inspectante populo insigne aliquod miraculum ederet. Sine dubio Iesus Hierosolymis cibo se refecit; cur enim in urbe, ubi alimenta non deerant, abstineret a cibo, nulla potest excogitari idonea ratio. Hanc autem παρίσχασιν commemorari non opus erat, quum per se facile intelligatur. Ceterum *urbem Hierosolyma* Matthaeus, Hebraeis scribens, appellat urbem sanctam et infra c. XXVII, 53. sicut Ioannes in Apocalypsi, nimirum ex receptissima consuetudine. Siclorum inscriptio erat *Ierusalem sancta.* καὶ ἵστησιν — τῷ ἱερῷ) *et transfert eum in pinnaculum templi*, i. e. confert se cum eo in illud pinnaculum. De hoc pinnaculo variae sunt interpretum sententiae. Multi interpretes accipiunt de *porticibus*, quibus templum circumdatum erat. Sed obiiciunt alii, πτερύγιον nuspiam significare *porticum prope aedes vel aedem constructam. Krebsius de fastigio sive superiori parte templi* accipere mavult; sed dubitationem non tollit, quod Iosephus tradit, *fastigio templi* fuisse *obelos ferreos* affixos, ut ne aves ibi considere possent. *Wetstenius* intelligit *tectum* porticus regiae. Secundum descriptionem Iosephi columnarum huius porticus mediarum altitudo erat pedum centum: ipsius autem vallis profunditas quadringentorum cubitorum. Quanquam vero haec omnia sunt incerta, verisimile tamen est, porticum aliquam templi esse intelligendam. Nam πτερὸν et πτέρυγα architectorum esse vocem, et significare *alam*, porticum, vel quicquid a latere alicuius rei prominet, fuse ostendit *Gottfriedus Olearius* in *observationibus sacris* ad Ev. Matthaei. Porticibus autem circumseptam

fuisse aedem sacram Hierosolymitanam, omnibus notum. Porticus vero istae ingentibus lapidum molibus erant superstructae, quas ex profundissimis vallibus eduxerat Salomon, ut adeo ex istarum porticuum tectis praecipitia ista non sine vertigine oculorum spectari possent. Fuse eas describit Iosephus de B. I. L. VI. et Antiqq. I. VIII. Non per miraculum, sed ambulandi et colloquendi caussa τὸν πειρασὴν ascendisse cum Iesu in tectum alicuius porticus, per se clarum est. Plana enim fuisse plerumque tecta aedificiorum apud Orientales, et ita comparata, ut in iis ambulare, edere, dormire possent homines, res est notissima.

6. καὶ λέγει — σεαυτὸν κάτω) *Et dixit ei: si filius es Dei* (Messias) *fac te praecipitem ex hoc loco.* Suadet improbus ille Iesu, ut ex tecto, in quod eum eduxerat, demittat se, quo scilicet omnibus, in atriis proximis obambulantibus, filium Dei vel Messiam esse ipsum, innotescat. Insigni quodam miraculo, inquit, ostendendum est, te esse Messiam. Si igitur praecipitem te ex hoc loco conieceris, et mihi et omnibus aliis constabit, te esse quod putas: si facere vel non audeas, vel non possis, pone quaeso opinionem superbam, qui tantilla re, filium Dei te esse, probare non valeas. Ut vero vim argumento suo addat maiorem ὁ πειρασὴς versutissimus, promissionem quoque allegat divinam, qua omnibus piis singularem angelorum tutelam polliciatur Deus, certius profecto unice dilecto praestandam. Sic enim pergit: γέγραπται γὰρ — — τοὺς πόδας σε) *Scriptum est enim, angelis suis mandavit de te, ut te tueantur, ne ullo modo laedaris.* Ps. XCI, 11. 12. Τὸ ἄιρειν hic non declarat iacentem sublevare, sed *in manibus ferre et gestare*, hoc autem est *tueri*. Quod omissum vulgo creditur, *in omnibus viis tuis*, id, si sensum spectes, omissum non est. Quum enim

enim stilo Hebraeorum *via alicuius* significet *omnem vitam eius*, comprehenditur id κατὰ τὴν διάνοιαν in verbis περὶ σοῦ, ἀροῦσί σε, μήποτε προσκόψῃς τὸν πόδα σου. Fallacia potius tentatoris in eo erat, quod locum male applicabat ad caussam quae tum agebatur. In Psalmo promittitur piis auxilium in malis fortuitis, quae contingere poterant *aut insciis aut invitis*, non autem iis qui temere et sine iustis rationibus sese periculis obiiciunt.

7. ἔφη αὐτῷ — τὸν Θεόν σου) Πάλιν, *vicissim*, *e diverso*. Iesus nempe tentatori aliud scripturae oraculum opponit, ex Deut. VI, 16. Ἐκπειράζειν τὸν Θεὸν hic est, Dei *potentiam* aut *providentiam* velle amplius experiri, quam satis magna iam eius documenta apparuerint. Cf. etiam Ies. VII, 12. Act. XV, 10. Respondet igitur Iesus, non posse eum promittere sibi auxilium divinum, qui ex temeritate facere audeat quod sui officii non est.

8. Πάλιν παραλαμβάνει — αὐτῶν) *Alia vice deceptor in montem praecelsum eum deduxit, et universam Palaestinam, omnesque eius divitias ei monstravit.* Πάλιν, *alia vice*, *alio tempore*. Non enim videntur ea quae hic narrantur, continua série, sed per intervalla atque diversis temporibus contigisse. Novo dolo aggressus est Iesum nequam praevaricator. An is mons, in quem se cum eo contulit, fuerit *Nebo*, Deut. XXXIV, 1. vel *Quarantania*, vel alius, frustra quaeritur, tacente historia. Πᾶσαι αἱ βασιλεῖαι τοῦ κόσμου h. l. dictum esse videtur pro πᾶς vel ὅλος ὁ κόσμος, per τὸν κόσμον autem significatur ὁ Ἰσδαῖος κόσμος, h. e. *Palaestina*. Κόσμος enim saepenumero nunc *orbem terrarum universum*, nunc *certam illius partem* et *regionem* significat. Rom. I, 8. Non obstat, quod βασιλείας (*regna*) τοῦ

κόσμε monstrasse dicitur tentator. Nam Palastina descripta erat tum in varias regiones et partes, quibus praerant tres Herodis M. filii, Archelaus, Antipas, Philippus, qui non modo ἐθνάρχαι et τετράρχαι sed etiam βασιλεῖς in Evangeliis appellantur, atque adeo βασιλέυειν dicuntur. Matth. II, 22. XIV, 9. aliisque locis. Δόξα, hebr. בְּבוֹד regnis ita tribuitur, ut significentur eorum ornamenta, quae maxime amplitudine finium urbiumque multitudine, agrorum etiam fertilitate atque ubertate continentur, Vid. FISCHERI Proluss. p. 110. seqq. Quum Hierosolymorum moenia cincta essent multis montibus altissimis, (Ps. CXXV, 2) non dubitant interpretes quin ex unius illorum vertice tota Palaestina prospici potuerit; quum Deus etiam Mosi legatur e Nebo monte, qui erat trans Iordanem in Moabitide situs, ostendisse eandem terram. Deut. XXXIV, 1. seqq. Alii observare iubent, verba δεικνύειν, ὑποδεικνύειν, ἀποδεικνύειν non semper significare *monstrare digito*, sed etiam interdum, ut hoc nostro loco, *oratione ostendere* atque *menti repraesentare*. Matth. XVI, 21. Addunt, non propterea praecise τὸν περιπατῆσαι exspatiatum esse cum Iesu in montem, quod alia ratione δεῖξαι illam omnino praestare non posset: (hoc enim in ima valle, imo et spelunca quacunque facere potuisset,) sed loci simpliciter notari περίπασιν, (ut infra c. XVII, 1.) quae sane propterea hic magis fuerit observanda, quod ex ipsa ea occasionem novi experimenti captare potuerit tentator. Dum enim ita una in montis fastigio obambularent, et in vicinas quasdam provincias, populi Romani obnoxias imperio, pateret prospectus, de illis, viribusque earum, et opibus, totiusque adeo Romani imperii facie facile sermones miscere potuisse. Unde tentator occasionem

nem sumserit suadendi Iesu, quod ei suasisse mox dicitur. Multa egregie observavit in totum hunc locum *Gottfr. Olearius* in observatt. in Evang. Matthaei.

9. καὶ λέγει — προσκυνήσῃς μοι) Προσκυνεῖν h. l. non est adorare sensu stricto, quum aliquem precibus imploramus, sed est in sensu civilis *supplicare, prolabi in genua venerandi caussa* Cf. quae diximus de huius verbi significatione supra ad c. II, 2. Videtur tentator suasisse Iesu, ut regia potestate atque dignitate uteretur, et statim initio muneris occuparet imperium. Quam in rem pollicitus est ei fortassis suam opem. *Dabo tibi*, inquit, *omnia haec regna;* i. e. consiliis meis et efficacissima opera mea efficiam, ut imperio non tantum Iudaeae, sed et aliarum gentium omnium potiaris, modo mihi eum honorem exhibere velis, quem Reges minores Regibus maioribus exhibere solent. Aliter haec verba explicant, qui de malo spiritu cogitant, aliter, qui omnem hunc locum de cogitationibus pravis intelligendum esse opinantur.

10. τότε λέγει — λατρεύσεις) Ὕπαγε. Addunt ὀπίσω μου codices 123, (inter quos sunt CDL. 33. aliique praestantiores,) versiones pleraeque, et multi Patres, tam graeci quam latini. Omnino hic conferendus est GRIESBACHIUS in Commentar. crit. Ὕπαγε σατανᾶ, *apage Satana;* h. e. *dic meliora, scelus* s *pestis. Nam* שָׂטָן Hebraeis dictus est etiam *is, qui alteri dat consilia mala, inutilia, perniciosa; malus consiliarius* ut bene observat *Fischerus* (l. c p. 377.) qui etiam conferre iubet 2 Sam. XIX, 23. Iisdem verbis allocutus est Iesus Petrum, quum is aliquid consiliis divinis contrarium dixisset atque suasisset, Matth. XVI, 23. Cf. supra ad v. 1. notata. Verba, quibus repellit Iesus tentatorem, extant Deut. VI,

13. Verbum λατρεύειν LXX. interpretes interdum laxius usurpant, de quocunque genere cultus et venerationis. Negat Iesus se callidis consiliis seductoris obsecuturum, eique tanquam Regi honorem cultumque exhibiturum, sed soli Deo eiusque providentiae se suasque res esse permissurum.

11. τότε — ὁ διάβολος) Relinquit eum, cum dedecore victus, sua, quam conceperat spe, frustratus. καὶ ἰδοὺ — διηκόνει αὐτῷ) Putavit *Zach. Webberus* angelos Iesu ministrantes fuisse certos homines, cibum potumque ei afferentes. Sed non opus est, ut hoc statuamus. *Angeli*, s. boni illi Spiritus sunt ministri providentiae divinae; (vid. dicta ad c. I, 20.) et omnium piorum curam gerere dicuntur. Infra c. XVIII, 11. Innuitur ergo hoc loco, ut mihi quidem videtur, Christum ab eo tempore luculentissima providentiae, tutelae et benevolentiae divinae documenta expertum esse, et ipsa re cognovisse, vere divinam fuisse vocem illam coelestem c. III, 17. Cf. etiam Io. I, 52. qui nostro loco plane est similis.

12. Ἀκούσας — τὴν Γαλιλαίαν) Sequitur *tertia* pars Evangelii, continens narrationem de dictis et factis Christi in Galilaea, quibus se Messiam esse demonstravit. Res gestae Iesu maxime memorabiles narrantur v. 12. huius cap. ad XI, 1. Omisit Matthaeus quasdam historias a Ioanne c. I, 25. seqq. relatas, (quemadmodum Ioannes vicissim omisit historiam tentationis) et statim ad narrationem eorum, quae in Galilaea gessit et dixit Iesus, progreditur. Refert autem Matthaeus, Iesum secessisse in Galilaeam, quum percepisset Ioannem traditum esse, ὅτι Ἰωάννης παρεδόθη, nimirum εἰς φυλακήν, Ioannem captum esse. Cum multi et ad tumultum spectantes de Ioannis custodia ab auditoribus eius spargerentur sermones, Iesus eis se im-

mis-

miscere noluit, ideoque secessit in Galilaeam, (cf. Cap. XIV, 5. XXI, 26. Luc. XX, 6.) non Herodis, sed Philippi; nam huic pars maritima, in qua Bethsaida et Capernaum, obvenerat. Fuerunt etiam aliae caussae, cur potius in Galilaea, quam Hierosolymis et in Iudaea, inchoare vellet Iesus munus docendi. Nam Hierosolymitani et Iudaeae incolae, audito Messiae nomine, statim ad seditiones erant proni. A procerum autem insidiis vix fuisset tutus in iis regionibus. Denique Galilaeis, a Iudaeorum doctoribus paene neglectis, praecipue opus erat tali doctore. Nexum chronologicum egregie illustravit Michaelis ad h. l.

13. *καὶ καταλιπὼν - τὴν παραθαλασσίαν*) Rationem, cur Nazaretham, ubi initium docendi fecerat, relinqueret Iesus, legimus Luc. IV, 16—30. *Εἰς κατ. τ. παραθαλασσίαν*, ad lacum Genesareth. Pro *καπερναὲμ* constanter scribunt *Καφαρναὲμ* Codd. BCD. 33. Borgiae fragmentum graeco sahidicum antiquissimum, versiones nonnullae cum patribus quibusdam. Oppidum illud dictum omnino fuisse Capharnaum, dubio caret; nam hoc nomen conflatum esse videtur ex כְּפַר *vicus* et נַחוּם *consolatio*, *vicus consolationis*. Παραθαλάσσιος, *maritimus*, *mari adiacens*, in versione Alexandrina legitur pro הַיָּם—עַל—עֵבֶר, *ad littus maris* 2 Paral. VIII, 17. Hebraeis etiam lacus maria vocari solent. Capernaum, urbs valde amoena, in qua Petrus et Andreas habitabant, maxime opportuna erat Iesu. Fuit enim emporium florentissimum, et tum Iudaeis tum Gentilibus frequentatum.

14. Cf. Ies. VIII, 23. IX, 1. ubi Propheta satis clare describit aetatem auream, sive felicitatem melioris cognitionis, impertiendae Israelitis per Messiam. Sensum exhibet Matthaeus, non singula Iesaiae verba.

15.

15. γῆ — ὁδὸν θαλάσσης) i. e. *incolae terrae Sebuloniticae et Naphtaliticae, adiacentis mari* (κατὰ) τὴν ὁδὸν vel παρά τὴν ὁδὸν; regio quam homines maritimo itinere adire solent. Non intelligendum esse hic *mare mediterraneum*, sed *lacum Tiberiadis*, sive *mare Galilaeae*, vel inde patet, quia hoc mare est in terra Zabulon et Naphthali, ibi quidem ad Australem, hic vero ad Septentrionalem partem. πέραν τοῦ Ἰορδάνου, i. e. παρὰ τὸν Ἰορδάνην, *ad Iordanem*, ad exemplum hebraeae vocis עֵבֶר, quae non tantum *trans*, sed et *iuxta*, *circa*, *ad*, significat. Regiones enim, de quibus h. l. sermo est, respectu Iesaiae, in Palaestina scribentis, non *trans*, sed *cis* Iordanem iacuerunt. γαλιλαία τῶν ἐθνῶν,) cf. 1 Macc. V, 15. Symmachus vertit; ὅριον τῶν ἐθνῶν, quia Galilaea, inprimis superior, vicina fuit gentibus, Syris nempe ac Phoeniciis, et multi ex his vicinis gentibus habitabant inter ipsos Iudaeos. Veteres enim duplicem faciunt Galilaeam, quarum alterum Γαλιλαίαν ἐθνῶν vocant, vicinam Tyriorum finibus, alterum in Iudaea collocant, circa Tiberiadem et stagnum Genesareth. Vid Eusebii et Hieronymi loca apud *Adrian. Relandum* in Palaestina Sac. p. 183. s.

16. ὁ λαός — φῶς μέγα) *Populus, qui versabatur in tenebris, vidit lucem insignem, et illis, qui versabantur in regione maxime tenebricosa lux effulsit*, i. e. populus *in tristi ignorantia vivens, et calamitatibus pressus, luce doctrinae* coelestis *illustratur*. Κάθημαι, *dego*, *habito*, ut hebr. יָשַׁב Σκότος significat metaph. et *calamitates*, et ignorantiam et errores. Φῶς μέγα, magna lux cognitionis, et magna felicitas. Iudaei et Messiam vocabant lucem, et loca V. T. in quibus lucis fit mentio, ad Messiam trahere solebant. καὶ τοῖς καθη-

μέ-

μένοις — ἀνέτειλεν αὐτοῖς) *Degentibus in regione, ubi nonnisi superstitio tristis et calamitas, oritur lumen cognitionis.* Ἐν χώρᾳ καὶ σκιᾷ θανάτου est ἐν διὰ δυοῖν, pro χώρᾳ σκίας θανάτου hebr. צַלְמָוֶת, eimmeriae regiones. Vel ἐν ᾅδου, qui diu iam quasi mortui sine spe in vitam redeundi iacuerant. Αὐτοῖς, Pleonasmus Hebraeis frequens. Non fortuito factum esse docet Matthaeus, ut Christus in Galilaea praecipue doceret.

17. Ἀπὸ τότε — οὐρανῶν) Non statim publice dixit Iesus, se esse Messiam, sed praeparavit tantum animos, uti Ioannes fecerat. Cf. dicta ad Cap. III, 2.

18. Iam tempus erat, ut Christus ex discipulis aliquos eligeret, quos familiares haberet, et testes omnium, quae faceret, ac doceret, et per quos deinceps institueret alios, Περιπατῶν — ἁλιεῖς) ὁ Ἰησοῦς deest in Codd. plurimis. Additum videtur ab iis, qui ab hoc commate Lectionem ecclesiasticam incipiebant, non addituris, si comma praecedens etiam legissent. Hebraeis שִׁמְעוֹן (a radice שָׁמַע, *audivit, obedivit*) Συμεὼν vocabatur 2 Pet. I, 1 Graecis et Hellenistis Σίμων, Latinis Simo. Ἀνδρέας est Nomen Graecum. Ex quo dominatio successorum Alexandri Iudaeam occupavit, multa vocabula Graeca in linguam Iudaeorum irrepsere: unde factum ut reges, tetrarchae, pontifices et plurimi de plebe nomina etiam haberent Graeca. Pugnare videtur haec narratio de Petri et Andreae vocatione cum Ioannis narratione c. I, 37. seqq. Non autem esse pugnam, ostendemus ad Io. I, 41—43. Ceterum non Pharisaeos, non Sacerdotes, non opulentos sibi delegit Christus, sed *piscatores* i. e. pauperes, et indoctos. Nota piscatorum paupertas, et proverbio dictus ἁλιέων βίος. Tales elegit Christus, tum ut molestias eo facilius ferrent,

tum

tum praecipue ut manifestum fieret, doctrinam Christi a Deo traditam esse, suaque se evidentia commendare. Sic suspicio non poterat habere locum, assensum plebis aut vi extortum, aut pecunia emtum, aut artibus oratoriis captatum fuisse 1 Cor. I, 18 - 31.

19. *δεῦτε ὀπίσω μου*) Sic reddunt LXX. לְכוּ אַחֲרָי 2 Reg. VI, 19. Δεῦτε est adverbium, *hortandi* vel *accersendi* vim habens, *huc adeste*, et per ellipsin subintelligitur ἐλθὲ, vel ἔλθετε. Tota phrasis idem significat quod ἀκολουθεῖν v. 20. 22. Hoc loco vertenda sunt haec verba: *estote discipuli mei*. Nam discipuli Iudaeorum magistros suos, quocunque terrarum ambulabant, sequebantur. *ἁλιεῖς ἀνθρώπων*) Vid. Ezech. XLVII, 10. Metaph. Efficiam, ut qui nunc pisciculis insidiamini in perniciem, homines capiatis in salutem aeternam. Ihr sollet mir Menschen *anziehen* lernen.

20. *εὐθέως — ἠκολούθησαν αὐτῷ*,) statim tanquam discipuli comitati sunt eum. Neque tamen existimandum est, illos temere et sine iudicio, vel repentino quodam impetu animi incitatos hoc fecisse. Andreas, cum discipulus Ioannis antea fuisset Io. I, 41. a magistro suo praeparatus et ad Iesum deductus est; multa de Iesu fama perceperant; Christum ipsum viderant et audiverant. Cf. etiam Luc. V, 1 – 11.

21. *Ἰάκωβον τὸν Ζεβεδαίου*) Sc. *υἱὸν*. Hic autem Iacobus dicitur *maior*, sive aetate, sive statura, ut discernatur a Iacobo minore, Marc. XV, 40.

23. *Περιῆγεν — γαλιλαίαν*) *Peragravit totam Galilaeam.* Verbum *περιάγειν* usurpatur transitive pro הַעֲבִיר *transmittere, transferre*, Ezech. XXXVII, 2. et intransitive, ut hic, omissa voce *ἑαυτὸν, circumire, obambulare*,

re, *peragrare* pro עָבַר, vel סָבַב. ἐν ταῖς συναγωγαῖς αὐτῶν) Vox haec συναγωγὴ tam late patet, quam hebraea עֵדָה aut latina *conventus*. Deinde vero coepit et ad loca transferri, in quibus conventus rerum sacrarum gratia habebantur, ut Luc. VII, 5. *Schola Iudaica*, sive locus publicus, in quo Iudaei conveniebant, ut docerentur, et preces peragerent. In V. T. nulla fit Synagogarum mentio: unde colligitur, post reditum demum ex babylonica captivitate aedificari coepisse. Magno autem fuerunt numero, tum in Palaestina, tum alibi. Conveniebant in Synagogis ad legem legendam ter singulis hebdomadibus, die secundo, quinto, et septimo, praeter tempora festorum et ieiuniorum solennium; quolibet autem die mane, et vesperi ad preces. Christus et Paulus iure communi et potestate, a Praefectis Synagogae cuilibet, quem idoneum iudicabant, promiscue concedi solita, usi sunt, cum in Synagogis et legerent et praedicarent. Luc. IV, 15. 21. Act. XIII, 14. 15. 16. Multa et notatu digna congessit *Campeg. Vitringa* de Synagoga vetere. Edit. alt. Leucopetrae 1726. 4. τὸ εὐαγγέλιον τῆς βασιλείας) Breviter dictum pro: εὐαγγέλιον περὶ τῆς βασιλείας τοῦ θεοῦ, s. τῶν οὐρανῶν. Vid. supra c. III, 2. Docuit igitur Iesus, adesse tempus, quo Deus per Messiam olim promissum sit collecturus hominum societatem sibi praecipue caram, in hac et futura vita felicem et vere beatam. πᾶσαν νόσον, *omnis generis morbum*. Vox πᾶσα hic, ut alibi indefinite sumitur pro generibus singulorum, ut hebraicum כֹּל Deut. XXVIII, 61. Gen. XL, 17. et multis aliis locis. Μαλακία, proprie *mollities*, deinde *languor corporis*, morbus *diuturnus* et *chronicus*. Apud Medicos ignaviam stomachi significat, quam aliter vocant κίτταν. Interdum

tam

tam late patet, ut dolorem malumque omne includat, respondens Hebraeis vocibus מַכְאוֹב ut Iobi XXXIII, 19. et אָסוֹן ut Gen. XLII, 4. Hesychius: *μαλακία, νόσος. μαλακίζεσθαι, ἀσθενῶς διακεῖσθαι, νοσηλεύεσθαι.*

24. Ἡ ἀκοὴ αὐτοῦ) *fama, rumor de eo,* hebr. שֶׁמַע, et sic adhibent Symmachus et Theodotion Ies. XXIII, 5. Hesych. ἀκοὴ, φήμη. Sed apud optimos quoque scriptores Graecos ἀκοὴ significat *famam*, ut ostendit *Pfochenius* illo Thucydidis loco I, 20. τὰς ἀκοὰς τῶν προγεγενημένων ἀβασανίστως παρ' ἀλλήλων δέχονται. Αὐτοῦ, est genitivus obiecti. ἀπῆλθεν, יָצָא, *exiit.* εἰς ὅλην τὴν Συρίαν) Galilaeae conterminam. τοὺς κακῶς ἔχοντας) sc. ἑαυτοὺς, male se habentes, i. e. aegrotos. βασάνοις συνεχομένους) cruciatibus constrictos, vel compressos. ἡ βάσανος proprie est coticula, qua aurum exploratur, Lapis Lydius. Transfertur autem ad quascunque quaestiones, etiam tormentorum. H l. significantur cruciatus atque tormenta morborum. συνέχειν, *comprimere, cruciare, affligere.* Hesych. συνεχόμενον, ἐναντιούμενον, ἀῤῥωστοῦντα. δαιμονιζομένους) Apud Graecos media est vox δαίμονος. Hellenistae vero *Angelos lucis* noluerunt appellare *Daemonum* vocabulo, sed in detestationem paganicae superstitionis nomen id proprium esse voluerunt Spiritibus noxiis, quos Graeci discriminis caussa κακοδαίμονας, veteres Latini *Veioves* appellarunt. Graeci δαιμονῶντας dixere eos, qui ira divina exagitarentur, ut Euripides Phoenissis: ὡς δαιμονῶντας κάτατρέψαντας πολιν. Κακαδαιμονᾷν est apud Aristoph. in Pluto Act. II. Scen. 4. ubi extremam dementiam, furorem vehementissimum indicat. Habet δαιμονίζεσθαι Plutarch. Symp. Q. VII, 5. in fine. Iudaeis usitatissimum

mum erat, morbos quosdam graviores, eos praesertim, quibus vel distortum est corpus, vel mens turbata et agitata phrenesi, malis spiritibus attribuere. *Iosephus* Antiq. VI, 8. 2. τὸν Σαῦλον περιῆρχετο πάθη τινὰ καὶ δαιμόνια, πνίγμους αὐτῷ καὶ σπαργάνας ἐπιφέροντα. Contra hanc Saulo a daemonibus illatam perturbationem, (πρὸς τὴν ἀπὸ τῶν δαιμόνων ταραχὴν —) Davides solus erat medicus. Idem *Iosephus* Eleazarum quendam liberantem obsessos ex potestate Daemonum refert. Modum curationis his describit verbis: προσφέρων (Ἐλεάζαρος) ταῖς ῥισὶ τὸ δαιμονιζομένου τὸν δακτύλιον, ἔχοντα ὑπὸ τῇ σφραγῖδι ῥίζαν ἐξ ὧν ὑπέδειξε Σολομών, ἔπειτα ἐξεῖλκεν ὀσφραινομένῳ διὰ τῶν μυκτήρων τὸ δαιμόνιον. Antiq. VIII, 2. 5. Sunt multi in ea opinione, Daemoniacos, quorum in Evangeliis fit mentio, fuisse morbis ex naturalibus caussis ortis, affectos, Christum autem et Apostolos se accommodasse loquendi modo apud Iudaeos recepto. Daemoniacos vocatos esse insanos, furiosos vel modo aliquo mente laesos, contendit *Hobbesius*; (in Leviath. c. 8.) epilepsia, vel alio graviori morbo cum distorsione corporis et perturbatione mentis coniuncto affectos, *Thom. Bartholinus*, lib. de morbis bibl. art. 19. Iudaei omnes morbos graviores et fere insanabiles, a malis geniis derivare solebant, qui aegrotorum corpora obsessa tenerent. Evangelistae horum hominum sanationem referentes, partes historicorum agunt, sequuntur usum loquendi, et sanationem tanquam miraculum proponunt, non autem morbum ipsum explicant, nec suum iudicium apponunt. Prolixe hunc locum tractat, et multis argumentis sententiam illam confirmat *Wetstenius* ad h. l. Nostra aetate de daemoniacis et lunaticis multum disputatum est. Vid. *Semleri* diss. de Daemoniacis, quorum in Evangeliis fit mentio 1760. et *umstand.*

staendliche Untersuchung der daemonischen Leute 1762. Adde *Hugh. Farmer's Briefe an D. Worthington über die Daemonischen in den Evangelien.* Cum not. et praefat. *Semleri* Halae 1783. D. *Theodori Gerh. Timmermanni Diatribe antiquario — Medica de Daemoniacis Evangeliorum.* Rintelii 1786. 4. Contrariam sententiam cum multis aliis defendit *Hessius* in libro: *Ueber die Lehren, Thaten und Schicksale unsers Herrn* Sect. 8. σεληνιαζομένους) Lunatici sunt, qui mente moti furore corripiuntur, et pro ratione lunae putantur plus vel minus moveri, morbo comitiali laborantes. παραλυτικούς) *Celsus* παράλυσιν transfert nervorum resolutionem, et Paralytici sunt *enervati, languentibus et debilitatis corporis membris,* vel *apoplectici, vom Schlagfluſs getroffene Menschen.* Sic 1. Maccab. IX, 55. de *Alcimo*, dicitur: ἐπλήγη, et mox: καὶ παρελύθη, καὶ οὐκ ἐδύνατο ἔτι λαλῆσαι λόγον. Ceterum eo consilio miracula edidit Iesus, ut homines attenti redderentur, et ad se libenter audiendum suaviter invitarentur. Quo successu, statim dicitur.

25. Δεκαπόλεως) δεκάπολις, regio decem habens civitates. In enumeratione autem decem illorum oppidorum scriptores geographici variant. *Relandi* Palaestina, I, 33. *Büsching* Harmonie der vier Evangelisten, p. 63. seqq. *Bellermann* Handb. der bibl. Literatur. Th. III. *Plinius* et Iosephus *Decapolitanam* regionem lateri Syriae adiungunt. *Plin.* Hist. Nat. L. §. 16. In his Decapolitanae regionis urbibus erant quidem gentiles, sed et permulti Iudaei.

CAP.

CAP. V.

1. Ἀνέβη εἰς τὸ ὄρος) τὸ ὄρος significat certum et notum montem, Taborem, vel alium urbi Capernaum vicinum. Infra VIII, 5. καθίσαντος αὐτὸς) *Cum ibi consedisset.* Subintell. ἑαυτὸν, nam καθίζειν significat collocare. Προσῆλθον αὐτῷ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ) Μαθητὴς, hebr. תַּלְמִיד, *discipulus.* De *Christi* discipulis hoc vocabulum usurpatur sensu *strictiori* de duodecim, posthac sic dictis Apostolis Matth. X, 1. sqq. quibus etiam 70. discipuli annumerari possunt, Luc. X, 1. sensu autem *latiori* de omnibus doctrinam Christi profitentibus, e. g. Luc. XIV. 26. Act. VI, 1. qui postea Χριστιανοὶ dicti sunt. Act XI, 26. Hoc loco de discipulis dicitur: προσῆλθον αὐτῷ, nempe propius accesserunt Iesu discipuli, quam turba: sed docuit omnes, et discipulos et populum, quod manifeste patet ex cap. VII, 28. 29. Ex ipso tamen argumento patet, orationem *praecipue* ad discipulos spectare; nam enunciata quaedam in ea obvia non ad omnes auditores, sed ad solos Apostolos pertinebant, e. c. c. V, 12 — 16. 20. VI, 20. sqq. Pleraque autem virtutis praecepta hac oratione comprehensa, ita comparata sunt, ut ab omnibus cuiusvis conditionis hominibus observari possint et debeant. Davides Iulius Pott in dissert. *de natura atque indole orationis montanae, et de nonnullis huius orationis praeceptis* (Helmst. 1788. 4.) hanc orationem uno quasi tenore a Christo habitam, seu virtutis praecepta, quibus haec oratio continetur, ullo arctiori vinculo invicem iuncta esse negat, contenditque quamlibet plerumque sententiam per se spectandam esse, sententiarum antecedentium et sequentium nulla ratione habita. Storrius contra

tra (in dissert. exeget. supra laudata p. 15. 8.) montanam orationem, prout a Matthaeo tradita est, omnino cohaerere censet, atque nexum explicare conatur. Cf. C. Gottfr. Ienichen, *de consilio, quod Iesus in oratione, quae dicitur montana, secutus est.* Viteb. 1788. *Untersuchungen die wahre Ansicht der Bergpredigt betreffend von D* Iohann Wilhelm Rau. Erlangen 1805. 8. Kuinoelii Commentar. ad h. l. qui plures scriptores laudat. Equidem facile largior, orationem hanc non esse dispositam ad legem scholae; sed argumentum ipsum docere videtur, scopum Iesu primarium fuisse, ut corrigeret falsas Iudaeorum de regno Messiae notiones, et doceret, qualis sit felicitas, in eo regno expectanda, mentisque ad eam consequendam necessariae formam copiosius et expressius declararet. Nimirum eo tempore, quo Iesus hunc sermonem habuit, et doctrina sua plane admirabili, et miraculis, quae eum a Deo missum esse, aperte loquebantur, iam omnium oculos ita in se converterat, ut maxima hominum multitudo ex Galilaea, Decapoli, Hierosolymis, totaque Iudaea, regionibus item ad Iordanem sitis (c. IV, 25.) ad audiendum ipsum accurreret, eumque sequeretur. Sed huius multitudinis maxima pars erat ignobilis, opibus minime affluens, eamque ipsam ob causam contemtui flori populi, Principibus, Pharisaeisque et Sacerdotibus. Multi sperabant a Iesu, quem Mose nihil inferiorem existimabant, saltem felicitatem a Mose promissam, rerum omnium affluentiam, et si quae alia sunt, quae hominem in hac vita beatum reddere creduntur. At eius rei exigua hucusque spes affulgebat, quum sortis essent parum optabilis, quotquot eum hucusque secuti fuerant. Docet igitur sequenti hoc sermone Iesus, quid expectandum, quid sequendum sit iis, qui se in eius disciplinam tradituri essent.

Que

Quo autem attentiores reddat auditores, doctrinam suam proponit per enuntiata quaedam paradoxa, quae prima quidem specie falsa videntur, considerantibus autem verissima esse agnoscuntur. Vulgo divites, opibus suis superbientes, soli beati. Ut Iudaei in hoc cum vulgo sentirent, suadebat ipsa religio, non Sadducaeis solum, verum etiam Pharisaeis, qui quum donaria templi et multitudinem sacrificiorum mirarentur, putabant eos Deo esse gratissimos, qui maiores hostias et plura dona afferrent. Huc accedit, quod se honoribus et divitiis a Messia cumulatum iri sperabant. Iesus autem docet, regni divini beatitudinem longe esse aliam ac Iudaei expectare consueverant, simulque diserte tradit, quid vitare, quid sequi debeant huius felicitatis studiosi, inprimis vero discipuli interioris admissionis, qui successores Prophetarum evadere (c. V. 12.) aliisque non doctrina modo, sed exemplo etiam praelucere debebant. (v. 14. sqq. VII, 22.)

2. Καὶ ἀνοίξας — λέγων) *Tunc hoc modo eos docuit.* Phrasis ἀνοίγειν τὸ στόμα per se spectata non quidem habenda est in Hebraismis; sed verbis dicendi saepenumero ita praemitti solet in libris N. T. ut nihil illis ponderis addat.

3. Μακάριοι οἱ πτωχοὶ τῷ πνεύματι) *Beati, qui animum humilem et submissum habent.* Lucas in loco parallelo omittit vocem πνεύματι, quam proinde non admodum urgeri vult *Clericus*, et post eum *Schulzius* in notis et dubiis ad *Michaelem.* Qui aliter sentiunt, ii disputant, quo vox ista pertineat, utrum ad μακάριοι, an ad πτωχοὶ. Posterius amplectuntur plerique omnes. Alii τῷ πνεύματι ad μακάριοι referre malunt, ut sensus sit: *Pauperes sunt beati spiritu*, quoad animum. Quum autem durior sit haec interpretatio, omnino praeferenda

videtur eorum sententia, qui *τοῖς πτωχοῖς πνεύματι* coniungere malunt. Quod sensum attinet, multi per *pauperes Spiritu* intelligunt eos, qui non fortuna tantum, sed et animo ac voluntate pauperes sint, hoc est, sorte sua contenti placide in providentia divina acquiescant. Sed huic sententiae forsan aliquis opponat, quod hac explicatione admissa, videatur Christus verbis *μακάριοι οἱ πραεῖς* (v. 5.) dicere illud, quod significari volunt nostro in loco. Mihi nunc placet *Vorstii* sententia, (Philolog. Sacrae cap. IV, p. 134. s. edit. Fischer.) qui *πτωχὲς* cum *πνεύματι* coniungit et *πτωχὲς πνεύματι* eosdem esse putat cum *ταπεινοῖς*, seu *ταπεινοῖς τῇ καρδίᾳ*. Iac. IV, 6. Nam hebr. עני, quod LXX. interdum exprimunt *πτωχὸς*, significat non tantum *pauperem*, sed et *afflictum, humilis et contemtae sortis hominem*, *ταπεινὸν* ut Ies. XXVI, 6. *Τῷ πνεύματι* est Casus sextus, quo sane Graeci non carent. Quemadmodum igitur latine dicitur *quietus animo*, *pede brevis*, is, *qui animum quietum*, *qui pedem brevem habet:* sic etiam *πτωχὸς τῷ πνεύματι* dicitur, qui habet *πνεῦμα πτωχὸν*, *animum humilem et submissum*, qui abiecte coram Deo de se sentit, peccata sua et vilitatem suam agnoscit, Deo se submittit, et normam sibi a Deo datam non spernit Cf. Iac. IV, 6. Luc. IV, 18. VII, 22. Matth. XI, 5. Illi submisso animo praediti *beati sunt*, sc. quoad animum; nam de externa fortuna hic non est sermo. Caussa, cur beati sint praedicandi, haec additur: *ὅτι αὐτῶν ἐστιν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν*, *nam ad eos pertinent beneficia regni Dei;* facile possunt adoptari in societatem, quae Deo nunc colligitur, eiusque societatis frui iuribus et beneficiis, facile possunt eo adduci, ut discipuli mei fiant. Quid sit *ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν*, explicavimus supra ad c. III, 2.

4.

4. μακάριοι — παρακληθήσονται) *Beati sunt lugentes*, (calamitatibus pressi,) *accipient enim consolationem*, recreabuntur. Πενθεῖν h. l. per metonymiam effectus pro caussa est, *incommoda, calamitates perpeti*. Hoc paradoxon, intelligendum est comparate. Multo feliciores sunt lugentes illis, qui semper fruuntur rebus secundis, et propter eas perpetuo gaudent. Παρακληθήσονται autem verti debet: *facile consolationem accipere* vel recreari *poterunt*. Non uno sensu verum est hoc paradoxon. Dolores saepe sunt gaudii principia. Saepe voluptatibus immersus, morte amici vel alio casu duriori excitatus est, ut in se descenderet et mores emendaret. Vita humana perpetua laetorum et tristium vicissitudine transigitur; feliciores autem sunt, quorum luctus desinit in gaudium illis, quorum gaudium desinit in dolorem. Ies. XXII, 12. 13. Io. XVI, 20. Iac. I, 12. Rom. V, 3. 4. 5. Kuinoelio οἱ πενθοῦντες videntur potius esse ii, qui in moerore versantur ob sua peccata et delicta, et respici putat ad locum Ies. LVII, 18. Sed in nostro loco verbo πενθεῖν nihil additur. Enunciatio est universalis. Verum tamen est, ob sua peccata in moerore versantes, consolationem esse accepturos, adeoque sub universali notione lugentium comprehendi posse.

5. μακάριοι οἱ πραεῖς — τὴν γῆν) Τοὺς πραεῖς non intelligo ex Hebraismo *vi et oppressione aliorum miseros*, sed *mites et mansuetos*, qui opponuntur iracundis et ferocibus. Iam vulgus putat, ignavi esse, de iure suo aliquid remittere, aut illatam iniuriam non ulcisci. Veterem iniuriam ferendo invitari novam. Iesus autem mites et mansuetos beatos praedicat. Nam, inquit, κληρονομήσουσι τὴν γῆν, i. e. *quiete et tranquille in terra vivent*. Verba sunt petita ex Ps. XXXVII, 11.

Κληρονομεῖν, ירש, *possidere. Terram autem possidere dicuntur*, qui in ea terra, in qua vivunt, vitam tranquillam et quietam transigunt. Experientia teste scimus, iram praecipitem funestos habere exitus; veterem iniuriam ulciscendo provocari novam; facilitate contra nihil esse homini melius. Infra v. 38—48. Cf. Prov. XXII, 24. 25. XV, 1. XXV, 8. 15.

6. μακάριοι — χορταθήσονται) *Beati qui religionem et virtutem vehementer appetunt, nam voti compotes fient.* Fames et sitis tralatione usitata vehementem quandam appetitionem significat; e. g. auri sacra fames; inexplebilis honorum fames; sitiens virtutis; famae sitis. Δικαιοσύνη est doctrina Christi, et virtus coniuncta cum ea. c. VI, 33. via salutis, quam Deus monstravit c. XXI, 32. ὁδὸς δικαιοσύνης 2 Petr. II, 21. nam Hellenistis hebr. צדק est et δικαιοσύνη, et ἀλήθεια, ut Dan. VIII, 12. Malach. II, 6. Δικαιοσύνη ergo ponitur pro: ἀλήθεια. Hanc veritatem coelestem sitit, qui serio et sincere viam quaerit, ut illam ingrediatur, quem neque metus, neque labor ac molestia ulla ab ea quaerenda absterret. Qui igitur hoc faciunt, ii voti compotes fient, vel fieri possunt.

7. ἐλεηθήσονται) Qui misericordes et benigni sunt, eorum Deus miserebitur, et ipsi fruentur aliorum hominum benignitate. Iac. II, 13. Ps. XLI, 2. 3. XXXVII, 25. 26. Matth. VI, 4.

8. οἱ καθαροὶ τῇ καρδίᾳ) *Beati sunt animi integri scelerisque puri homines.* Qui sunt animo sincero et casto, alieni a fraude, dolo, et sceleris impuritate. Καρδία (לב) mentem significat. Requirebant quidem vulgo puras manus, puram linguam, at de puro corde parum erant solliciti, putantes cogitationum poenam neminem pati. Chri-

Christus autem exigit etiam animi innocentiam. Infra v. 27. 28. Ps. LXXIII, 1. בַּר לְבָב, τὸν θεὸν ὄψονται) i. e. *aeterna beatitudine fruentur.* Formula ὄπτεσθαι τὸ πρόσωπον τινος inprimis adhibetur de amicis et ministris regum, ita ut notet ministrum esse regis, et familiaritate eius uti, 2 Reg. XXV, 19. ubi LXX. habent: ὁρῶντες τὸ πρόσωπον τῦ βχτιλέως. Vid. FISCHER de vitiis Lexicor. N. T. p. 407 sqq. Iam quum populi prisci eum inprimis felicem existimarent, qui minister et amicus regis esset, 1 Reg. X, 8. hinc formula haec omnino *maximam felicitatem* exprimit. 1 Cor. XIII, 12. Uberiore Dei cognitione imbuentur, indeque maximam laetitiam percipient.

9. οἱ εἰρηνοποιοὶ) *Pacifici.* Pacem facere et pacificare non ii solum dicuntur, qui aliis dissidentibus medios se interponunt, verum etiam qui placabiles sunt, et inimicitias facile deponunt. Rom. XII, 18. His opponuntur, qui discordias seminant, animos aliorum inflammant; et inimicitias immortales gerunt. υἱοὶ θεῦ κληθήσονται) *Filii Dei erunt*; i. e. singulari Dei amore fruentur. Deus in multis S. Script. locis vocatur Deus *pacis.* Sensus igitur est, eos, qui paci student, Deo simillimos, ac proinde etiam Deo dilectissimos fore, cf. v. 45. Est autem καλεῖσθαι hic, rem ea voce indicatam consequi.

10. οἱ δεδιωγμένοι — δικαιοσύνης) Qui vexantur, exagitantur, infestantur virtutis, et praecipue religionis caussa. ὅτι αὐτῶν ἐστιν ἡ βχσιλεία τῶν οὐρανῶν. Vid. supra v. 3. Hoc autem loco praecipue respicitur ad praemia expectanda iis, qui propter religionem vexantur. Cives huius societatis vel reipublicae Christianae constantes, qui mala perferunt propter bonam caussam religionis olim maxima accipient praemia.

11.

11. μακάριοί ἐστε — ψευδόμενοι) *Beati estis, quamvis probra in vos iecerint homines, vosque infestaverint, et quaevis crimina mei caussa falso vobis impegerint.* Ὀνειδίζειν pertinet ad probra, quae adversarii doctrinae christianae Apostolis obiecturi essent apud magistratus, et ad maledicta, quibus eosdem essent vexaturi in conventibus hominum publicis. Hoc verbum etiam a Polybio de huius generis probris et maledictis usurpatum esse, Raphelius docuit in Annotatt. Polybian. Διώκειν est verbum forense et iudiciale, quod *accusare, litem intendere* significat, quum quis vel apud populum accusatur, vel apud magistratus. Formula: *εἰπεῖν πᾶν πονηρὸν ῥῆμα κατά τινος, afferre criminationes omnis generis adversus aliquem,* addito participio ψευδόμενον, idem declarat, quod apud Graecos formula διαβάλλειν τινά, quam ipsam Isocrates (ad Nicoclem) adverbio ψευδῶς auxit, *criminari aliquem quovis modo, criminationes omnis generis falsas contra aliquem afferre.* Πᾶν πονηρὸν ῥῆμα est pro hebr. כָּל־דָּבָר רָע Num. XIII, 32. XIV, 36. s. Vox ῥῆμα in codice Bezae satis vetusto et a Patribus nonnullis omittitur, et salva Christi sententia recte abesse potest. Vid. *Fischeri* Proluss. p. 107. seqq. et *Griesbachii* Commentar. crit. ad h. l. Ἕνεκεν ἐμοῦ, *propter me*, religionis meae caussa, quia mei estis discipuli.

12. ἀγαλλιᾶσθε) Vox ecclesiasticis Scriptoribus potius quam profanis nota, 1 Petr. I, 6. 8. proprie *prae gaudio exsultare;* metaph. *laetari.* Ὁ μισθός, *praemium* non quidem debitum, sed tamen ex gratuita Dei benignitate pro magnitudine laboris distribuendum. Τὸς προφήτας, τὸς πρὸ ὑμῶν, sc. γεγονότας, quos beatos praedicatis, Iac. V, 10. 11. Matth. XXIII, 29.

13.

13. τὸ ἅλας τῆς τῆς) Quod sal est cibis, hoc vos esse debetis ceteris hominibus, nempe omnium sapientissimi et optimi. Salis praecipua vis est adversus putredinem. Hinc *sapientia* sal dici coepit; et proxime ad hoc loquendi genus accedit, quod *Livius* Graeciam *sal gentium* vocat. Vox γῆς et quae est commate sequenti vox κόσμε haud dubie *generis humani universitatem* significant, quomodo et *terrarum* et *mundi* vox Latinis usurpantur. Sensus igitur est: Alii ex vobis discere debent, vos aliis exemplo esse debetis; vos omnium hominum debetis esse sapientissimi et optimi. Ἐὰν δὲ — τῶν ἀνθρώπων) *Quodsi sal vim ac saporem amiserit, quanam re ille restituetur? Nullum praeterea habet usum, sed est eiiciendum foras, ut ab hominibus conculcétur.* Sensus est: Quemadmodum sal, quum saporem et virtutem amisit, nulli rei utilis est, sed foras proiicitur; ita et vos, si defeceritis a religione et pietate, nullius apud me pretii eritis. Μωρανθῆναι, *fatuum, insipidum fieri.* Scilicet μωρὸς, unde τὸ μωρανθῆναι, ubi de hominibus usurpatur, *stultum et fatuum*, ubi de rebus gustui expositis *insipidum* infert, ad exemplum Gallicae vocis *fade*, et Germanicae *abgeschmakt*. Pro μωρανθῇ Marcus IX, 50. ἄναλον γένηται, *insulsum, quasi sine sale*. Quaerunt, quomodo sal saporem et virtutem amittere possit; et respondent nonnulli: apud Iudaeos in usu fuisse, praecipue in sacrificiis, salem non fossilem aut coctilem, sed bituminosum, quem Sodomiticum vocant. Sal ille nihil aliud est, quam bitumen ex mari mortuo, quae materia Asphaltum genuit. Bitumen illud potest corrumpi et insulsum fieri. Sed ne opus quidem est, cum tota locutio sit proverbialis, et sal coctilis haud raro saporem amittat. Manifestum est, ut per τὸ ἅλας intelliguntur Apostoli, ita

τὸ

τὸ μωραίνεσθαι ad eosdem referendum esse, hoc sensu, si ipsi, aliis doctrina bona et moribus alioquin profuturi, insipidi evadant, fidemque et bonam conscientiam amittant, non fore eos amplius usui ulli, sed digni, qui ut inutiles et instar salis insipidi, abiiciantur. Huic proverbio similia vide apud *Wetsten.* e. g. *Diog. L.* Diogene VI, 47. πρὸς τὸ ῥυπαρὸν βαλανεῖον, οἱ ἐνθάδε, ἔφη, λεόμενοι πᾶ λέονται; *Ad Herennium*: Isti cum non modo dominos se fontium, sed se ipsos fontes dicant, et omnium rigare debeant ingenia, non putant fore ridiculum, si, cum id polliceantur aliis, arescant ipsi siccitate. Ἐν τίνι ἁλισθήσεται sc. sal. Quo salietur ipsum sal? i. e. nulla re salietur sal, vel saporem poterit recuperare. Marc. IX, 5. ἐν τίνι ἀυτὸ ἀρτύσετε; Huic interpretationi non obstat, quod sal saliri non soleat. Hoc ipsum enim infert, quemadmodum sali nullo modo in rerum natura consuli possit, adeo ut nec ad exemplum aliarum rerum corruptarum ulli prorsus usui inserviat; ita eandem fore sortem Apostolorum, si salem in se non habeant.

14. Ὑμεῖς ἐστε τὸ φῶς τῦ κόσμυ) Quod sol est mundo, hoc vos praestare debetis aliis hominibus. Luce veritatis salutaris alios illustrare, iisque exemplo vestro praelucere debetis. τὸ φῶς τῦ κόσμυ *Solem* proprie significat Io. XI, 9. Transfertur autem ad homines praeclaros. אור חעולם vocantur Sapientes in genere. In libro selectarum gemmarum: *Sapientes in terra sunt quod luminaria in coelo; nam illuminant mundum et pellunt tenebras errorum;* ex capite de Sapientia. ἐ δύναται — κειμένη) *Non potest urbs, in monte posita, obscura esse et inconspicua.* Cohaerent haec verba cum

cum v. 16. ubi applicatio similitudinis v. 14. 15. adverbio ἕτω indicatur. Est igitur hic ellipsis particulae comparativae καθώς. Sic Ies. LV, 9. Ier. III, 20. ubi LXX. suppleverunt ὡς. Verte igitur: *Quemadmodum urbs — ita etiam* etc. v. 16. Vult Christus auditorum suorum integritatem non minus esse conspicuam, quam solent esse urbes, quae in montis vertice sunt collocatae, qualis erat Hierosolyma. A sale autem transit ad solem, quia utriusque maxima est utilitas.

15. Idem fere dicitur aliis verbis. Κάιεται, sc. κάιοντος, Impersonaliter. Καίειν h. l. est *accendere*. Μόδιον est vox latina; nam graecum nomen est μέδιμνος, sed alia tamen mensura quam modii; nam modius est medimni sexta pars. Cic. in Verr. III. 49. *Corn.* Nep. Att. Ex Graecia tamen, quamquam Graecis minus usitata, in Latium venit; et *Dinarchus* ea utitur, in Demosth. *Syrus* modium vocat Satum, Hebraeorum more. καὶ λάμπει) Hebraismus, pro: ἵνα λάμπῃ. Sensus est: Quemadmodum lumen non eo fine accenditur, ut occultetur, sed ut hominibus luceat: ita et ego vos in edito quasi collocabo, et lucem veritatis in animis vestris accendam, ut per universum orbem doctrinam meam propagetis, et exemplo vestro aliis praeluceatis.

16. ἕτω λαμψάτω — ἐν τοῖς οὐρανοῖς) *Ita vero etiam vos* (doctrina et exemplo vestro) *lucem praebeatis hominibus, ut si viderint vestram virtutem* (ad imitandum hoc exemplo allecti,) *et ipsi patrem vestrum coelestem collaudent* (et colant). Propriis verbis exprimitur, quod v. 14. 15. improprie dictum erat. Per τὸ φῶς intelligitur tum lux doctrinae evangelicae, cuius praedicatio praecipuum opus Apostolorum fuit, tum eorum exemplum. Utrumque etiam designatur per τὰ καλὰ ἔργα.

In

In verbis ὅπως ἴδωσιν ὑμῶν τὰ καλὰ ἔργα καὶ δοξάσωσιν est Hebraismus pro: ἰδόντες δοξάσωσι. Tum vero δοξάζειν est collaudare, celebrare. Celebrant autem *Patrem coelestem*, (cf. infra c. VI, 9.) optimum, maximum, sapientissimum omnium rerum auctorem, conservatorem et εὐεργέτην, qui eum animo et factis colunt; hi per religionem felices redduntur et vere beati.

17. μὴ νομίσητε — πληρῶσαι) *Ne putetis, me eo consilio doctoris munus suscepisse, ut abrogarem legis et Prophetarum doctrinam; non est meum abrogare, sed perficere legem*, (agendo et docendo.) Ἔρχεσθαι saepe de eo dicitur, qui doctor in publicum prodit et docet, ut Io. V, 43. Ὁ νόμος καὶ οἱ προφῆται saepe vocantur *libri Mosis et Prophetarum;* hic autem intelligitur *doctrina* Mosis et Prophetarum; nam de argumento *historico* et *prophetico* librorum sacrorum h. l. non esse sermonem totus contextus docet. Nec lex Mosis *cerimonialis* intelligitur, sed potius *morale* librorum sacrorum argumentum. Iesus enim statim v. 21. sqq. *praecepta moralia* explicat, non habita institutorum cerimonialium ratione; et totus contextus versatur in legibus, quae praescribant δικαιοσύνην (v. 20.) iis necessariam, qui divini regni participes esse cupiant. Cf. etiam infra c. VII, 12. XXII, 40. ubi procul dubio Sacrae scripturae *moralè argumentum* intelligitur. Καταλῦσαι τὸν νόμον est *legem abrogare, tollere, solvere, violare*. Phrasis occurrit apud Heliodor. Polyb. Isocr. aliosque. Hoc faciebant Pharisaei, additamentis suis et humanis constitutiunculis sic agravantes legem, ut quod est illius praecipuum, (amorem Dei et proximi) negligerent et abolerent. Iidem *vivendo* etiam doctrinam divinam perverterunt. Πληρῶσαι denotat: *facere quae lex iubet*, ut apud *Herodot.*

dot. τὸν νόμον ἐπλήσαι, et *Herodianum* πληρῶσαι ἐντολάς- et *perficere, perfecte docere, legem stabilire agendo et docendo*, quae est significatio hebraeograeca radicis קיים, et hic vi oppositionis locum habet cf. v. 19. ubi explicatur per ποιεῖν et διδάσκειν, cf. Rom. XV, 19. Col. I, 25. Dicit igitur Iesus, sui muneris esse satisfacere legi tum vita et factis; tum doctrina; se non tantum obsecuturum esse praescriptis doctrinae, sed etiam doctrinam hanc vere et exacte traditurum, ne alii in errorem sentiendi agendique deducantur. Pott (in dissert. *de natura atque indole Orationis montanae* p. 17. s.) opinatur, Christum iis, quae v. 17—19. continentur, cavere voluisse, ut ne auditores, inprimis vero discipuli legem Mosaicam se vivo abrogatam esse, existiment; facile enim discipulos, certissima spe inductos, cum adventu Messiae novam etiam legislationem coniunctum iri, eo delabi potuisse, ut a lege Mosaica abroganda institutionis suae initium capientes, Iudaeos, observandae religioni Mosaicae addictissimos, a profitenda religione christiana deterrerent. Sumit igitur Vir doctus νόμον h. l. esse legem Mosis universam, non exclusa ceremoniali, in qua sententia est etiam Imman. Berger in der *moral. Einleit. in das N. T.* P. I, p. 128. s. Sed de abroganda lege Mosaica vix tum temporis cogitarunt discipuli; apparet potius ex evangeliis eos rituum fuisse tenacissimos, ergo dehortatione ista non erat opus. Ceterum perfecit, πεπλήρωκε Iesus τὸν νόμον non tantum agendo, et satisfaciendo legi vita et factis, sed etiam tum addendo, tum ea auferendo, quae obstabant, quo minus gentes cum Iudaeis in unam societatem coalescere possent. De his autem tunc nondum erat locus distincte agendi.

18. Ἀμὴν γὰρ — πάντα γένηται) *Sancte enim vobis confirmo, citius periturum coelum et terram, quam ut iota vel apex* (minima pars) *e lege pereat; sed omnia accurate observanda sunt.* Sic recte vertit *Thalemannus.* ἀμὴν, Hebr. אמן modo asseverat, et idem valet, quod Graecum ἀληθῶς, modo *desiderii vehementiam* exprimit, et eam vim habet, quam apud Latinos aut *quaeso* aut *utinam.* Iudaei hanc vocem solent adiicere precibus pro clausula; quos et Christiani sunt secuti. Initio sententiae posita, ut hic et multis aliis locis notat *vere, profecto.* Locutione *citius coelum et terram interitura* etc. significatur nunquam futurum esse id, de quo est sermo. Παρέρχεται, *interit* coelum. Ἰῶτα ἓν ἢ μία κεραία ἀπὸ τοῦ νόμου, *ne minimum quidem ex lege.* Sunt haec etiam locutiones proverbiales. Nimirum nominantur litterae, et apices, et intelligitur sensus in litteris, apicibus et verbis latens. Similes locutiones inveniuntur apud Rabbinos; e. g. Si omnes nationes congregantur, ut aboleant Iod, quae minima est litterarum in lege, praestare illud non poterunt. Si quis Daleth in Deut. VI, 4. אחד mutaret in Resch, is concutiat totum mundum. Κεραία est litterae minimus apex, e. g. ך et ך similis sunt, et parvo tantum apice distinguuntur. Παρέρχεσθαι autem nunc est irritum fieri. ἕως ἂν πάντα γένηται est phrasis proverbialis, quae sensu non differt ab illa: ἕως ἂν παρέλθῃ ὁ ἐρ. κ. ἡ γῆ, et idem sibi vult, ac si dixeris, omnia illa citius fieri posse, quam ut lex intereat. Cf. *Schulzium* ad h. l.

19. Ὃς ἐὰν οὖν λύσῃ — ἐρανῶν) *Quicunque igitur* vita vel verbis *derogaverit vel uni ex minimis horum mandatorum, et ita docuerit homines, is nullo plane numero erit in regno Messiae;* non erit dignus nomi-

ne

ne Christiani. Celebris est apud Iudaeos distinctio inter praecepta magna et parva. Manifestum autem est, Christum hic non commendare praecepta, quae Pharisaeis tunc levia aut parva vocabantur: multum enim abfuit, ut illis discipulos suos adstringeret. Sed intelligit praecepta, quae erant iuris perpetui, e. g. de dilectione Dei et hominum, Matth. XXII, 37. de quibus in antecedentibus et consequentibus sermo est, quorum non pauca a Pharisaeis parvi habebantur, et etiam nunc ab hominibus sibi relictis parvi habentur. Λύειν ἐντολὴν est derogare praecepto, vel factis vel verbis. Ἐλάχιστος. i. e. ut *Chrysostomus* recte explicat, ἀπερρίμμένος, ἔσχατος, *abiectus, ultimus.* Elegans Dilogia videtur esse in verbis τῶν ἐλαχίστων — ἐλάχιστος. Christus nempe Aramaea dialecto usus, ad titulum רַבִּי, *Rabbi,* alludere videtur. Ὃς δ' ἂν — τῶν οὐρανῶν) *Quisquis autem et observaverit ipse* (praecepta) *et ita docuerit homines, is maximus erit in regno Messiae.* Μέγας, pro Superlativo μέγιστος, *summus, praestantissimus, honore dignissimus.*

20. ἐὰν μὴ περισσεύσῃ — Φαρισαίων) *Nisi virtus vestra sit praestantior illa, quam exercent legisperiti et Pharisaei.* Περισσεύειν hic est *praestans et excellens esse;* πλεῖον, (יתר) efficit comparat. Ἡ δικαιοσύνη est integritas morum et obsequium erga mandata divina. Chrysostomus: ἐντεῦθα δικαιοσύνην τὴν πᾶσαν ἀρετὴν λέγει. Plerique ex Pharisaeorum numero erant mortalium pessimi, pauciores vero aut erant, aut populo saltem videbantur inculpati iustitia in legi sita, et ex secta religionis Iudaicae exactissima viventes. Christus sine dubio non exigit a discipulis, ut virtus eorum pessimos superet, sed ut superent eos, qui optimi habebantur iustissimique, quia non solum nihil admittebant, quod secundum leges

a

a iudice Hebraeo puniri poterat, verum etiam religiose multa faciebant, aut a multis abstinebant, quae lege nec iubebantur, nec vetabantur. Sed deerat innocentia animi et sincerae virtutis studium. ἐ μὴ εἰσέλθητε — ἀρανῶν) *non eritis apti, aut convenietis regno et menti Christi,* (Messiae,) i. e. nec digni eritis, qui huic coetui, quem ego colligo, adscribamini, nec bonis huic meo coetui propriis fruemini. Vid. dicta supra ad c. III, 2.

21. Ἠκούσατε ὅτι ἐρρέθη τοῖς ἀρχαίοις) Eleganter *Thalemannus: Hanc esse nostis maioribus vestris traditam disciplinam*, sc. a doctoribus legis. Variant interpretes. Alii enim τοῖς ἀρχαίοις positum putant pro ὑπὸ τῶν ἀρχαίων, alii πρὸς τὰς ἀρχαίας. Qui prius statuunt, hanc afferunt rationem, Christum non disputare contra Mosen et Prophetas, sed contra legis corruptores, Pharisaeos et traditionum auctores, sub Maccabaeis primum ortos. Vertunt igitur: *Ab antiquis*, nempe legis interpretibus, et quidem e secta Pharisaeorum. Nec huic interpretationi repugnat constructio; nam Hebraei et Graeci solent Dativum iungere passivo, loco genitivi cum praepositione ὑπὸ, ut Gen. XXXI, 15. Ies. LXV, 1. Exempla huius constructionis apud profanos *Kypkius* dedit ad h. l. Mihi tamen praeferenda videtur eorum sententia, qui τοῖς ἀρχαίοις idem esse putant, ac πρὸς τὰς ἀρχαίας. Nam et hoc versu et comm. 27. 33. commemorantur praecepta Mosis. Exinde autem non sequitur, Christum contra Mosen et Prophetas disputare; hoc tantum sequitur, praecepta Christi esse praetestantiora et perfectiora illa lege Mosaica, quae ingenio hominum simplicium et rudium accommodari debuit. Illustrat nempe Iesus exemplis id quod dixerat supra v. 17. se venisse ut *impleret legem*, πληρῶσαι. Oppositio in sequentibus semper est: *Lex Mosaica*

hoc

hoc vel illud praecipit, ego autem a vobis, discipulis meis, et omnibus Christianis perfectiorem virtutem requiro. *Chrysostomus*: ἐκκαλεῖται αὐτὸς πρὸς τὰ μείζονα τῶν διδαγμάτων, ὡσανεὶ ἔλεγεν ἀρκοῦντα ἔχετε χρόνον τοῦτα μελετῶντες καὶ δεῖ λοιπὸν πρὸς τὰ ὑψηλότερα τούτων ἐπέρχεσθαι. Ergo non abrogavit quidem hoc, vel aliud quoddam Mosis praeceptum morale, sed rectius explicavit, quam antiquiores legis doctores, qui putabant, huic legi satisfieri, si quis a caede, quae manu perpetratur, abstineat. ἔνοχος ἔσται τῇ κρίσει) *In ius trahendus est.* Non extat quidem hoc totidem verbis in lege, sed sensus est apertus, lege praecipi, ut homicida deducatur ad iudices, et ex eorum sententia damnatus, capitali supplicio afficiatur. Levit. XXIV, 21. Num. XXXV, 16. Est igitur κρίσις hoc et sequente commate auditorium iudicum, qui in portis cuiusque civitatis ius super caussis maioribus reddebant, et in homicidas etiam lege agere solebant, de quibus agitur Deut. XVI, 18. Numerus horum iudicum in hoc consilio minori non diserte definitus legitur in sacris literis. Communissima fere sententia est, XXIII. in quavis urbe constitutos fuisse iudices, quod merum figmentum Iudaeorum recentiorum esse docuit WESSELINGIUS, in *Diatr. de Archontt. Iudaeor.* Auctore *Iosepho* (Antiquitatt. L. IV. c. 8. §. 14.) haec minora iudicia comprehenderunt septem viros, adiunctis praeterea duobis scribis. Vid. *Io. Tob. Krebsii* observat. ad h. l.

22. Ἐγὼ δὲ λέγω — τῇ κρίσει) *Ego vero vobis edico, quemlibet alii sine caussa irascentem poenae iam obnoxium esse.* Phrasis: ἐγὼ δὲ λέγω ὑμῖν convenit cum illa Talmudica, אני אומר. Ἀδελφός, אח, saepe est *alter*, Gen. XXVI, 31. Usurpatur etiam de rebus inanimis, ut Exod. XXVI, 3. Hic igitur frater est homo qui-

quivis. Εἰκῇ est genuina lectio, cui vix quidquam, quod alicuius momenti sit, obiici potest, praeter Origenis, Tertulliani, Hieronymi aliorumque patrum nonnullorum auctoritatem. Hi vero magis homileticis quam criticis rationibus ducti τὸ εἰκῇ radendum putarunt; censebant nempe, non tantum τὸ ὀργίζεσθαι εἰκῇ, sed omnem omnino iram prohiberi lege christiana. Vid. *Griesbachii* commentar. crit. ad h. l. Εἰκῇ, *temere*, sine ratione et modo, ὃς ἀ δεῖ, καὶ ἐφ' ὃς ἀ δεῖ, καὶ μᾶλλον ἢ δεῖ, ut Aristoteles loquitur. ἔνοχος ἔσται τῇ κρίσει, i. e. *Dei iudicio eadem poena est dignus, qua afficitur homicida ex civilis magistratus sententia damnatus ad capitale supplicium.* Κρίσεως poena usitatissima erat gladius. Non vult autem Christus, eos qui temere irascuntur, puniri debere a magistratu, sed hoc dicit, iracundis propositam esse in altero seculo poenam non minus gravem, quam est ea quam in hoc seculo homicidae sustinent. Cf. 1 Io. III, 15. ὃς δ' ἂν — ῥακά) *Qui irae impotenti et temerariae non solum non moderatur, sed etiam ad maledicta prorumpit.* Repetendum ἀπὸ κοινοῦ quod praecessit, εἰκῇ ὀργιζόμενος. Ῥακὰ hic ponitur pro quovis convitio. Nam רֵיקָה quod mutata vocali *Syri Raca* pronunciant, est vox apud Scriptores Hebraeos usitatissima, et tritissima in ore gentis. Significat κενὸν, hominem vanum et nullius pretii. Non autem est in ipsa voce crimen positum, quippe et Iacobus ἄνθρωπε κενέ, Iac. II, 20. et Christus duriora Pharisaeis dixit; sed taxantur ii, qui malevolo animo, impotenti ac temerariae irae indulgentes alios conviciis impetunt. ἔνοχος ἔσται τῷ συνεδρίῳ) i. e. *multo graviori poena dignus est.* Dei iudicio reus est eiusdem supplicii, quo afficiuntur a Synedrio ad mortem condemnati.

nati. τὸ συνέδριον vocatur etiam γερουσία Act. V, 21. et πρεσβυτέριον Luc. XXII, 66. Iudaeis סַנְהֶדְרִין Synedrium magnum LXX. virorum, penes quos esset causarum maiorum cognitio Num. XI, 16. Deut. XVII, 8. Opponitur autem poena a Synedrio infligenda, poenae a Iudicio irrogatae, tanquam gravior leviori; nam caussae, quae ad Synedrium deferri solebant, graviores erant, et severiores etiam erant sententiae a Synedrio latae. Synedrium irrogabat poenam *lapidationis*, quae gravior erat supplicio gladii, quod irrogare solebat consessus 7. vel ut alii volunt 23. iudicum. ὃς δ' ἂν — πυρὸς) *Qui alterum convitiando nominaverit impium, (vel Atheum,) is omnium gravissimam poenam meruit.* Μωρὸς notat *hominem sceleratum et flagitiosum*, vel etiam *Atheum*, ad imitationem Hebraici נָבָל ut Ps. XIV, 1. Deut. XXXII, 22. Post verba εἰς τὴν γέενναν τοῦ πυρὸς, supplendum videtur βληθῆναι. Γέεννα est vox hebraica, ex גֵּיא vallis, et הִנֹּם, nom. propr. loci, Hierosolymis vicini, in quo Israelitae idololatriae se dedentes, simulacro Molochi ignito, quod imaginem bovis repraesentabat, infantes offerebant. Hunc locum Iudaei postea sic abominati sunt, ut solerent eos insepultos abiicere in vallem *Hinnom*, quos saevius punitos volebant. Vocatur autem γέεννα τοῦ πυρὸς quia Iosias, ut vallem Hinnom hoc magis foedam redderet, morticinia varia et cadavera eo proiici mandaverat, ad quae comburenda perpetuo et iugi igne opus erat. 2 Reg. XXIII, 10. sqq. Significatur igitur summus poenae gradus, et gladium et lapidationem excedens. Iudaei etiam *infernum* nomine גֵּי הִנֹּם appellarunt. Sed haec significatio hoc non videtur habere locum, quia sic

poena infernalis contradistingueretur iudicio divino, cuius tamen partem et speciem constituit. Verior itaque videtur eorum sententia, qui malunt interpretari: *is dignus est qui in valle Hinnom vivus comburatur*, ut gravissima poena, gravior poena gladii et lapidationis significetur, et sit gradatio. Quamvis enim exemplis idoneis probari non possit, vivicomburium apud Iudaeos in usu fuisse, certum tamen est, cadavera ibi ignominiae caussa esse combusta.

23. 24. Ἐὰν οὖν — πρόσφερε τὸ δῶρόν σε) *Si igitur offerre vis munus* (sacrificium) *tuum in altari, ibique recordatus fueris, alium a te offensum esse, relinque munus coram altari, et prius reconciliare studeas tibi alterum, ac deinde redi ad offerendum munus tuum.* Quum Pharisaei, iracundiam, odia, calumnias ad peccata leviora referentes, Deum haec non magnopere curare putarent, si modo sacrificia rite peragerentur, et reliqua praecepta, cultum externum spectantia accurate observarentur: Iesus nunc uberius docet, cultum externum Deo non placere, nisi ab animo placato et benevolo profectum. Προσφέρῃς, *offerre cupias, oblatum eas.* Nam verba saepius ponuntur ita, ut sit omissum *velles* ut Matth. XXV, 26. Τὸ δῶρον, *munus*, quicquid Dei placandi caussa aris infertur, *sacrificium* קָרְבָּן, Marc. VII, 11. מִנְחָה, quod Alexandrini voce δῶρον exprimere solent, Gen. IV, 9. et aliis locis. ὁ ἀδελφός σε) *alter*, ut supra comm. 22. κἀκεῖ, *ibique*, nempe in templo, ad altare, dum afferre vis sacrificium. ἔχει τι κατά σε) habet, quod de te queratur, a te offensus est; quod Col. III, 13. dicitur ἔχειν μομφὴν πρός τινα. Ἔμπροσθεν τοῦ θυσιαστηρίου, *coram altari*, additum est tanquam interpre-

tamen-

lamentum vocis ἐκεῖ, quae praecesserat. Καταλλάττεσθαι *redire in gratiam*; quod fieri solet testando, nolle nos factum. Melius est non sacrificare, quam Deo offerre munera, et interim inimicitias cum proximo fovere. Docet Iesus his verbis, vanum esse cultum Dei externum, si negligantur officia hominibus debita. Non is tantum reconciliatur et cum altero in gratiam redit, qui veniam dat, verum etiam is, qui veniam petit.

25. Cavendas et componendas esse lites docet Iesus, tutius esse ostendens persolvere creditori plus quam debeas, ne ad iudicem res deferatur; saepe enim fieri, ut is etiam, qui bonam caussam habeat, damnetur. ἴσθι εὐνοῶν) Periphrastice pro εὐνόησον. *Benevolo sis animo.* Plane idem est, quod ante dictum erat, διαλλάγηθι. Notandum autem, ἀντίδικον esse *adversarium in lite*, ac nostro quidem loco *creditorem*, qui pecuniam creditam a debitore repetit. ἕως ὅτε ἐι ἐν τῇ ὁδῷ μετ' αὐτε) Dum es cum eo in via sc. *ad tribunal.* Actor solebat reum prehendere. μήποτε σε παραδῷ ὁ ἀντίδικος τῷ κριτῇ) Ne forte adversa pars (causam apud iudicem obtineat, qui) te in carcerem adducendum apparitori tradat. τῷ ὑπηρέτῃ τῷ πράκτορι Lucae XII, 58. *exactori, lictori, viatori*, vilis sortis ministro magistratus.

26. ἀποδῷς τὸν ἔσχατον κοδράντην) ἀποδίδωμι, reddo tanquam debitum, persolvo. Quadrans est nummus Iudaicus, qui chalcum Atticum dimidium, sive δύο λεπτὰ aequiparabat, *zwey Pfennige*. Vid. Fischeri Prolusss. de vit. Lexx. N. T. p. 448, seqq. Non liberaberis e custodia, donec ad assem universam solvas summam, quam adversarius petebat, cum minoris licuerit cum illo transigere, mitiore adhuc et minus irato. Satius esse, Iesus dicit, transigere cum adversario, et persolvere etiam id,

quod inique postulet, quam diuturnis litibus se implicari; facile enim fieri posse, ut adversarius vincat favente iudice; semper incertum esse rixarum exitum. Componendas igitur esse lites quam primum id fieri possit.

27. τοῖς ἀρνάοις) Vulgata ex comm. 21. addidit; Erasmus invitis Codicibus suis temere in editionem suam transtulit ἐ μοιχέυσεις) Sicut πορνεία interdum μοιχείαν significat, ut infra v. 32. ita novum non est, μοιχείαν dici, quae πορνεία proprie diceretur. Hoc autem loco μοιχεύειν utrumque et adulterium committere et scortari significare videtur.

28. ὅτι πᾶς ὁ βλέπων — ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτῆ) *quemlibet, qui foeminam adspiciat ita, ut turpi eius amore exardeat, iam in animo cum ea commisisse adulterium.* Pro πᾶς ὁ βλέπων, Origines aliquoties habet ὃς ἐὰν ἐπιβλέψῃ. s. ἐμβλέψῃ, alii ἐμβλέπων, ἐμβλέψας. Sed sunt glossemata, ad evitandam vocabuli ὁ βλέπων ambiguitatem excogitata, quae in paucos tantum codices irrepsere. Caeterum ὁ βλέπων omnino significat ἐμβλέπων, *adspiciens.* Alexandrini hebr. חָבִיט vertunt βλέπειν et ἐμβλέπειν, et רָאָה nunc βλέπειν, nunc ἐφορᾶν. Emphasis quaerenda est non in verbo βλέπειν, sed in verbo ἐπιθυμῆσαι, quod h. l. est *turpiter amare.* Πρός pro εἰς, hebr. ל, quod etiam significat ὥστε, e. g. Levit. XXVI. 15. Igitur πρὸς τὸ ἐπιθυμῆσαι idem hic est, quod ὥστε ἐπιθυμῆσαι. Posset et ἐπιθυμῆσαι hic explicari *sollicitare*, quodmodo et חָמַד Hebraicum sumi soles. Γυνὴ autem et foeminam innuptam et uxorem alterius significat. ἠδὴ ἐμοίχευσεν αὐτὴν ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτῆ) Homines, qui de animo nisi ex signis exterioribus iudicare non possunt, de-

delicti nomen actui ultimo imponunt. Sed apud Deum mentium exploratorem, qui voluit scelus, is fecit.

29. *εἰ δὲ — ἀπὸ σοῦ*) *Quodsi tibi oculus dexter offensam praebet, erue illum* etc. Haec improprie esse intelligenda, facile patet. Sensus est: Omni conatu resistendum est pravis cupiditatibus. Est nempe *σκανδαλίζεσθαι offendere ad aliquid*, s. *irretiri* ut *σκάνδαλον* de saxo ad quod impingitur, de muscipula vel laqueo dicitur, et *σκανδαλίζειν τινὰ* est *irritare aliquem* re aliqua aut actione *vel ad errores, vel ad delicta*, ut hoc nostro loco *Oculus σκανδαλίζειν* dicitur, quando te pellicit, ut mulierem lascive adspicias, cumque ea rem habere lascive cupias. Effossio oculi ad lascivos adspectus pellicientis moraliter est intelligenda de aversione oculi ab obiecto illecebroso: qua prava concupiscentia refrenatur ac cohibetur. *Dexter* oculus nominatur, quia ob potiorem eius usum est carissimus. Tota autem locutio est proverbialis et hyperbolica, hanc exprimens sententiam: Tantam tibi infer vim ad refrenandam pravam cupiditatem, ac si ipse oculus esset effodiendus. *Dextrum oculum potius tibi eruere, quam indulgere pravis cupiditatibus deberes.* Tale est, quum SENECA dicit: (epist. 51.) *Proiice quaecunque cor tuum laniant, quae si aliter extrahi nequirent, cor ipsum cum illis evellendum erat.* *συμφέρει γάρ σοι — εἰς γέενναν*) *Expedit enim tibi, unum membrorum tibi perire, ne totum corpus proiiciatur in gehennam* Εἰς γέενναν) Vid. notata ad v. 22. Hoc vero loco *infernum* intelligi, contextus docet. Καὶ μὴ Hebraismus לא, *ne*. A iucundissimis est abstinendum, ne aeternum pereas. Cicero in Philippicis: *In corpore si quid eiusmodi est, quod reli-*

reliquo corpori noceat, uri secarique patimur, ut membrum aliquod potius quam totum corpus intereat.

30. Καὶ εἰ ἡ δεξιά σε χεὶρ — εἰς γέενναν) Sensus est: Omnibus viribus enitere ut arceas manum ab impudicis contrectationibus, perinde ac si manus dextra esset abscindenda. Manum dextram potius tibi abscindere, quam impudice et inhoneste foeminam tangere deberes. Praestat enim cum dolore et molestia refrenare malas cupiditates, quam aeternum perire. *Tibull.* I, 7. 80. — *venerit iste si furor, optarim non habuisse manus.*

31. ἐρρέθη) Nimirum a Mose, iussu divino; non privato Mosis consilio. Respicit Christus ad verba Deut. XXIV, 1. 2. quae tamen non repetit ut ibi plene extant, sed ut a Pharisaeis afferri solebant, ad stabiliendam sententiam suam, licere marito ob quamcunque caussam uxorem dimittere. Haec autem erat falsa Pharisaeorum interpretatio verborum Mosis. Pottus et Eichhornius (*Allgemeine Biblioth. d. bibl. Literatur* B. II, p. 354.) negant haec a Christo in oratione montana dicta esse, quia etiam Matth. XIX, 2. sqq. eadem leguntur. Nonne vero data occasione repetere potuit, quod alio iam tempore dixerat? ὃς ἂν ἀπολύσῃ τὴν γυναῖκα αὐτοῦ) *Si quis velit repudiare uxorem suam.* Nam de voluntate sermo est. δότω αὐτῇ ἀποστάσιον) Ἀποστάσιον est (*vox* Profanis Scriptoribus inusitata, ab ἀφίστασθαι, *discedere,*) *Libelli formula, qua maritus iubet uxorem a se divertere, aut discedere.* Licuit autem Iudaeis dimittere uxores privato ausu, re non denuntiata magistratui. Quod bene notandum, ne Iudaeorum mores ex legibus civilibus nostrae aetatis metiamur. Iudaei et humanitatis et charitatis immemores, caussas quantumvis futiles admittebant in morositatis suae

patro-

patrocinium, ita ut quavis de caussa uxorem maritus posset expellere.

32. *ἐγὼ δὲ λέγω ὑμῖν)* Sensus est: Lex Mosis, ne quid gravius eveniret, tibi de uxore iudicium indulsit. Tu vide, ut tanta potestate humane utaris, certus, nulla Deo placere divortia, nisi quae summa necessitas extorsit. *παρεκτὸς λόγου πορνείας)* Vulgata versio: *excepta fornicationis caussa.* Non male. Infra c. XIX, 9. *εἰ μὴ ἐπὶ πορνείᾳ.* Vox λόγος aliis quidem pleonastice posita videtur, aliis idem est quod *caussa*, pro qua expositione pugnat *Vorstius* (in Philolog. Sacra c. 14. p. 372. sqq. edit. Fisch.) aliis λόγος idem est ac *negotium, res*, hebr. דָּבָר, ut Luc. I, 37. Observandum est, Christum toto hoc sermone non leges constituere civiles, sed animis singulorum dare praecepta, et hic nominatim declarare, quo casu vir bonus legis communis divortia spectantis beneficio uti possit. Schola *Sameae* dixit: nemo repudiabit uxorem suam, nisi in ea repertum fuerit quid inhonesti עֶרְוַת דָּבָר Deut. XXIV, 1. Schola *Hillelis* dixit: etiamsi combusserit decoctum eius. Quod hic dicitur *extra adulterii caussam*, tam rigide non est accipiendum, ut nulla alia caussa animum possit tranquillum reddere. Marcus c. X, 11. et Paulus 1 Cor. VII, 10. hoc Christi praeceptum commemorantes, verbis utuntur generalibus, nulla exceptione apposita; quia tales exceptiones ex naturali aequitate venientes, tacite insunt legibus, quantumvis generaliter pronunciatis. *ποιεῖ αὐτὴν μοιχᾶσθαι)* *occasionem ei praebet adulterandi.* Nam Hebraei verbis, actionem exprimentibus saepe etiam tum utuntur, quum quis actione sua aliis occasionem agendi dat. Sic הֵרַע Exod. V, 22. non est *affligere*, sed occasionem male faciendi dare. Vid. *M. G. E. Goez* ad h. l.

Ni-

Nimirum fieri poterat, fiebatque saepe apud Iudaeos, ut mulier, ignominia divortii notata, maritum alterum non inveniret, atque ita deiecta a spe nuptiarum, tandem ad vagos concubitus delaberetur; nam ii quoque μοιχείας voce indicari solebant. Eius autem mali culpam merito Christus in eum reiicit, qui levi de caussa uxorem a se inclementer amoverat. Quin etiamsi casu forte eveniret, ut illibata maneret mulieris pudicitia, tamen quia per illum non stetit, quo minus res pessime verteret, merito illi, quod fieri potuit, pro facto imputatur. *Boltenius* ad h. l. et *Eichhornius* l. c. B. IV. p. 148. propter locos parallelos Luc. XVI, 18. ubi verbis: πᾶς ὁ ἀπολύων τ. γυν. αὐτ. additur: καὶ γαμῶν ἑτέραν, et Marc. X, 11. ubi additur: μοιχᾶται ἐπ' αὐτήν, negant, verbum μοιχᾶσθαι de uxore adulterium committente, intelligendum esse; et putant, Iesum ostendere voluisse, quomodo quispiam in crimen adulterii incurrere possit; si nempe aliam uxorem ducat; inesse igitur his verbis vitium interpretis Graeci Commentariorum Matthaei. Nonne vero is etiam peccat, qui uxorem sine iusta caussa repudiat, quamvis aliam non ducat? Equidem nihil mutandum esse existimaverim. Caeterum pro μοιχᾶσθαι codd. nonnulli et Patres graeci habent μοιχευθῆναι, quod in illius locum substitutum fuisse videtur, ut grammaticorum praeceptis, qui μοιχεύειν et μοιχᾶσθαι de maritis, μοιχεύεσθαι autem de uxoribus usurpari volunt, satisfieret, et verbum h. l passivo sensu accipiendum esse declararetur. Cf. *Griesbach.* ad h. l. Καὶ ὃς ἐὰν — μοιχᾶται) Intelligendum est hoc de illis, qui dimissas excipiebant, non tentatis prius omnibus viis ad reconciliandum prius matrimonium, levibus de caussis dissolutum, aut, quod peius est, alienis uxoribus inhiantes per divortia sibi nuptiis sternebant viam.

33. πάλιν ἠκούσατε — τὰς ὅρκους σου) *Porro didicistis traditum esse maioribus: ne peierato, sed Deo, quod iuratum est, persolvito* — Iam ad aliud praeceptum, cui Pharisaei falsum assuebant sensum, progreditur Iesus. Respicitur nempe ad Levit. XIX, 12. Deut. XXIII, 22. Fatebantur Legisperiti et Pharisaei exacte praestandum esse quicquid Deo iuratum vel votum fuerit, *quia per nomen Dei* iuratum vel votum fuerit, *quibus nomen Dei non erat expressum*, parum solliciti erant, nec a iuramentis vanis et temerariis valde abhorrebant. Vid. Io. Lightfoot hor. Ebr. et Talm. in h. l. Exempla dantur comm. 34. seqq. Πάλιν, *porro*. Ἀποδοῦναι τὰς ὅρκους est *implere fidem iurisiurandi*, quo sensu Hebraei voce שָׁלַם et LXX. ἀποδοῦναι utuntur, e. g. Iob. XXII, 27.

34. Ἐγὼ δὲ — ὅλως) *Ego autem vos iubeo omnino non iurare.* Infinitivus hic pendet a verbo λέγω. ὅλως, *prorsus*, refertur ad μὴ, *non omnino* ut hebr. לֹא כָל, *nullus*. *Plane non iurare*, nempe in convictu quotidiano, vel etiam per creaturas, quod exempla sequentia declarant. Λέγειν, interdum est *edicere, iubere*. μήτε ἐν τῷ οὐρανῷ) *Neque per coelum.* Constructio ὀμνύειν ἔν τινι apud scriptores profanos prorsus insolens est; nam Graeci vulgares dicunt ὀμνύειν τινὰ, *iurare per aliquem*, cuius constructionis exemplum etiam est Iac. V, 12. Est igitur h. l. constructio hebraica, ut Ier. V, 7. Ies. XLV, 28. נִשְׁבַּע cum ב construitur. Formulae *per coelum, terram* etc. iurandi, non solum apud gentiles, sed etiam inter Iudaeos usitatae fuerunt. Sic *Philo* de spec. Legg. pag. 770. A. iurare quidem per Deum non permittit, sed per terram, solem, stellas, coelum, totum denique mundum. Talia autem iuramenta nulla esse Iu-

Iudaei existimarunt. Maimonides in Schabaoth, c. 1. Si quis iurat per coelum, per solem etc. sit licet animus iurantis sub his verbis per illum iurare, qui haec creavit, hoc tamen non est iuramentum. *θρόνος ἐστὶ τοῦ θεοῦ*) Ex Ies. LXVI, 1. cf. infra c. XXIII, 22. Qui per coelum iurat, simul iurat per eum, qui coelo tanquam solio insidet. Solium autem Dei dicitur coelum, quod in eo opificio, pulcherrimis astris picturato divina maiestas eximie eluceat, quemadmodum regum gloria tunc maxime conspicua est, quum solio suo insident.

35. *ὑποπόδιόν ἐστι τῶν ποδῶν αὐτοῦ*) Iesaias l. c. habet הֲדֹם, quo obiter significari videtur vilitas terrae coelo comparatae. Qui per terram iurabat, is iurabat per eum, qui terram creavit, et cuius est terra. *μήτε εἰς Ἱεροσόλυμα*) Hellenistae promiscue pro Hebraeo ב modo *ἐν* modo *εἰς* usurpant. *πόλις ἐστὶ τοῦ μεγάλου βασιλέως*) Dei summi regis. Μεγάλου, pro superlativo, *maximi*. Sed etiam articulus τοῦ indicare potest Superlativum, ut ה emphaticum Hebraeorum, e. g. הַגָּדוֹל *maximus* 1. Sam. XVII, 28. In Psalmo XLVIII, plane idem significantia sunt עִיר אֱלֹהֵינוּ et קִרְיַת מֶלֶךְ רָב. Veteres Arabes Deum simpliciter appellarunt *Regem*. Vid. *Schulzium* ad h. l.

36. *μήτε ἐν τῇ κεφαλῇ σου ὀμόσῃς*) i. e. *per vitam, incolumitatem, sive salutem tuam;* nam et ita per Deum iuras salutis tuae auctorem. *ὅτι οὐ δύνασαι μίαν τρίχα λευκὴν ἢ μέλαιναν ποιῆσαι*) Non es capitis et vitae tuae dominus. Ne efficere quidem poteras, ut a natura haberes albos vel nigros capillos. Docet igitur Iesus v. 34. 35. 36. in omni iuramento, quamvis nomen Dei in eo non expressum, sed per coelum, terram, caput etc. iuratum esset,

esset, reipsa Deum, coeli, terrae, vitae nostrae aliorumque dominum invocari tanquam vindicem ac testem.

37. ἔστω δὲ ὁ λόγος ὑμῶν, ναὶ, ναὶ, οὒ οὔ.) i. e. ut Iacobus explicat, ἤτω δὲ ὑμῶν τὸ ναί, ναί, τὸ οὔ, οὔ. Sensus est, omnem sermonem nostrum debere esse veracem, ut affirmemus quod verum est; negemus quod verum non est. Debent facta dictis congruere; ac si firmata iuramentis essent idem robur esto. Cf. 2 Cor. I, 20. 18. 19. Locutio sumta ex medio usu illorum temporum. Nam γνάμη erat tritissima: τῶν δικαίων ναὶ ἐστὶ ναὶ, καὶ οὒ ἐστὶν οὔ. τὸ δὲ περισσὸν τούτων) id quod est ultra ναὶ καὶ οὒ. ἐκ τοῦ πονηροῦ ἐστιν) *illicitum est.* Vel a masc. ὁ πονηρὸς, qua voce Diabolus indicatur, vel a neutro τὸ πονηρὸν, Ioh. V, 19. Est constructio hebraica, ut Dan. II, 47. מִן קְשֹׁט אֱלָהַיָּא אֱלָהֵיכוֹן. ἀληθές ἐστι. Quod si quid his accesserit ex vitio accesserit oportet. Aut enim parum bene sentit qui iurat, de eo, cui iurat, aut diffidit is, qui iusiurandum exigit. Quum *Essenos* aliosque, qui de iureiurando eadem praeceperunt, quae Christus, tamen iurasse constet, manifestum est, haec verba non ita interpretanda esse, ac si omne iusiurandum simpliciter vetuerit; adeoque distinguendum iusiurandum voluntarium et imperatum, iusiurandum in convictu quotidiano et in iudicio, denique iusiurandum ob rem levem et gravem.

38. ὀφθαλμὸν ἀντὶ ὀφθαλμοῦ) Nimirum, *reddet*, qui iniuriam fecit. Est hoc ius vetustissimum apud omnes fere gentes; ius talionis. In XII. tabulis: si membrum rupit, talio esto. Huius indictae exercitium iniungitur *magistratui.* Exod. XXI, 24. Levit. XXIV, 20. Deut. XIX, 21. Sed Iudaeorum doctores idem ius *privato cuique* ab alio iniuriam perpesso, liberum esse tradebant.

36. μὴ ἀντιςῆναι τῷ πονηρῷ) *non resistere ei, qui iniuriam fecit;* is enim h. l. est ὁ πονηρὸς. Cf. Rom. XII, 17. *Ultione* resistere vetat Christus, non defensione innocentiae quae fit verbis. Opponuntur nempe verba Christi vindictae privatae, et eodem quidem animo, quo alter iniuriam intulit, odii scilicet et malitiae pleno, sumendae, quam adeo caveri vult Christus, ut si per magistratum vel alia legitima et Christiano digna ratione iniuriae hae, alioqui tolerabiles, evitari non possint, eas potius et alias maiores perferas, quam de ultione cogites. Ἀντιςῆναι *Hammondus* explicat *appendere, zuwaegen, erwiedern.* ἀλλ' ὅςις σε — τὴν ἄλλην) In Hebraismo saepe adversativa comparationem in se includit. Noli, si quis te malo affecit, ei vicissim malum rependere; quin potius ferienti maxillarum unam, alteram quoque caedendam obvertere potius deberes, quam te ulcisci. Ex proverbio petitum est, *maxillam obvertere caedenti*, pro eo, quod est *patienter aliquid ferre.* Seneca de Ira II, 34. *cum pare contendere anceps est, cum superiore furiosum. Percussit te? recede: referiendo enim occasionem saepius feriendi dabis.* Thren. III, 30. Ῥαπίζειν denotat non solum *virga vel baculo caedere*, sed et *palma percutere*, apud Plutarchum, Iosephum, aliosque. Variam huius verbi vim et potestatem, accurate explicavit *Fischerus* in Proluss. p. 63. sqq. τὴν ἄλλην pro: τὴν ἑτέραν.

40. σοι κριθῆναι) *Tecum litigare.* Apud *Euripidem* quoque, et in *Anthol.* haec significatio occurrit. Est etiam τοῖς LXX. κριθήναι *in ius|trahi*, ריב, Iob. IX, 3. Χιτῶνα) *tunicam, vestem interiorem*, hebr. כְּתֹנֶת. Hieronymus appellat *Camisiam.* Nos: *Camisol;* Galli: che-

chemise. λαβεῖν) λαμβάνειν h. l. respondet Hebr. לָקַח, et significat: *auferre, eripere*, sc. litigando. τὸ ἱμάτιον) *Pallium, vestem exteriorem*: hebr. שִׂמְלָה, *vestimentum totum corpus involvens*. Est pannus, etiamnum in Oriente usitatus, quo pauperes inprimis noctu etiam pro tegumento utuntur. Vid. Exod. XXII, 26. Sententia est: *Si quis vi aut litigando cupiat tibi tunicam auferre, etiam pallium potius illi permitte, quam coram iudicio cum eo disceptes, vel illi noceas.* CICERO de offic. II, 18. *Est non modo liberale, paullum nonnunquam cedere de iure suo, sed interdum etiam fructuosum.* Christus ab uno iniuriae genere, quod ad corpus aut etiam ad dignitatem pertinet, transit ad alterum quo fortunae laeduntur.

41. ἀγγαρεύσει) Ἀγγαρεύειν est vox origine Persica, ἄγγαρος, nuncius vel tabellarius regum Persarum, qui in statione sua positus, litteras ab altero angaro acceptas alteri tradebat, ut eo celerius perferrentur. Herodot. VIII, 98. Quia vero his licebat cuiusvis equos et quemcunque hominem ad cursum rapere, inde ἀγγαρεύειν denotat *cogere, impellere, cum violentia rapere.* Deinde vero ἄγγαροι dicti etiam sunt, *qui onera portarent publice, et cogerent alios onera publice portare*, ut HESYCHIUS et SUIDAS explicant. Iudaeis haec vox non est infrequens. Sensus igitur est: *Si quis miles, aut publicanus, aut minister principis, praetexto auctoritatis publicae te compellaverit, ut onus ipsi portes mille passus;* μίλιον enim est *milliare*, spatium mille passuum, a voce latina mille. Aliud genus iniuriarum, quod contra libertatem committitur. ὕπαγε μετ' αὐτοῦ δύο) Et hic supplenda sententia, addito μᾶλλον. Duplum operae eius, quae ex-

exigitur, praestare nos satius est, quam ultionem aut per nos ipsos, aut per iudices exigere, aut alio quovis modo peccare in diligendi legem. Ceterum facile intelligitur, Christum hominibus omnia iura naturalia et civilia reliquisse integra. Quis enim credat, eum, qui in mundum venit ut homines servaret, talem voluisse tradere doctrinam, quae improbis impunitatem concederet, bonos autem illorum contumeliis exponeret? A privata potius vindicta, et a litibus non necessariis dehortatur, et iniurias magistratuum patienter ferendas esse monet, ne graviora mala nobis aliisque accersamus.

42. καὶ τὸν — ἀποστραφῇς) *Et eum, qui velit a te mutuo accipere quicquam, ne repellito.* δανείζομαι, vox media, *mutuum peto*, et deinde *mutuum accipio.* Graeci alias dicunt δανείζεσθαι παρά τινος. Hoc loco significat ita *mutuari*, ut nec usuram des, nec rem mutuo datam reddas, nam Luc. VI, 35. iubet Christus sectatores suos δανίζειν, μηδὲν ἀπελπίζοντας. Ἀποστρέφεσθαι prima sua et genuina notione est, *se ab aliquo avertere;* quod quum facere soleant, qui aliquem aversantur, aut eius precibus locum concedere nolunt, inde ἀποστρέφεσθαι est *recusare, repudiare*, apud *Iosephum* saepius. Haud dubie hoc ex aequi bonique regula intelligendum est, quatenus et nostrae facultates ferunt, et aliorum necessitas postulat.

43. Ἠκούσατε — ἐχθρόν σου) *Traditum ita esse scitis: diligas amicum tuum, sed hostem tuum odio habeas.* Πλησίον significat *prope*, et ὁ πλησίον *talem qui prope est; vicinum, socium, domesticum, propinquum genere;* non autem talem modo, sed et *quemvis alium.* Scriptores sacri autem, quum dicunt ὁ πλησίον σου, ὁ πλησίον αὐτοῦ, pronomine addito, sequuntur morem Hebraeorum, qui, quum *quemvis alium* designant, vo-

ce

ce רֵעַ utuntur, eique Pronomen quoddam affixum adiiciunt, ut 1 Reg. XX, 35. 1 Sam. XV, 28. Iam Levit XIX. 18. praecipitur, ut ames רֵעֲךָ, i. e. *quemvis hominem.* Sed doctores Iudaici illud רֵעַ sive τὸν πλησίον de *amico* tantum interpretati sunt; ex quo consentaneum esse videbatur, odio contra habendos inimicos; ideoque addiderunt: καὶ μισήσεις τὸν ἐχθρόν σου. Iesus igitur, illum ut errorem tollat, docet eo praecepto iuberi, ut amentur omnes, etiam inimici cuiusque, ut intelligatur illic רֵעַ non *amicum* sed *alterum* significare, *quicunque sit.* Nec illud omittendum videtur, a Iudaeis non eos tantum, a quibus laesi essent ullo modo, sed omnes etiam idololatras in hostium numero esse habitos. Unde ab alienigenis adeo liberalitatem suam arcebant, ut nē communia quidem humanitatis officia illis praestarent, quale est viam monstrare comiter. *Iuvenal.* XIV, 103.

44. ἀγαπᾶτε τοὺς ἐχθροὺς) Servate animum benevolum etiam erga eos, qui animum hostilem, inimicitias vobiscum gerendo prodiderunt; nam hoc sensu verbum ἀγαπᾶν esse accipiendum, sequentia docent. εὐλογεῖτε τοὺς καταρωμένους ὑμᾶς) Ominibus faustis ac felicibus prosequimini eos, qui diras in vos devotiones deprecantur. Εὐλογεῖν, *bene precari.* Per gradus scandit oratio ab affectu ad verba. καλῶς ποιεῖτε τοὺς μισοῦντας ὑμᾶς) lege τοῖς μισοῦσιν. Sic enim plurimi Codd. habent; nec nulla fuit caussa, cur *Erasmus* et *Stephanus* istam codicum lectionem non sequerentur. οἱ μισοῦντες autem sunt *malis afficientes*, ut Sir. XIX, 9. Καλῶς ποιεῖν, *beneficentia prosequi.* A verbis ad res scandit oratio. προσεύχεσθε ὑπὲρ τῶν ἐπηρεαζόντων ὑμᾶς καὶ διωκόντων ὑμᾶς) *Supplicate pro iis, qui vos criminantur atque insectantur.* Vetus

Glos-

Glossarium ἐπηρεάζειν vertit *calumniari*. Apud Philonem ἐπήρεια *est malevolentia, iniquitas*, et ἐπηρεάζειν, *clam et occulte nocere*. Pro forensi verbo habendum censet *Elsnerus*, ut idem sit quod *deferre aliquem ad iudicem, obtrectare in iudicio, criminari, calumniari*. De significatione verbi διώκειν vid. supra v. 10. Ne illis quidem, qui vos omnibus modis infestant atque exagitant malum pro malo reddite, aut Deum ultorem adversus eos invocate, sed orate ut Deus illis mentem meliorem et tempus ad poenitentiam largiatur. Caeterum GRIESBACHIUS verba: εὐλογεῖτε τοὺς καταρωμένους ὑμᾶς, item: καλῶς ποιεῖτε τοῖς μισοῦσι ὑμᾶς e Lucae VI, 27. 28. temere huc traducta censet. Vid. Commentar. crit. ad h. l.

45. Ὅπως γένησθε — ἐν οὐρανοῖς) *Ita quidem (veri) eritis filii patris vestri coelestis*, illique simillimi. Pro υἱοί habent ὅμοιοι nonnulli codices, etiam Mosquenses ap. *Matthaeium*, et Patres, fortassis ex glossa, Cf. v. 48. ὅπως γένησθε, *ut esse agnoscamini, declaremini*. Sic Hebraei usurpant sua verba, e. g. Zach. XIV, 9. ἔσται κύριος εἷς, *Iehova ut unicus agnoscetur*. Ut ita vestra benignitate declaretur et planum fiat, vos esse sobolem quandam divinam, dum eius benevolentiam in omnes homines imitamini. ὅτι τὸν ἥλιον αὐτοῦ ἀνατέλλει ἐπὶ τοὺς πονηροὺς) ἀνατέλλω h. l. habet significationem Hebraeorum, *Hiphil, oriri facio*. cf. Gen. III, 18. II, 9. Vers. LXX. Seneca: *Sceleratis sol exoritur*. Plinius Panegyr. *Sol et dies non oritur uni et alteri, sed omnibus in commune.* βρέχει) Hoc verbum non usurpatur impersonaliter, sed subintelligendum est θεός. Species pro genere. Nam in loco parallelo Luc. VI, 35. dicitur Χρηστός ἐστι, benignus est. Laudat Christus benignitatem Dei, qui omnibus eadem beneficia exhibet. Δίκαιοι καὶ ἄδικοι, probi et *improbi-*

probi, iidem, qui modo dicebantur πονηροὶ καὶ ἀγαθοί. Vid. supra c. I, 19.

46. Ἐὰν γὰρ — ποιεῖσι;) *Si enim eos* tantum *diligitis, qui et vos diligunt, quale praemium accipietis? Nonne et improbissimi idem faciunt?* Ἐὰν ἀγαπήσητε. Supple: μόνον, quod additur v. 47. τίνα μισθὸν, *qualem*, s. *quantam mercedem?* Luc. VI, 34. ποῖα ὑμῖν χάρις ἐστι; Ἔχετε, *accipitis*, ut c. XIX, 16. Οἱ τελῶναι, *portitores, vectigalium exactores*, quorum hominum ministerio in exigendis vectigalibus utebantur *Publicani*, equites romani. Plerique vero apud Iudaeos portitores gentiles erant, homines improbi; qua de caussa plane eodem loco habebantur, quo ἐθνικοὶ, a Deo alieni, neque sacris tantum, sed e communi convictu indigni. Nonnulli codices comm. seqq. pro τελῶναι habent ἐθνικοὶ. Videtur Ethnicus in portitor's locum substitutus, quia uterque abiectissimi peccatoris numero haberi solebat.

47. Καὶ ἐὰν — οἱ ἐθνικοὶ ἕτω ποιεῖσι;) *Et si comes et affabiles vos praebueritis tantum erga populares vestros, quid eximii praestatis? Nonne profani similiter faciunt?* Ἀσπάζεσθαι, *salutare aliquem* in adeundo vel abeundo, *bene precari*, *valedicere* etc. Alexandrini hoc verbo utuntur pro שָׁאַל לְשָׁלוֹם 2 Reg. IV, 29. Hoc loco per synecdochen speciei pro genere significantur quaevis urbanitatis, comitatis et amicitiae officia. Omnino hic conferendus est M. G. E. Goez in der *Erklärung des Matthaeus* ad h. l. Pro ἀδελφὰς habent φίλας, codd. permulti, versiones et am et Patres nonnulli. Sed recte, ut opinor Griesbachius (Commentar. crit. ad h. l.) „Φίλας, inquit, interpretamentum est, quo indicere aliquis voluit, ἀδελφὰς designare non fratres sensu proprio,

sed ex Hebraeorum loquendi usu amicos. Verum falsa est haec interpretatio. De amicis antecedente commate disseruerat Christus; hoc vero versu ἀδελφοί sunt Iudaei, qui quoscunque suae gentis homines suaeve religioni addictos fratrum loco habere, popularesque suos solos πλησίον ἑαυτῶν (Luc. X, 29. 36.) existimare solebant. Hinc ἀδελφοῖς mox scite opponuntur ἐθνικοί, quos indignos putabat Iudaeus, qui us salutem diceret.„ Praeterea etiam lectionem ἀδελφούς tuentur non solum codices egregii, sed pleraeque etiam e versionibus antiquioribus. Τί περισσὸν ποιεῖτε; *quid eximii praestatis?* hebr. יִתֵּר. Ἐθνικοί praeferendum est τοῖς τελώναις, utpote contextui convenientius, et sat multis ac vetustis auctoritatibus suffultum. Τελῶναι huc traductum fuit e comm. antecedente.

48. ἔσεσθε — τέλειός ἐστι) *Estote igitur perfecti, sicut pater vester celsissimus perfectus est*, vel: *Estote integro et sincero animo* (in amore) *erga alios, sicut pater vester celsissimus erga vos integerrimus est.* Aditum ad haec intelligenda fecit Iesus his quae ante dixerat. Vult nempe nos imitari Deum, qui non modo, ut solebant Iudaei, amat bonos et amicos, sed omnino omnis generis homines, impios etiam et ingratos. Τέλειος, תָּמִים, *integer*. Deut XVIII, 13. Sic Noachus auctore Philone de Abrahamo p. 354. C. τέλειος appellatur in sacris litteris, ut indicetur ὡς ὃ μίαν ἀρετὴν, ἀλλὰ πάσας ἐκτήσατο. Sic etiam Iac I, 4. τέλειοι sunt Christiani, quibus nihil desit, ἐν μηδενὶ λειπόμενοι. Qui nonnisi amicos amat, ille non perfecte, sed ex parte tantum bonus est, cum deberet diligere omnes. Quod si faciat, nihil ipsi deest. Imitari debemus *Patrem nostrem in coelis*, i. e. auctorem omnium rerum optimum, celsissimum. Cicero

pro

pro Marcello, 3. *Animum vincere, iracundiam cohibere, victoriam temperare, adversarium nobilitate, ingenio, virtute praestantem, non modo extollere iacentem: sed etiam amplificare eius pristinam dignitatem, haec qui faciat, non ego eum cum summis viris comparo, sed simillimum Deo iudico.*

CAP. VI.

1. Προσέχετε — θεαθῆναι αὐτοῖς) *Cavete ne liberalitatem erga pauperes exerceatis per ostentationem.* Προσέχετε, sc. τὸν νοῦν vel τὴν διάνοιαν. Pro ἐλεημοσύνην habent δικαιοσύνην cod. Cantabr. Vaticanus, codd. ap. Scholiasten in cod. Coisl. 24. Vulg. Itala, aliaeque versiones, et Patres latini. Hanc igitur lectionem GRIESBACHIUS (commentar. crit. ad h. l.) plane pro genuina habet, multisque argumentis defendit. Δικαιοσύνη est hebraicum צְדָקָה, quod saepe pro benignitate, liberalitate et stipe, seu eleemosyna usurpatur, e. g. Dan. IV, 24. Prov. X, 2. Ps. CXI, 9. coll. Syr. XL, 17. Interdum utrumque vocabulum conjungitur, ut Prov. XXI, 21. ὁδὸς δικαιοσύνης καὶ ἐλεημοσύνης: דֶּרֶךְ צְדָקָה וָחֶסֶד et Tob. XII, 9. Ἐλεημοσύνη, (ab ἐλεήμων) proprie est *misericordia*, et ποιεῖν ἐλεημοσύνην est *benigne facere* Gen. XLVII, 29. Sed apud scriptores ecclesiasticos per metonymiam plerumque *liberalitatem erga pauperes* denotat, i. e. *mendicis stipem dare*. Tob. XII, 9. 10. Non tamen repugno, si quis cum *Gottfr. Oleario* et *Fischero* (in Proluss. p. 517. s.) τὴν δικαιοσύνην malit interpretari de *virtute*, ut sensus sit: *Videte, ne virtutis sanctitatisque vestrae documenta detis, spectantibus aliis, ut admiratione ab iis affi-*

ciamini, et formula ποιεῖν δικαιοσύνην, quae ex hebraea עֲשׂוֹת צְדָקָה (Gen. XVIII, 19.) expressa est, 1 Io. III, 7. s. formulae ποιεῖν ἁμαρτίαν opponitur, valeat *virtutem colere*. Nam verba τὴν δικαιοσύνην ὑμῶν, quae Matthaeus rationis hebraicae admonitu cum imperativo προσέχετε coniunxit, proprie cum verbis μὴ ποιεῖν cohaerent. Articulus τὴν, et pronomen ὑμῶν adduntur, quia certa quaedam genera virtutis significantur, in quibus colendis et exercendis Christiani fugere omnem ostentationis speciem debebant. Nec obstat, quod v. 2. ss. de *liberalitate* est sermo. Iesus enim virtutes a disciplinae suae alumnis exercendas primum nominavit universe, earumque declarandarum rationem et modum exposuit: deinde hoc ipsum praeceptum singulatim ad liberalitatem, quae indigentibus benigne facit pecunia (v. 2—4.) et ad preces (v. 5. 6.) et ad ieiunia (v. 16—18.) transtulit. Cuius quidem rei index vel coniunctio ἄν (v. 2.) esse videtur, qua praeceptum praecipuum primum cum praecepto communi copulatum cernitur. Utram eligas interpretationem, praeferenda est lectio δικαιοσύνη. Πρὸς τὸ θεαθῆναι αὐτοῖς, per ostentationem. A θεάομαι venit Theatrum, in quo edebantur Ludi Scenici. Hinc versari in theatro, in loco quam maxime conspicuo et ante omnium oculos.

2. Ὅταν οὖν ποιῇς — ἔμπροσθέν σου.) *Quum igitur stipem dare vis pauperibus, ne tuba cani cures ante te:* quod nonnulli universe accipiunt: *Noli id facere cum magno strepitu*, ut sit proverbialis locutio, qua, quod nimio publicandi studio fit, solet exprimi, et significat *populum testem quaerere, immoderate et iactanter liberalitatem suam praedicare*, operam dare, ut, si fieri possit, ad omnium aures perveniat. Nostri Germani eodem sensu dicunt: *etwas ausposaunen*. Alii verba Sal-

Salvatoris proprie intelligunt de sono tubarum, quo daturi eleemosynam signum dari curabant, non modo ut pauperes concurrerent ad stipem accipiendam, sed etiam ut spectandi gratia confluceret populus, qui liberalitatem cum admiratione adspiceret, eamque ubique celebraret. Μὴ σαλπίσῃς *ne tuba cani cures.* Pro actione enim, quam fieri curamus, vel permittimus, saepe ipsum adhiberi verbum, actionem quasi a nobis praestitam denotans, notissimum est. Quum autem Iesus addit, Pharisaeos hoc fecisse ἐν ταῖς συναγωγαῖς καὶ ἐν ταῖς ῥύμαις, Synagogarum nomine non videntur intelligendae esse Scholae Iudaeorum, sed circuli in vicis a confluentibus civibus agi soliti. Nam additur ἐν ταῖς ῥύμαις, et συνάγεσθαι nil aliud significat quam *congregari*, in coetus coire, ipsaeque Iudaeorum Scholae, eo quod coetus in illis cogerentur, synagogarum nomen fuere adeptae. Rara quidem vel nulla in Rabbinorum et Talmudistarum monumentis reperiuntur vestigia, quod olim Iudaei, maxime Pharisaei, eleemosynas erogaturi, buccinis usi fuerint, eas aliis manifestaturi, ut gloriam liberalitatis captarent. Sed propter hoc silentium res non illico in dubium vocari debere videtur; quia nec in Rabbinorum scriptis legitur usquam, orantes in angulis platearum stetisse, ieiunantesque deturpasse facies suas, ut hominibus ieiunare viderentur. Ceterum ingeniosa est *Schulzii*, Giessensis Theologi coniectura, suspicantis verba μὴ σαλπίσῃς referenda esse ad ipsos mendicos tuba canentes, et vertenda esse: *ne mendicos, stipem abs te petentes, tuba canere sinas.* Solent enim hodie adhuc in Oriente mendici, stipem petentes, tuba canere, testibus itinerariorum scriptoribus. Igitur nostro more Christus dixisset: *Laſs kein Vater Unser beten, oder wohl gar ein Lied erst vor deiner Thür durch den*

den Bettler absingen, um die Strasse und das Publicum erst auf deinen Heller Allmosen aufmerksam zu machen. Morem hunc Orientis esse, ostendit IKENIUS in diss. *de Salpismo stipem colligente*, quae inter dissert. philol. theolog. est *trigesima prima*. ὥσπερ οἱ ὑποκριταί. Hesychius: ὑποκριτῆ, ὁ ἐν τῇ σκηνῇ ὑποκρινόμενος, qui in scena aliam personam induit. A specie eorum, qui in spectaculis tecta facie incedunt, nomen translatum est ad eos, qui pii et religiosi haberi volunt, cum non sint, ut alios decipiant circumveniantque. Tales erant Pharisaei. ἀπέχουσι τὸν μισθὸν αὐτῶν) *Iam tenent mercedem suam.* Nihil ultra a Deo praemii loco accipient. Ἀπέχω, *accipio*. vel potius, iam accepi et teneo, quae mihi debentur, apud Prof. saepe. Et ἀποχῆς scriptum vocarunt id, quo fateretur aliquis se habere, i. e. sibi esse persolutum, quod deberetur. Sensus igitur est: *habent iam praemium benignitatis suae*, hominum nempe laudes, neque adeo ullum eius praemium a Deo exspectare possunt. Ratio est in promptu. Nam qui benigne facit tantum ut spectetur, is nullis testibus praesentibus nihil dabit; non faciet benigne quia Deus iussit, sed vanae laudis studio; non dabit beneficia ex amore erga alios, sed sui ipsius amore. Quum autem nonnisi praesentibus testibus stipem dat egenis, illis potius paupertatem exprobrare, et contumeliam facere, quam beneficium dare videtur. Ergo nihil mercedis a Deo accipiet. *Cicero* Tuscul. II. 26. *Mihi quidem laudabiliora videntur omnia, quae sine venditatione et sine populo teste fiunt — nullum theatrum virtuti conscientia maius est.*

3. μὴ γνώτω ἡ ἀριστερά σου, τί ποιεῖ ἡ δεξιά σου) Proprie actio dextrae tribuitur, cuius longe frequentior solet esse usus quam sinistrae. Est autem et hoc e proverbio sum-

sumtum, et sensus est: *bene fac, quam potes occultissime* Adeo non desideres hominem spectatorem, ut si fieri possit, nec ipse scias te facere quod recte facis. Hebraei saepe membris tribuunt, quod proprie ab hominibus fit, ut Prov. VI, 17. *manus* (i. e. homines) *effundentes sanguinem innocentem.*

4. ὅπως ᾖ σου ἡ ἐλεημοσύνη ἐν τῷ κρυπτῷ) *Ut occulta maneat liberalitas tua.* ᾖ id est γένηται, et ἐν τῷ κρυπτῷ pro κρύφα. καὶ ὁ πατὴρ — φανερῷ) *Pater tuus coelestis qui etiam ea, quae in occulto fiunt novit publice* (illo die) *tibi reddet praemium* ὁ βλέπων ἐν τῷ κρυπτῷ, pro: ὁ βλέπων τὸ ἐν τῷ κρυπτῷ, quod est τὸ κρύφα γε ὄυειον Tibi satis esto quod testem habes patrem, cuius oculos nihil omnino fugit. Is tibi reponet praemium, etiamsi ab homine nihil redeat gratiae Ἐν τῷ φανερῷ, in vulgaribus editionibus v. 4. 6. et 18. ter recurrens, *Griesbachio* iudice, semel a Matthaeo scriptum, bis a librariis intrusum fuit, ut exactus tres illi loci inter se concordarent, et ut ter repetitum ἐν τῷ κρυπτῷ ter haberet, quod psi opponeretur. Quonam versu retinendum vel delendum sit, dubitat; mavult tamen omittere hoc comm. 4. et retinere v. 6. Rationes legat ap. ipsum, qui vult.

5. καὶ ὅταν — οἱ ὑποκριταί) *Quandocunque item preces facis, ne imiteris simulatorum mores* Οὐκ ἔσῃ ὥσπερ οἱ — *ne eos imiteris.* cf. v. 8. μὴ ὁμοιωθῆτε αὐτοῖς. ὅτι φιλοῦσιν — τοῖς ἀνθρώποις) *nam libenter orant in circulis et compitis, ut ab hominibus conspiciantur* φιλοῦσι, *solent*, amant. Hesych. φιλεῖ ἐιωθεν Per Synagogas hic ut v. 2. circuli a confluentibus in vicis agi soliti intelligendi esse videntur. Nam in scholis Iudaeorum precibus publicis vacare, Christo vix displicere

re potuit. Accedit quod hic συναγωγαὶ cum γωνίαις τῶν πλατειῶν, triviis et quadriviis coniunguntur, et additur ἑστῶτες, quae vox eos notat, qui ad orantium figuram se componebant, ita ut ab omnibus, eos orare, animadverti posset. Γωνία alias significat angulum internum, i. e. compitum aut trivium, ubi stans a plurimis spectari poterat. Nam in platearum angulis, ubi plateae iunguntur, frequentia hominum maior esse solet. Caeterum hic magna est lectionis varietas, de qua consulendus est *Griesbachius*. ἀπέχετι τὸν μισθὸν ἀυτῶν. Vid. modo ad v. 2. notata.

6. ταμεῖον) penetrale, locus aedium ab aditior et secretior. Quae de penetrali et obserando ostio dicuntur, sunt desumta ex communi usu ad ea denotanda, quae sine strepitu fiunt. Ies XXVI, 20. τῷ ἐν τῷ κρυπτῷ) sc. ὄντι. In occulto et *est* et *videt* Deus. Est locus huic loco non absimilis in *Epicteto Arriani* I, 14. ὅταν κλείσητε τὰς θύρας, καὶ σκότος ἔνδον ποιήσητε, μέμνησθε μηδέποτε λέγειν, ὅτι μόνοι εἰσὲ. οὐδε εἰς, ἀλλ' ὁ θεὸς ἔνδον ἐστὶ Est tamen istud τῷ cum ὁ βλέπων coniunctum, suspectum. Nam auctoris consilium postulare videtur προσεύχεσθαι ἐν τῷ κρυπτῷ. quod comm ati etiam 4. plane consentaneum est; contra vero (ὁ πατὴρ) ὁ ἐν τῷ κρυπτῷ otiosum fere est, quum proxime sequatur (ὁ πατὴρ) ὁ βλέπων ἐν τῷ κρυπτῷ.

7. μὴ βαττολογήσητε) *Nolite eadem verba saepe repetere.* Βαττολογεῖν est centies idem dicere. Derivare solent a quodam Batto, sive rege Lybico balbutiente, sive pastore verboso. Vid. *Wetsten.* ad h. l. Verior mihi esse videtur *Sal Deylingii* sententia (in observatt. sacris P. III. p. 267. sqq.) statuentis, ad alium Battum respici, nempe Poëtam quendam ignobilem ac ineptum, qui, *Suida* auctore, μακρὰς καὶ πολυστίχους ὕμνους, ταυτολογίας ἔχοντας, fecit.

fecit. Sensus est: *ne multa verba faciatis in precibus.* Ἐθνικοὶ, *homines qui verum Deum nec agnoscunt, nec colunt,* alias ἔθνη. Vox ἔθνος in vulgari Graecismo significat *quemcunque populum,* s. *gentem,* in N. T. autem saepe significat non quamvis *gentem,* sed *eam, quae verum Deum non agnoscit, nec recte eum colit.* Novam istam significationem vox graeca recipit ad exemplum hebraeae גּוֹי, quae quandoque significat *gentem quamcunque,* alias vero *gentem, quae verum Dei cultum non habet.* Nehem. V, 8. 9. Ceterum his verbis Christi non vetamur aliquamdiu continuare orationem; sed prohibemur Deo verba annumerare, quasi ille preces ex prolixitate potius, quam ex intimo animi affectu metiretur. Exempla Battologiae Ethnicorum supplicantium civilis vide ap. *Lightfootum* al osque ad h. l. ἐν τῇ πολυλογίᾳ ἐν, hebr. ב pro: πολυλογίας ἕνεκα, πολύλογοι autem solent iidem esse βαττόλογοι, quia ut multa dicant, necesse habent saepe iam dicta repetant.

8. μὴ οὖν — αἰτῆσαι αὐτὸν) *Ne igitur imitemini eos* etc. Ὁμοιωθῆναί τινι, *imitari aliquem.* Non tantum Hebraei, sed et Hellenistae saepe usurpant passivum pro Hithpahel. Vult Iesus, nos non esse similes illis, qui sibi persuadent, multis verbis argumentisque opus esse ad informandum exorandumque Deum, addita ratione, quod Deum omniscium nihil plane lateat. Qui enim in orationibus verbosi sunt, et eadem repetunt, ii ita agunt, ac si dubitarent, vel de scientia Dei, quasi opus sit idem oenties dicere, ut intelligat, aut ne obliviscatur, vel de ipsius sapientia, vel de ipsius bonitate.

9. οὕτως οὖν προσεύχεσθε ὑμεῖς) *In hunc sensum.* Non enim praecipit Christus verba recitari semper, quoties precamur, quod nec legimus Apostolos fecisse (quan-

quam

quam id quoque fieri cum fructu potest,) sed materiam precum hinc promere. Notandum est autem, totam paene hanc orationem ex formulis Hebraeorum concinnatam esse, tam apte, ut omnia contineat, quae a Deo peti possunt, cum agnitione maiestatis divinae, et subiectionis nostrae. Doctoribus *Iudaeorum* usitatissimum fuit oratiuncularum formulas sibi ipsis struere, discipulisque suis tradere, quod de *Ioanne* etiam asserit Lucas, cap. XI, 1. qui v. 2. seqq. aliam etiam, breviorem formulam exhibet, quam Iesus alio tempore, rogatus a discipulis dedit. Vid. NOESSELT exercitatt. sacras p. 8. et *D.* IOH. WILH. RAU. *Untersuchungen die wahre Ansicht der Bergpredigt betreffend.* Erlang. 1805. 8. pag. 92. sqq. PFANNKUCHIUS cum nonnullis aliis statuit, ad hunc usque diem ne unum quidem huius formulae interpretem recte percepisse mentem Christi, et novam interpretationem dedit, insertam EICHHORNII *Bibliothecae universali literaturae bibl.* Vol. X. p. 840. sqq. *über die Gebetsformel der Messiasschüler.* Arbitratur, hanc formulam *Symbolum* potius esse confessionis, quam precum, unum veluti principium per universam hanc formulam regnare; exprimi nempe spem, fore, ut proxime instet tempus, quo Deus effecturus sit finem omnium bonorum, emendationem animorum omnium hominum, et inde orituram felicitatem; hanc exoptatissimam humani generis conditionem appellari posse theocratiam, *βχσιλέιαν τȣ̃ θεȣ̃, ζωὴν αἰώνιον*; quatuor primis sententiis istam unam cogitationem exprimi, sextam cum septima coniunctam, de removendis huius rei impedimentis loqui, atque sic unam quasi ideam per omnem hanc formulam reperiri. — Sed vanitatem huius inventi docte et copiose demonstravit Io. AUG. NOESSELT in observatt. ad orationem dominicam, insertis eiusd.

Exer-

Exercitationibus Sacris. Sed iam ad explicationem huius formulae accedimus. Πάτερ ἡμῶν ἐν τοῖς οὐρανοῖς) i. e. *Benignissime, celsissime, potentissime, sanctissime omnium rerum auctor, conservator et rector.* Nam *Pater* vocatur Deus ob summam bonitatem, qua omnia creavit, qua omnia conservat et gubernat. ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς idem est ac ὕψιστος, et utrumque est synonymum, cap. V, 45. coll. Luc. VI, 35. — omnium celsissimus ac potentissimus. Ps. CXV, 3. ἁγιασθήτω τὸ ὄνομά σου) *Tu es venerandus et colendus. Utinam totos nos ad laudes tuas componere, et omnibus rebus nostris te unice celebrare valeamus!* Haec verba, ut et quae commate sequenti habentur, non tam petentium sunt, quam adorantium, et Dei maiestatem agnoscentium colentiumque. In Epilogo pro ἁγιασθήτω τὸ ὄνομά σου habemus σοῦ ἐστὶν ἡ δόξα. Utrumque ergo est δοξολογία. Nampe ἁγιάζειν, קדש *laudare* significat et *celebrare*. 1 Petr. III, 15. Ies. VIII, 13. quod fit recta divinae voluntatis cognitione et obsequio. Io. XV, 8. Imperativus autem h. l. ut saepe optativam habet significationem. *Nomen* Dei denotat *Deum ipsum*, et quae de Deo dici possunt. Similis huic formula est in oratione Iudaeorum *Kaddisch* dicta.

10. Ἐλθέτω ἡ βασιλεία σου) Regnum *Dei* idem est, quod alias vocatur *Messiae* regnum. Cf. supra c. III, 2. Ante adventum Messiae sensus huius petitionis erat: *Praesto adsit Messias.* In oratione *Kaddisch* precantur Iudaei: *Regnare faciat* (Deus) *regnum suum. Efflorescat redemtio eius, et praesto adsit Messias, et populum suum liberet.* Sensu haud valde dissimili discipuli Iesu tum temporis hanc petitionem accepisse videntur. Nos autem precamur, ut quamplurimis hominibus contingat do-

doctrina Christi illustrari, eiusque legibus emendari. In Epilogo: σᾶ ἐσιν ἡ βκτιλεία. γενηθήτω τὸ θέλημά — τῆς γῆς) Duplex est significatio vocabuli θέλημα τᾶ θεᾶ. Nam significat vel id, quod Deus a nobis fieri vult, ut Matth. VII, 21. Io. IV, 34. vel decretum Dei in gubernando universo, ut Matth. XXVI, 42. εὐδοκία, cap. XI, 26. 1 Cor. I, 1. Ephes. I, 1. Si priori significatione sumitur, sensus est: *Obsequium tibi praestetur ab hominibus in his terris, ὡς ἐν ἀρανῷ. ab angelis.* ut declaretur modus, quo quis ius civitatis in regno Messiae consequatur. Haec est vulgaris expositio. Si vero το θέλημα τᾶ θεᾶ in altera significatione sumitur, sensus est: *Fac tu, Deus, in omni universo, quod tibi placet.* Nos acquiescemus in tua voluntate; nolumus reprehendere tuam providentiam. In verbis ὡς ἐν ἀρανῷ καὶ ἐπὶ τῆς γῆς particula ὡς redundat, et tota phrasis universalitatem ind cat. *Coelum* et *terra* est *universum.* Non est in his verbis petitio, sed declaratio animi nostri et sensus erga Deum. Haec autem in praecando debet esse animi nostri conformatio, ut permittamus omnia regimini et providentiae Dei. In tractatu Sanhedrin: *Exercitus angelorum dixit: Domine totius mundi, tuus est totus mundus. Effice in mundo tuo quod vis.* Haec interpretatio, menti Christi, qui omnes res suas Dei providentiae permisit, prorsus consentanea, mihi videtur esse verior.

11. τὸν ἄρτον — σήμερον) *Da nobis quovis die victum posterum*, sive *crastinum*, i. e. res ad vivendum cras s. postridie necessarias. Nomine ἄρτος, ut hebraico לֶחֶם non solum *panis* et *potus*, sed omnino *victus, cultusque corporis*, omnia, quaecunque ad vivendum necessaria sunt, τὰ ἐπιτήδεια τᾶ σώματος, (Iac. II, 16.) significantur. Vid. 2 Sam. III, 29. Prov. XII, 9. Ps. CXXXII, 15.

15. Vox ἐπιούσιος apud Profanos non occurrit, si credimus Origeni ab Evangelistis excogitata. *Athanasius* et ex eo *Damascenus*: τον μέλλοντα explicant. Non patiuntur grammaticae leges ἐπιούσιος aliunde deduci, quam a verbo ἔπειμι et participio ἐπιὦσα, quod *subsequens, succedens* significat, e. g. τῆς ἐπιούσης ἡμέρας, τῆς ἐπιούσης νυκτος. Inde formatur ἐπιούσιος, sicut περιούσιος a περιὦσα. Opponitur τῷ πρώην-ι, ei quod iam habemus in manibus. Significat itaque ἄρτος ἐπιούσιος *victum et cultum crastini diei*, postero die necessarium, τὰ ἐπιτήδεια τῆς ἐπιούσης non omnino *temporis futuri*. Christus enim potissimum discipulorum rationem habuit, qui gravitatem atque molestiam laborum perferendorum non deberent augere curis ad victum diei crastini spectantibus; infr. v. 34. *Gregorius Nyss.* bene explicat: ἄρτον τῆς σημερινῆς χρείας, et τό ἐφήμερον. Σήμερον pleniore Hebraismo diceretur σῆμερον σήμερον, i. e. *Luca* interprete τὸ καθ' ἡμέραν, *quotidie*. Contorta est *Pfannkuchii* expositio existimantis intelligendum esse ἄρτον ἐκ τῆ ἐρχνῆ, τὸν ἀληθινὸν, Io. VI, 32. et nihil aliud esse in his verbis, quam perpetuam beatitatis in regno Messiae usuram, quia nihil sit apud Iudaeos, et in ipsis libris sacris frequentius imagine coenae, convivii que cum optimo quoque maiorum, ad adumbrandam civium regni coelestis felicitatem. Hanc auctoris opinionem satis refutavit NOESSELT, l. c. Nihil igitur addimus.

12 Καὶ ἄφες — ἐφειλέταις ἡμῶν) *Remitte nobis peccata nostra, sicut et nos ignoscimus iis, qui in nos deliquerunt.* Ὀφείλημα, *debitum* significat, deinde vero etiam *delictum, peccatum*. Ὀφειλέτης idem *debitorem* vulgo significat, qui obligatus est ad pecuniam, aut ad aliud quid reddendum; estque haec vox orta a rad. חוב de-

debere, *debitorem esse*; deinde eadem vox significat etiam *peccatorem*, qui ὀφέιλει δίκην, ut Graeci loquuntur, vel ut Latini, qui *poenas debet*, ob peccatum scilicet, quod perpetravit. Dan. I, 10. *Lucas* habet ἁμαρτίας. Ἀφιέναι autem ἁμαρτίας opponitur τῷ κρατεῖν, et utrumque dictum de Deo ἀνθρωποπαθῶς, quia homines ea, quae bona fide condonant, quasi ex animo proiiciunt; quae condonare nolunt, asservant. Ὀφειλέται, sive οἱ ὀφείλοντες sunt qui in nos deliquerunt. *Sicuti et nos filii tui, tuo exemplo, simili indulgentia alios homines prosequimur, i. e. laesi vindictam nec facto nec voto expetimus.*

13. μὴ εἰσενέγκῃς ἡμᾶς εἰς πειρασμόν) *Noli permittere, ut rebus adversis vel illecebris peccatorum succumbamus.* πειρασμὸς respondet Hebr. מַסָּה *tentatio*, et saepe denotat omnis generis calamitates, quia iis explorantur homines, quales sint; haud raro autem in malam partem accipitur, ut is πειράζεσθαι dicatur, qui ad peccatum incitatur. Iac. I, 13. Frequens Hebraeis est: לְיַד נִסָּיוֹן אַל תְּבִיאֵנוּ. Occurrit et am phrasis: εἰσέρχεσθαι εἰς πειρασμόν, (בא במסרין) *ita involvi illecebris aut periculis, ut non extriceris*, infra c. XXVI, 41. ac proinde εἰσφέρειν εἰς πειρασμὸν est *inferre*, vel *pati aliquem inferri eiusmodi periculo*. ἀλλὰ ῥῦσαι ἡμᾶς ἀπὸ τοῦ πονηροῦ) τὸ πονηρὸν, omnia mala et res adversae. Alii putant τοῦ πονηροῦ non esse genitivum neutrius, sed masculini generis, et τὸν πονηρὸν esse Satanam, principem et auctorem τοῦ πειρασμοῦ; enunciationem autem ῥῦσαι ἡμᾶς ἀπὸ τοῦ πονηροῦ ad enunciationem μὴ εἰσενέγκῃς ἡμᾶς εἰς πειρασμὸν referri. ὅτι σοῦ ἐστὶν ἡ βασιλεία — ἀμὴν) Viri docti et in critica sacra versatissimi hanc Doxologiam ut spu-

spuriam repudiarunt. Reperitur quidem in omnibus Codicibus Graecis, paucis exceptis, sed *Origenes*, *Nyssenus*, *Cyrillus*, *Maximus*, qui totam orationem dominicam ex professo explicant, huius appendicis nullam faciunt mentionem. Omittunt patres latini omnes. Est doxologia, quam in vetere ecclesia Sacerdos solus orationi dominicae a populo recitatae addere solebat. *Ambrosius* de Sacramentis VI, 5. post verba: *libera nos a malo*: „Quae sequuntur, audi quid dicat Sacerdos: Per dominum nostrum Iesum Christum, in quo tibi est, cum quo tibi est honor, laus, gloria, magnificentia, potestas, cum Spiritu S a seculis et nunc et semper, et in omn a Secula Seculorum Amen." Et sane si haec δοξολογία non pars est, sed appendix vel antiphona orationis dominicae, cui in Ecclesia graeca a sacerdote solo et semper addi solebat, omnia plana sunt; et facile intelligimus, cur librarii illam Matthaeo adiecerint: sin autem ab ipso Domino fuit praescripta, qui factum, ut illo verba praeeunte, nec Lucas Evangelista, nec patres Graeci, nec tota ecclesia latina sequerentur? Porro δοξολογία loco minus commodo hic inseritur. Cf. v. 12. et 14. Sed et *Amen* apparet non a Christo additum, sed ex more veteris ecclesiae publicam precum recitationem ea voce approbantis Deut. XXVII, 15. 1 Cor. XIV, 16. Plura vide ap. *Griesbach.* l. c. Omnis haec doxologia sensu non differt a v. 9. 10. *Tu omnium summus es dominus; tu omnia potes; tibi debetur laus et summus honor in aeternum.*

14. παράπτωμα) *Lapsus*, offensa, erratum; metaph. *delictum*, *peccatum*. Pertinet hoc ad illustrandum comma 12. Docet Christus hoc et sequenti versu, peccatorum indulgentiam non patere nobis, nisi sub conditione

ne

ne novae obedientiae, cuius pars magna fit lenitas in condonandis iniuriis.

15. ἐὰν δέ μὴ ἄφ) Elegans est ἀντίθεσις ad excitandam attentionem. Nam eadem sententia interdum varie exprimitur per periphrasin quamdam, quae redundare videtur, partim affirmando, partim negando ut altius menti inhaereat. Ies. III, 9. Deut IX, 7. Cf. Matth. XVIII, 35. cum v. 21. sqq.

16. ὅταν δὲ νηστεύητε) Christus hic agit non de communibus populi ieiuniis, sed de his, quae privatim sibi quisque indicebat, sive perpetuo quodam more statis diebus, nimirum Lunae et Iovis, ut plerique Pharisaei, quorum qui videri volebant religiosiores, etiam Martis et Veneris diem adiungebant. μὴ γίνεσθε — σκυθρωποί) *Ne velitis imitari simulantes pietatem, tristi vultu incedentes.* Sunt σκυθρωποί qui tristitiam vultu, data opera a sordibus non purgato, prae se ferunt. Vid. loca a *Krebsio* e Flavio Iosepho allata. ἀφανίζουσι γὰρ — νηστεύοντες) i. e. *data opera vultum faciemque deturpant et deformant, ut alii eos ieiunare sentiant.* Ἀφανίζειν proprie notat *aliquid abolere ita, ut ne vestigium eius appareat;* deinde etiam *alicuius rei formam et speciem deturpare.* Vid. *Krebsium* ad h. l. Alexandrini hebr. מְשַׁחֵת non tantum ἀφανίζειν, sed etiam συγχύζειν et σκυθρωπίζειν reddunt. Ezech XXVII, 35. Ierem. XIX, 8. Indicatur, eos studiose vultum ita torvum affectare, ut qui aspiciat, homines esse vix agnoscat. Hoc faciebant laudis studio. Ὅπως φανῶσι, i. e. φανεροὶ ὦσιν, ut sint in oculis, et manifestum fiat eos ieiunare. Eleganter dicitur. Deformant vultum, ut omnium oculos in se convertant.

17. ἄλειψαί — νίψαι) *Caput tibi ungas faciemque laves.* Hoc est: *praefer vultum et habitum quotidianum:* nam et lavari et ungi solebant Iudaei eorumque vicini extra luctus tempora. Praecipue autem orientales in conviviis, et alias tempore laetitiae capita unguentis perungere solebant. Haec unctio propter orientis nimium aestum refectionis multum corpori afferebat.

18. ἐν τῷ φανερῷ) Pauciores Codices addunt, et ex superioribus locis comm. 4. 6. repetitum est.

19. 20. Μὴ θησαυρίζετε — οὐδὲ κλέπτουσιν) *Nolite vobis congerere opes terrenas, tineis, rubigini et furibus obnoxias; acquirite vobis potius bona in coelis* (aeternum) *duratura, nec tineis, nec rubigini, nec furibus obnoxia.* Voces θησαυρὸς et θησαυρίζειν latiori significatione non tantum de auro, argento et gemmis, sed etiam de pretiosis vestimentis, itemque de frumenti, vini, olei, aliarumque rerum copia adhibentur. De frugibus reconditis usurpantur apud *Aelian.* Var. hist. VI, 12. Hist. Animal. III, 10. et ap. LXX. Amosi VIII, 5. Frumentum, vinum, oleum, vestes aliaeque res apud orientales in agro in cavernis subterraneis asservabantur. Matth. XIII, 44. cf. b. *Fabri Beobachtungen über den Orient* P. II. pag. 462. βρῶσις, proprie *cibus, edulium,* deinde etiam *erosio, corruptio,* vel potius vermiculus edulia corrumpens. Aliis βρῶσις est hebr. חָסִיל, LXX. ἡ ἐρισύβη, insectorum genus, frumento noxium, *curculio, der Kornwurm.* In Glossario: βρῶσις, ἡ σῆψις, *tinea, rubigo.* Aliis denique est ἓν διὰ δυοῖν pro σὴς βρώσκουσα. Vid. *Sviceri* Thes. vocem βρῶσις. ἀφανίζειν hic est, quod Lucae διαφθείρειν. Θησαυροὶ ἐν οὐρανῷ sunt bona in coelo, i. e. aeternum duratura, pax conscientiae, favor

divinus, praemia coelestia, quae indefesso virtutis studio parantur. 1 Tim. VI, 17. 18. Hoc praeceptum proxime et strictissimo sensu ad discipulos Christi, sc. futuros Apostolos pertinebat, ut plura alia in oratione montana. Vid. notata supra ad c. V. 1. Apostoli enim totam vitam omnemque operam suam religioni tradendae et propagandae consecrare debebant. In hac functione non licebat illis divitias colligere; licebat autem, Deo providente expectare victum et alia ad vitam necessaria ab illis ipsis, quibus docendis operam navaturi erant. Vid. infra v. 24. sqq. Cf. cap. X, 8. sqq. Ceterum aliis etiam omnibus Christiahaec mens esse debet, ut bona coelestia et aeterna praeferant bonis huius terrae caducis et perituris. 1 Tim. VI, 17. 18. Possumus etiam vertere: *non tam — quam potius;* nam hebr. לֹא non semper simpliciter negat, praesertim quum sequitur כִּי, ut hic δὲ v. 20.

21. *Ὅπου γάρ — καρδία ὑμῶν)* *Quod enim pro summo vestro bono agnoscitis, id etiam summo studio expetere debetis.* Est hoc acute dictum, proverbium, quod in omnium versabatur ore. *Ἔσαι*, fut. pro imperativo. *Ἡ καρδία* hoc loco est cogitatio, animus, desiderium animi, quemadmodum Latini dicunt: Animus est in hortis; animus est in patinis etc. Vid. Wetsten. ad h. l. Prout de rebus iudicamus, ita erga eas afficimur. Si igitur in aeternis bonis positam credimus veram felicitatem nostram, omnem iis operam dare debemus.

22. *Ὁ λύχνος τοῦ σώματός ἐστιν ὁ ὀφθαλμός)* *Oculus est corporis lux.* Ὀφθαλμός proprie hic accipitur pro corporis oculo, qui nobis est pro lumine, quo res circa nos discernimus. *Ἐὰν οὖν — φωτεινὸν ἔσαι)* *Si igitur oculus tuus integer* (sanus) *est, totum corpus tuum illu-*

lustrabitur. Ὁ ὀφθαλμὸς ἁπλοῦς est *oculus sanus* et *integer*, ὁλόκληρος, *sincerus*, quemadmodum *membra sincera* apud Lucretium. Si igitur ita comparatus est oculus, totum corpus lucem oculi sequetur, neque usquam impinget, sed ope eius omnia in incessu cavebit offendicula.

23. Ἐὰν δὲ — σκοτεινὸν ἔσται) *Si autem oculus vitio laborat, totum corpus tenebrae occupabunt.* Oculo ἁπλῷ pereleganter opponitur πονηρός, h. e. qui non est ὁλόκληρος, qui detrimentum passus est atque noxam, ut illuminando corpori inservire non valeat amplius. Quodsi igitur vitio laborat oculus, ut vel plane nihil videat, vel non recte cernat, totum quoque corpus erit tenebricosum, ut homo, quo eundum, nesciat, in avia delabatur, offendat in incessu, corruat, pereat. Additur nunc applicatio: εἰ οὖν — πόσον;) *Si igitur, quae in te esse debebat lux in tenebras degenerat, quantae illae tenebrae!* Quanto peius tibi erit! Actum est de te! Τὸ φῶς τὸ ἐν σοὶ, *lumen quod est in te*, opponitur oculo, tanquam λύχνῳ τοῦ σώματος, adeoque *exteriori.* Alibi quoque phrasi ἐν σοὶ et ἐν ἡμῖν ea, quae nobis sunt intrinseca magis, et ad ipsam pertinent mentem, denotantur, tum apud profanos, tum sacros scriptores. Aristoteles Topic. I, 14. ὥς ὄψις ἐν ὀφθαλμῷ, νοῦς ἐν ψυχῇ. Est igitur τὸ φῶς τὸ ἐν ἡμῖν vel ipse animus noster, vel principia, quae ipsi in iudiciis actionibusque suis praelucere debebant, et ducto argumento a minori ad maius, si misera res est, inquit Iesus, in tenebris versari hoc *corpus* nostrum, ubi oculi, qui totum illud illuminant, contraxerint vitium; quanto magis miserum erit, si, quod in te, i. e. in animo tuo est, lumen (principia iusti et boni,) extinctum fuerit turpissimorum affe-

ctuum tumultu? Cohaerent nempe haec cum iis, quae v. 19—21. dixerat Iesus. Operam dandam esse docet, ut rectum sit nostrum de rebus iudicium atque sincerum; alias enim in perpetuis tenebris nobis esse oberrandum, si eo semel corrupto, fluxa perennibus, coelestibus terrena praetulerimus. Vid. *Gottfr. Olearius* in h. l.

24. Cohaerent haec praecepta cum v. 11. 19. seqq. ἐδεὶς δύναται δυσὶ κυρίοις δουλεύειν) *Nemo potest duobus Dominis simul servire*, s. satisfacere. Particula comparandi hic est omissa. Nam plena oratio esset: ὥσπερ ἐδεὶς δύναται δυσὶ κυρίοις δουλεύειν, οὕτως ὑμεῖς οὐ δύνασθε Θεῷ δουλεύειν καὶ μαμμωνᾷ. Cf. Prov. XXV, 25. 26. ubi LXX. particulas comparandi bis omissas, bis supplent. Vid. *C. E. Goez Erklärung des Matthaeus* ad h. l. Οὐδεὶς, sc. δοῦλος, *mancipium*, in quod summum est ius penes dominum. Sic enim subiectum definiendum est ex praedicato δουλεύειν. Cf. Luc. XVI, 13. ubi extat ἐδεὶς οἰκέτης. Dativus pluralis δυσὶ in Atticorum scriptis nusquam invenitur, quippe qui Auctore Phrynicho semper δυοῖν dixerunt. Scriptores N. T. hunc usum Dativi plur. δυσὶ dialecto Alexandrinae et auctoribus Versionis V. T. debere videntur. Intelligendum est hoc proverbium de dominis in solidum, qui sunt inter sese diversis moribus, quales plerique esse solent, contraria poscentes officia. *Terent.* Andr. I, 3. 4. *Nec quod agam certum est; Pamphilumne adiutem, an auscultem seni. Si illum relinquo, eius vitae timeo: sin opitulor, huius minas. Phormio* I, 1. 26. *Seni fidelis dum sum, scapulas perdidi.* Dominis igitur sibi contrariis nemo mancipatus esse potest; quia dum alterum colit, utique quem non colit, offendit: praelatio enim alterius sine alterius contumelia non potest procedere, ut ait Tertullianus in Apologet.

ἢ γὰρ — καταφρονήσει) *Num unum postponet, alterum praeferet; alterique magis studebit altero.* Μισεῖν h. l. est *posthabere* sicut ἀγαπᾶν est *praeferre*, hebraico more. Ἀντέχεσθαι τινός, *alicuius mandatis obsequi*, cuius contrarium est καταφρονεῖν. *Hesychius*: ἀντέχεται. ἀντιλαμβάνεται, φροντίζει, περιποιεῖται. Ἀγαπᾶν et ἀντέχεσθαι, itemque μισεῖν et καταφρονεῖν, tanquam verba potestate paria sibi invicem respondent. οὐ δύνασθε — μαμμωνᾷ) *Non potestis Deo addicti esse, et cupiditati corradendi opes.* Θεῷ δελεύειν est universim *Deum colere;* sed Apostoli Deo etiam ministrare debebant, in tradenda et ubivis terrarum propaganda doctrina Christi. Unde Apostoli seipsos appellare solebant δούλους Iesu Christi. Rom. I, 1. eodem sensu, quo Prophetae olim vocati sunt עַבְדֵי יְהוָה, Ios. I, 1. Iudic. II, 8. Ps. CXXXII, 10. Μαμμωνᾶς vocabulum Rabbinicum et Syriacum מָמוֹן *divitiae, opes.* δελεύειν τῷ μαμμωνᾷ est servire opibus, i. e. cupiditati magnas opes et facultates corradendi. Hoc maxime quidem ad Apostolos pertinuit, quos Iesus monet, non posse eos simul dicare operam suam Evangelii praedicationi, et colligendis opibus. Sed et ad omnes alios homines hoc suo modo pertinet. Nemo pecuniarum et lucri cupidus Deum recte et ex animo colere potest. Egregie Sallustius: *Ubi divitiae clarae habentur, ibi omnia vilia habentur: fides, probitas, pudor etc.* Epist. 2. de republ. ord.

25. Docet Iesus, nec decere, nec opus esse, ut *Dei* ministri, qui summi Domini rebus et negotiis utilem praestent operam, curis rerum terrenarum, aut cultus victusque necessarii agentur. Μὴ μεριμνᾶτε τῇ ψυχῇ ὑμῶν) *Ne de vita sustentanda solliciti sitis.* Vox μεριμνᾶν,

et

et nomen μέριμνα haud dubie mediae sunt significationis, 1 Cor. VII, 32. 33. 34. 2 Cor. XI, 28. *curare, sollicitum esse, anxie cogitare.* ψυχή, נֶפֶשׁ h. l. est *vita.* τῇ ψυχῇ pro περὶ τῆς ψυχῆς, hebraico more. Nam verbum דָּאַג, cui in versione Alexandrina μεριμνᾷν respondet (1 Sam. X, 2. Ps. XXXVIII, 19.) construitur cum particula לְ. Hoc praecipue Apostolis praecipitur, sed suo modo aliis etiam Christianis. τί φάγητε — ἐνδύσησθε) Oratio vicinis verbis variata et per partitionem quandam dilatata, ut τροφὴ referatur ad ψυχὴν et ἔνδυμα ad τὸ σῶμα. ἢ οὐχὶ ἡ ψυχὴ πλεῖον — ἐνδύματος) πλεῖον, pluris faciendum. Sic *Aquila* et *Symmachus* יִתְרוֹן Cohel. I, 3. vertunt πλέον, LXX. περισσείαν, *praestantius.* Qui vitam corpusque, quae pluris sunt, dedit, ab eo victum et vestitum, quae minoris sunt, et illorum caussa dantur, non sperare, est absurdum.

25. τὰ πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ) *Volucres in aëre volantes.* Ex Hebraeo עוֹף־הַשָּׁמַיִם Ps. CIV, 12. Hebraei enim, quum volucres, aut alia animantia nominant, ipsum quoque locum, ubi illa degunt, adiicere solent. Vox שָׁמַיִם autem hic significat eam partem aëris, in qua aves versantur. Ps. VIII, 8. Gen I, 26. Quae v. 26—28. praecipiuntur, ea exemplis ab avibus et floribus petitis illustrantur, ut auditores per sensus ad animum deducantur. ὅτι οὐ σπείρουσι, *quae neque serunt;* ὅτι pro ἃ, sic ut Hebraeorum כִּי saepius obtinet vim pronominis אֲשֶׁר. οὐδὲ συνάγουσιν εἰς ἀποθήκας) *Neque in granaria fruges colligunt.* De vocabulo ἀποθήκη vid. C. III, 12. καὶ ὁ πατὴρ — τρέφει αὐτὰ) καὶ h. l. verti debet *et tamen,* ut hebr. וְ, Exod. V, 18. Ezech. XVI, 20. Recte monet

Schul-

Schulzius ad h. l. imaginem hanc non esse extendendam ultra tertium comparationis. Hoc vult Christus: Facite tantum quod vestri muneris est. De vita autem sustentanda et de vestitu tam parum sitis solliciti ac aves in aëre et lilia in agris. Deus providebit. Reliqua: *nec semina spargunt, nec metunt, nec in cellas congerunt,* et v. 28. *nec laborant, nec nent,* ad ornatum sermonis pertinent, nec in applicatione sunt attendenda. Cf. Matth. X, 9. 10. μᾶλλον διαφέρετε) μᾶλλον hic παραλλήλως. Διαφέρειν h. l. est *antecellere, excellere, praestare.* Vos iis longe praestatis, non modo ut homines vulgares, huius terrae adeoque avium domini, Gen. I, 28. Ps. VIII, 7—9, sed multo magis, ut lux et sal huius mundi, quorum opera doctrina salutaris longe lateque est diffundenda.

27. Τίς δὲ ἐξ ὑμῶν — πῆχυν ἕνα) *Quis vestrum sollicitudine sua vel minimum potest addere aetati suae?* τὴν ἡλικίαν vulgo interpretantur staturam; at male; nam ad vitam nihil facit augmentum staturae. Ἡλικία ergo hic significat aetatem, vel tempus vitae. Io. IX, 23. ἡλικίαν ἔχει. Sic Graecis προβεβηκὼς τῇ ἡλικίᾳ, vel χρόνῳ, est homo, *qui est provectae aetatis.* De *cubito* autem Christus loquitur, tanquam de re minima Luc. XII, 26. quemadmodum Ps. XXXIX, 6. totius vitae longitudo palmae comparatur. Aetas hominis spectatur tamquam continuum aliquod filum, adeoque mensurae capax; unde et Parcis sua cuique a mythologis data opera. Nos quoque dicere solemus: *eine Spanne Zeit.* Accedit, quod Iesus comm. 25. curas diviserat in curam vitae sustentandae per alimenta, et in curam vestitus. De posteriori v. 28. demum sermo est; ad primum v. 27. adhuc pertinet. Atqui ad vitam nihil facit augmentum staturae, facit autem cubitus aetati additus. Ad ingenium Orientalium, qui va-

rios

rios aetatis hominum decursus ad diversas mensurae rationes referre solent, propius accedunt, quae habet *Ephraëmus Syrus* in *Orat. exeget. in Ecclesiasten.* Oper. T. II, p. 338. inprimis 348. ubi quinque gradus mensurae cum totidem decursibus aetatis hominum comparat.

28. *Et de vestitu τί μεριμνᾶτε; cur solliciti estis? τί* pro *διὰ τί*; *καταμάθετε τὰ κρίνα τῆ ἀγρῆ*) *καταμανθάνειν*, h. l. *considerare, animadvertere, diligenter contemplari*, idem quod *κατανοεῖν* Luc. XII, 27. *τὰ κρίνα τῆ ἀγρῆ*, lilia sponte nata, non ab hortulano culta, et quidem purpurei coloris, praecipue in agris Syriae nascentia; *κρίνον βασιλικὸν*, cuius mentionem faciunt *Dioscorides* L. III, c. 16. et *Plinius.* Hebr. שׁוּשָׁן. Hoc vero שׁוּשָׁן non est illud genus florum, quod *lilii* nomine vulgo appellamus, sed potius lilium Persicum, quod alio nomine *corona imperialis (Kayserkrone)* vocatur et in Iudaea plerumque nascitur. *αὐξάνει*) *αὐξάνειν* apud Atticos proprie significationem augendi habet: hic pro *crescere* sumitur neutraliter. *ἐ κοπιᾷ οὐδὲ νήθει*) Illud virorum est, qui agrum colunt; hoc mulierum domisedarum.

29. *Λέγω δὲ — ὡς ἓν τούτων*) *Mihi credite quamquam Salomo splendidissimis utebatur vestibus, tamen non ita vestitus erat, ut unum horum.* Salomonem nominat, quia eius temporibus res Iudaeorum fuerunt florentissimae. *Δόξα*, כָּבוֹד non tantum *gloriam*, sed et *splendorem*, *pulchritudinem* (Act. XXII, 11. 1 Cor. XV, 40. 41.) significat, et in hac serie orationis *vestimenta splendida* indicantur, quae in versione Alexandrina Esth. XV, 2. *ἱμάτια δόξης* vocantur. *Περιβάλλειν* etiam scriptores exteri de vestitu usurpant. *Herodian.* VIII, 5. *χλαμύδι πορφυρᾷ περιβάλλεσιν.* Lilia cum

cum splendidis vestibus Salomonis comparantur. Nimirum ars nulla potest cum natura contendere. Simillimum huic Christi dicto est *Solonis* illud, qui, cum Regem *Croesum* in throno sedentem conspicatus interrogaretur, num pulcrius ullum vidisset spectaculum, vidi, inquit; gallos scilicet, pavones et phasianos.

30. Εἰ δὲ τὸν χόρτον — ὀλιγόπιστοι;) *Quum vero Deus flores hodie florentes, postridie in fornacem coniicendos, tanto splendore ornet, nonne multo magis vos* (amiciet, et curabit,) *o parum* (Deo) *fidentes?* τῷ ἀγρῷ redundat. χόρτος h. l. est ipsum illum. Hebraei omnia et terra nascentia dividunt in עֵץ et עֵשֶׂב. Illud Hellenistae ξύλον, istud χόρτον vocant, sub quo herbas, frumentum et flores comprehendunt. σήμερον ὄντα) Brevis duratio indicatur, q. d. ἐφήμερον, per unum diem durans, cito flaccescens, vel per morbum segetis, quem vulgo יֵרָקוֹן dicunt, (2 Reg. XIX, 29. Ies. XXXVII, 27.) sive per ventum urentem (Ies. XL, 7. Ps. CIII, 15. 16. coll. Ps. XC, 6.) citissime corruptum. Vid. *Niebuhrs Reisebeschreib. v. Arab.* Praef. p. XLVI. *Fabers Beobacht. über d. Orient.* Tom. I. p. 58. Tom. III. p. 12. εἰς κλίβανον βαλλόμενον, *coniiciendum in fornacem*, ut Participium λυομένων 2 Petr. III, 11. ἐλεγχόμενοι, *edocendi*, Eph. V, 13. κλίβανος, hebr. תַּנּוּר omnis generis fornax, ut Gen. XV, 17. Hos. VII, 4. *Hieronymus* in Thren. V, 10. Clibanus est coquendis panibus aenei vasculi deducta rotunditas, quae sub urentibus flammis ardet intrinsecus. Solebant autem furni incendi non tantum ramalibus arborum, sed et floribus, postquam exaruerant, quemadmodum et paleis et lolio. Cf. b. *Fabri Beobachtungen über den Orient.* P. I. p. 239. sq. ὁ πολ-

λῷ

λῶ μᾶλλον ὑμᾶς) sc. ἀμφιέσται, *amiciet*, ὀλιγόπιστοι, קְטַנֵּי אֱמוּנָה Hebraeis etiam vocantur hi, qui quum in praesens habeant satis, futuri incertitudine cruciantur. Vox אֱמוּנָה, quam exprimit vox πίστεως, praesertim in usu Hellenistarum, significat saepe *fiduciam*, quam in alicuius bonitate ac potentia ponimus.

32. πάντα γὰρ ταῦτα τὰ ἔθνη ἐπιζητεῖ) *Eiusmodi sollicitudo tenet profanos.* τὰ ἔθνη, *profani*, idolorum cultores. Ἐπιζητεῖν *vehemens quoddam studium* designat. Mirum non est, gentes curam victus vehementer anxisse, cum aut mundum providentia haud regi, aut Deos hominum similes aliquando dormire, aut peregre abesse, aut omnibus simul negotiis vacare non posse, adeoque se sibi relictos esse, putarent. Huiusmodi moeror profanus cultoribus Dei, communis omnium Patris, imo intimis Christi amicis indignissimus erat.

33. ζητεῖτε — τὴν δικαιοσύνην αὐτῆ) *Adspirate itaque ad bona, in regno Messiae vobis parata, et ad virtutem Deo gratam.* Ζητεῖν respondet Hebraico דָּרַשׁ, adspirare ad aliquid, petere cum ardore. πρῶτον, *inprimis, praecipue, ante omnia*, ut Luc. XII, 1. Regnum Dei vel Messiae hic metonymice positum pro beneficiis et bonis in regno Messiae et in hac et in futura vita exspectandis. vid. c. III, 2. Δικαιοσύνη, צֶדֶק, *veritas* et in specie via salutis, quam Deus monstrat 2 Petr. II, 21. Sumitur etiam interdum pro: *beneficium*, *remuneratio*, ut Ies. LIV, 17. Sed usitatissima est *virtutis* significatio. Vid. quae supra ad c. I, 19. de voce δίκαιος monuimus, et cf. cap. V, 20. Δικαιοσύνη θεῦ, ut Ps. LI, 19. coll. v. 18, זִבְחֵי אֱלֹהִים, *sacrificia Deo grata*, h. l. est

vir-

virtus Deo accepta et grata. καὶ ταῦτα — ὑμῖν) *Tum haec omnia vobis appendicis quasi loco tribuentur.* Ταῦτα πάντα, nempe quae ad victum et cultum corporis pertinent. Προστίθεσθαι de eo dicitur, quod supra mensarum, aut iustum pondus adiicitur; et προσθήκη Graecis idem est quod ἐπίδοσις, πρόσθομα, ἐπίμετρον, latinis *corollarium*, *accessio*, *auctarium*, *mantissa*.

34. Μὴ οὖν — τὰ ἑαυτῆς) *Nolite itaque discruciari cura futuri; nam fiet suo tempore*, *quod* (ex providentiae divinae decretis) *fieri debet.* Εἰς τὴν ἄυριον) sc. ἡμέραν. Ἄυριον, hebraicae voci מָחָר respondens, *posterum tempus* quodcunque notat, et constructio ista εἰς τὴν ἄυριον hebraica est. Prov. XXVII, 1. Quanquam nec Graecis Scriptoribus infrequens, voce ἄυριον significatu uti paulo laxiore, ut omne deinceps venturum tempus significet. Sic Teia Musa: τὸ σήμερον μέλει μοι, τὸ δ' ἄυριον τίς οἶδε; Et Horatius L. I. Carm. Od. 9. *Quid sit futurum cras, fuge quaerere* etc. Ergo sensus verborum μὴ μεριμνήσητε εἰς τὴν ἄυριον est: *Nolite in sequens tempus extendere sollicitudinem.* Ἡ γὰρ ἄυριον μεριμνήσει τὰ ἑαυτῆς, *nam futurum tempus suis necessitatibus prospiciet.* Diei temporique generatim tribui solet omne id, quod in tempore evenit, quocunque id evenire credatur auctore. 1 Cor. III, 13. Verbum autem μέριμνᾷν h. l. significat effectum potius curae, quam ipsam curam, per metonymiam caussae pro effectu, vel saltem curam efficacem, *curam* quae *procuret.* Sensus igitur huius loci est: crastina die *Deum* esse prospecturum, illis necessitatibus, quae sint istius diei, non debere discipulos sollicitos esse de iis, quorum curam potentior Deus iam susceperit; paratum fore cibum, qui pro-

proximi diei itinere fessi reficiantur. ἀρκετὸν—αὐτῆς, *sua cuique diei molestia, aerumna satis est.* Τῇ ἡμέρᾳ, *cuique diei.* Articulus enim est distributivus. Habet haec vita suas afflictiones, *quas nihil est necesse metu augeri.* Ἀρκετὸν (sc. ἐστι,) constr. cum κακία. Solent enim Graeci adiectivum neutrum masculino aut foeminino iungere. *Isocrates* ad Demon. τέρψις γὰρ σὺν τῷ καλῷ μέν ἄρισον. Κακία h. l. est κακὸν, vel ἡ κακότης, *res adversae, afflictio.* *Hieronymus* epist. 147. *Sufficit nobis de praesentibus huius seculi cogitare angustiis.* *Seneca* epist. 15. *Etiamsi futurum est malum, quid iuvat dolori suo occurrere? satis cito dolebis quum venerit: interim tibi meliora propone.*

CAP. VII.

1. Μὴ — κριθῆτε) *Nolite rigide* (vel temere) *iudicium ferre, ne vobis idem eveniat.* Κρίνειν ut דִּין cum vi quadam accessoria significat *sinistre, inique, severe iudicare*, s. pro κατακρίνειν, *condemnare*, quocum permutatur Rom. II, 1. Non vetat Iesus simpliciter et in universum omnia de aliorum dictis et factis iudicia, sed ea, quae privato, eoque temerario et maligno ausu, vel ex nimia curiositate per contemtum et superbiam fiunt, quo proximum temere damnamus, illius dicta et facta sinistre interpretantes. Ἵνα μὴ κριθῆτε. *ut ne iudicemini*, sc. vicissim, tum a Deo, tum ex talionis iure ab aliis hominibus, quorum censuris merito vestro exponimini. Apud Iudaeos celebris distinctio est inter מִדַּת הַדִּין et מִדַּת הָרַחֲמִים, mensuram Iudicii et mensuram misericordiae. Solet autem Christus hoc et alia prudentum dicta,

cta, ex iis quae in huius vitae cursu observarunt petita, transferre ad doctrinam coelestem, et quod illi primum dixerunt de iudiciis aliorum hominum, idem de iudicio ipsius Dei post hanc vitam exercendo vult intelligi.

2. ἐν ᾧ — ἀντιμετρηθήσεται) *Quid enim de aliis facitis iudicium, idem fiet de vobis; et qua mensura mensi fueritis aliis, eadem vobis remetietur.* Sensus est: *Par pari vobis refertur.* Pro ἀντημετρηθήσεται quod habet Lucas c. VI, 38. lege μετρηθήσεται, sensu tamen eodem. *Remensum vobis ibitur.* Vulgatissimum hoc apud Iudaeos adagium. : בְּמִדָּה שֶׁאַתֶּם מוֹדְדִין לוֹ. Vid. Lichtfoot ad h. l. et Buxtorfii Lex. Talm. pag. 1171. Utuntur et Arabes.

3. τί δὲ — ἐ κατανοεῖς) Sensus est: *Qui fit, ut sis tam perspicax ad minora aliorum vitia, quam ad tua longe maiora conniveas?* κάρφος, *festuca*, aliquid stipulae instar. Graeci κάρφην, gen. foem. vocarunt *foenum aridum et tenue.* Facile apparet, per τὸ κάρφος, *festucam*, vitium, s. crimen grave esse intelligendum. βλέπεις, *aspicis, spectas*, non enim reprehenditur, qui aliorum errores videt, et intelligit, sed qui in alios intuetur studio reprehendendi. Proverbium inter Iudaeos frequentatum. *Cicero* de off. I, 41. *Fit, nescio quo pacto, ut magis in aliis cernamus, quam in nobismet ipsis, si quid delinquitur. Idem Tuscul. III, 31. Avari avaros, gloriae cupidi gloriosos reprehendunt: est enim proprium stultitiae, aliorum vitia cernere, oblivisci suorum.*

4. ἢ πῶς — ὀφθαλμῷ σε; *Quomodo corrigere poteris alios quum longe maiora tua vitia non animadvertas?* Πῶς vim habet negandi. Non dicere poteris

ris fratri tuo. Vel: *Qua fronte?* Et hoc notum inter Iudaeos fuit adagium. Vid. comma sequens.

5. Ὑποκριτὰ, est Vocat. nominativo similis in lingua aeolica et boeotica, vel ut alii existimant ex dialecto Macedonica, unde latinum hypocrita. *Clark.* ad Iliad. I, v. 173. *Simulator*, tu, qui non ex animi bonis, quae habent alii, sed ex aliis vitiis carpendis laudem apud homines quaeras. ἔκβαλε — ἀδελφῷ σε) *Te ipsum primum corrige, et tum demum de aliorum vitiis corrigendis cogita.* Nam ἐκβάλλειν τὴν δοκὸν ἐκ τοῦ ὀφθαλμοῦ αὐτοῦ, *eximere trabem ex oculo suo*, idem est, quod *seipsum a graviore crimine immunem praestare, nec amplius ei indulgere*: et ἐκβάλλειν τὸ κάρφος ἐκ τοῦ ὀφθαλμοῦ idem est, quod *admonendo et corripiendo facere, ut alter quoque a vitio quodam leviore sibi caveat.* Utraque phrasis formata est ad hebraicas phrases, quae occurrunt in Codice Talmudico *Erachin* fol. 16. c. 2. Ibi quippe R. Tarphon inducitur dicens, mirari se, si quis in hac generatione redargui se ab alio patiatur, quia, si quis dicat: *tolle*, vel *exime festucam ex oculis tuis*, ei dici vicissim possit: *tolle*, seu *exime trabem ex oculis tuis.* Tantundem fere et in Cod. Bava bathra fol. 15. c. 2. legitur. Scriptores profani non quidem ipsas illas de *trabe* et *festuca* phrases usurparunt: sed usurparunt tamen super eadem re alias quasdam locutiones figuratas. Horatius *crimina* cuiusque propria *tubera;* aliorum vero *verrucas* vocat. Lib. I. Sat. 3. v. 73. ss. *Seneca* de Vita Beata c. 27. *Papulas observatis alienas, ipsi obsiti pluribus ulceribus. Hoc tale est, quale si quis pulcherrimorum corporum naevos, aut verrucas derideat, quem vera scabies depascitur.* καὶ τότε — ἀδελφῷ

φῇ σε) Διαβλέπειν idem est ac βλέπειν v. 3. Διαβλέψεις pro imperativo διάβλεψον ut saepius.

6. Ne quis suspicaretur, omnem etiam de rebus manifestissimis iudicandi libertatem tolli, subiungit Christus praeceptum ad eam prudentiam pertinens, quam alibi vult cum simplicitate coniungi. μὴ δῶτε ἅγιον — τῶν χοίρων) i. e. *Hominibus canum more vobis oblatrantibus, et spurcis, non temere proponite doctrinam coelestem.* Proverbium esse, docet auctor libri, qui מבחר חפנינים (electio gemmarum) inscribitur, ubi sic legitur: *Ne proiicite gemmas coram porcis;* et in Scholio: *Adagium est: Ne tradite sapientiam ei, qui non novit dignitatem eius; nam pretiosior est gemmis, et volutat se in sterquilinio.* Canum est πρὶν σπέψασθαι εἰ φίλος ὁ προσιὼν, ὑλακτεῖν, ut loquitur Andronicus Rhodius VII, 10. Hinc canibus iure assimilari possunt, qui monitis, etsi amicis ac salutaribus, oblatrant, vel solent bene consulentibus illudere. *Porcis* comparantur homines toti immersi voluptatibus obscoenis. ἅγιον est, quicquid Deo est consecratum. Nonnulli monuerunt, per τὸ ἅγιον intelligendum esse aliquid, quod canibus obiici possit, nimirum carnis victimarum particulam, *Opferfleisch.* Sed quis credat, canes eum laceraturos esse, qui iis carnes proiicit? Boltenius (*Bericht des Matthaeus* h. l.) arbitratur, in Evangelio hebraico extitisse vocabulum קדשא, quod non tantum *sanctum*, ut Graecus Matthaei interpres expresserit, sed etiam *annullum auricularem* significat, atque hoc sensu illud h. l. esse accipiendum. Haec coniectura praesupponit, Evangelium Matthaei hebraice scriptum esse, quod, ut mihi videtur, nullo modo probari potest; nec locus noster lucem inde accipit. ὁ μαργαρίτης (sc. λίθος) *margarita, unio.* Cum utroque comparatur doctrina Christi.

Christi. Iudaei doctrinas et Lectiones pulchras ac notatu dignas vocarunt margaritas. Cf. Prov. II, et infra c. XIII, 45. Docet Christus, doctrinam evangelicam non esse tradendam iis, qui vitiis et praeiudiciis ita sunt occoecati, ut facile praevideri possit, veritatem iis risui fore. Seneca epist. 29. *Nulli nisi audituro dicendum est.* μήποτε — ὑμᾶς) In his verbis est ἐπάνοδος, sive ὑσέρησις, ac si esset: μήποτε (ἔτοι sc. χοίροι) καταπατήσωσιν αὐτὰς ἐν τοῖς ποσὶν αὐτῶν, καὶ (ἐκεῖνοι sc. κύνες) ῥαφέντες ῥήξωσιν ὑμᾶς, ut Matth. XII, 22. τὸν ΤΥΦΛΟΝ καὶ κωφὸν καὶ λαλεῖν καὶ ΒΛΕΠΕΙΝ. cf. Hebr. X, 33. 34. Sensus: *ne illam,* (doctrinam coelestem) *exponant risui, vos autem vexent et interficiant.* Plerumque fit, ut obstinati contemtores divinae veritatis in eius professores immane odium concipiant, plebemque et potestates in ipsos concitent: quod in Iudaeis praesertim Christus eiusque Apostoli experti sunt.

7. αἰτεῖτε — ἀνοιγήσεται ὑμῖν) *Enixissimis precibus efflagitate a Deo vobis necessaria.* Verbis αἰτεῖν ζητεῖν, κρούειν idem denotatur, studium scilicet precandi. Haec admonitio v. 7 — 11. respicere videtur ad c. VI, 33. ubi dixerat Iesus, Apostolis hoc praecipue agendum esse, ut religionem propagarent, et homines ad virtutes hac religione dignas instituerent. Ad hoc difficillimum munus obeundum, opus erat auxilio divino, quod his verbis promittitur recte et constanter petentibus. Nec tamen hoc promissum ad solos Apostolos restringendum esse videtur. Nam constans et rectum studium precandi nunquam omni fructu caret. Si Deus non dat, quod volumus, dat quod bonum est, ἀγαθὰ, v. 11. vel meliora.

8. πᾶς γὰρ ὁ αἰτῶν) petens, ab homine, multo magis a Deo. πᾶς, *quisquis.* Intelligendum est dictum de

iis

iis qui petunt, quae petenda sunt, et a quo et quomodo petitionem fieri iubet Deus. *Philemon.* Πάντ' ἐστιν ἐξευρεῖν, ἐὰν μὴ τὸν πόνον φέυγῃ τίς, ὅς πρόσεστι τοῖς ζητουμένοις. Sicut et pulsanti fores aperiuntur, quod intelligatur illum velle intromitti.

9. ἤ τις ἐστιν ἐξ ὑμῶν ἄνθρωπος κ. τ. λ.) Apud Hebraeos *quis* saepe ponitur pro *si quis*, ut Ies. L, 10. Exod. XXXII, 33. et aliis locis, ubi hebraea vocula מי significat *si quis*. Hunc morem imitati sunt Scriptores N. T. ut infra c. XII, 11. XXIV, 45. ἐὰν post ὅς positum solet παρέλκειν, sive est particula potentialis, pro ἄν. Μὴ autem interrogativum hic est, ut sit sensus: *Si quis inter vos est, quem filius panem rogaverit, an lapidem ei dabit?* Adagium autem hoc de pane et lapide ab Hebraeis ad alias etiam gentes transiit ut ex *Plauto* apparet: *Altera manu fert lapidem, panem ostentat altera.*

11. Εἰ οὖν — αἰτοῦσιν αὐτόν;) *Quodsi igitur vos, quamvis illiberales, quicquid prosit liberis vestris dara soletis, quanto magis* etc. πονηροὶ, *maligni, parci, illiberales.* Apud Hebraeos עין טיב et עין רע ita sibi opponuntur, ut prius vultum benignum et liberalem, posterius illiberalem, avarum et sordidum indicare videatur. Prov. XXIII, 6. οἴδατε δόμ. ἀγαθὰ διδόναι) οἴδατε, *soletis*; nam in omnibus linguis *scire* ponitur pro *solere*. οἴδατε μισεῖν. Pro ἀγαθὰ Lucas c. XI, 13. habet πνεῦμα ἅγιον. Intelliguntur beneficia singularia, insignia dona. Τοῖς αἰτοῦσι αὐτὸν, sc. υἱοῖς s. τέκνοις, amicis, et familiaribus Messiae, quibus facta sit copia patrem potentissimum adeundi.

12. Πάντα οὖν — ποιεῖτε αὐτοῖς) *Quomodo vultis* (aut exspectatis) *ut alii erga vos se gerant, in omnibus ita vos gerite erga illos.* Est lex naturae. Vid. loca

a *Wetstenio* citata. Iubet Christus operam nos dare, ut aliis praestemus ea, quae ratio dictat, *non inique nos ab aliis postulaturos.* ἕτος — προφῆται, i. e. ἐν τούτῳ ἐστὶν ὁ νόμος καὶ οἱ προφῆται, *haec summa est eorum, quae in lege et a Prophetis sunt dicta. Hinc pendet lex et Prophetae* infra c. XXII, 4. Sic etiam Hebraei. In Cod. Talmudico Sabbath fol. 31. 1. *Historia* narratur *de gentili quodam, qui venit ad Schammai, eique dixit; Fac me proselytum ea conditione, ut totam legem doceas me, dum in uno pede sto. Abegit eum* (Schammai) *decempeda, quam in manu habebat. Venit ad Hillelem, isque proselytum ipsum fecit, eique dixit: Quod exosum tibi est, alteri ne facias. Haec tota lex est: cetera sunt explicatio eius. Abi perfectus.* Quod autem hic de summa legis et Prophetarum dicitur, id intelligendum est de *lege* et *monitis spectantibus mutua inter se hominum officia.*

13. εἰσέλθετε — πύλης) *Per angustam portam* (ad salutem, veluti arcem) *contendite.* Sensus est: *Imitamini exempla paucorum,* (qui nempe ea incedunt via, quae ad aeternam felicitatem ducit.) Via ad aeternam felicitatem comparatur cum angusta via per arctam portam. Coelum, sedes felicitatis constantissimae et omnibus numeris absolutae spectatur tanquam civitas et arx, in monte praecipite et super omnia humana longissime evecta, ad quam per viam arctam, per portam angustam sit enitendum. Εἰσέρχεσθαι, per emphasin h. l. est *contendere, eniti.* Lucas c. XIII, 24. ἀγωνίζεσθε εἰσελθεῖν. Nimirum optima quaeque difficiles habent aditus; et Christus iubet nos magis spectare, quo ducat via, (i. e. vivendi ratio) quam an commodum habeat ingressum. Huius generis similitudines apud profanos etiam extant, e. g.

Ce-

Cebetis Tab. describens τὴν ὁδὸν τὴν ἄγουσαν πρὸς τὴν ἀληθινὴν παιδίαν, ostendit: θύραν τινα μικράν, καὶ ὁδὸν τινα πρὸ τῆς πύλης, ἣτις ἐ πολυ ὀχλεῖται, ἀλλὰ πάνυ ὀλίγοι πορεύονται, καὶ ἀνάβασις στενὴ πάνυ, καὶ κρημνὸς ἔχουσα ἔνθεν κακεῖθεν βαθεῖς. ὅτι πλατεῖα — ἀπώλειαν) *Nam lata est porta et spatiosa est via abducens in exitium, quam multi ingrediuntur.* Seneca de V. B. c. 1. *Tritissima quaeque via et celeberrima maxime decipit*, i. e. vel in errorem, vel in perniciem deducit.

14. ὅτι στενὴ ἡ πύλη) *Sed angusta est porta.* Plurimi Codd. habent τί, quod Hellenistae haud raro ponunt pro ὡς, ut sensus sit: *quam angusta est porta?* sed recepta lectio praeferenda videtur. Particula ὅτι bene graeca, sed rarior significatio est: *sed*, (ut *Keuchenius* ad h. l. ostendit,) quam ignorantes librarii, mutarunt ὅτι in τι. *Griesbachius* tamen τί legendum censet, et hanc lectionem, utpote difficiliorem, insolentiorem et exquisitiorem, nec non testibus ex omnibus textus recensionibus, et e cunctis codicum classibus abunde suffultam defendit. τεθλιμμένη ἡ ὁδὸς) *via arcta, angusta*, vel *confragosa.* ζωὴ autem est *vita beata*, felicitas aeterna.

15. Προσέχετε δὲ ἀπὸ τῶν ψευδοπροφητῶν) *Cavete autem vobis a falsis doctoribus.* ψευδοπροφῆται sunt *doctores falsi.* Nam Hebraeis et ii, qui ad populum docendum procedebant, Prophetae dicebantur. Sermo esse videtur praecipue de Pharisaeis, quorum doctrina morum doctrinae Christi in multis prorsus erat contraria, primo quidem intuitu austera, sed revera laxa, et omnibus sceleribus aperiens ianuam. Intelliguntur autem simul omnes falsi doctores, Pharisaeis similes, etiamsi Christi sectatores se profiterentur. v. 21. οἵτινες ἔρχονται — ἅρπαγες) *qui*

veniunt ad vos induti vestibus e pellibus ovium confectis, sed intus sunt lupis rapacibus similes; i. e. *qui externe pietatem et mansuetudinem simulant, sed intus sunt pietatis hostes*, homines avari et crudeles. Ἐνδύματα τῶν προβάτων sunt *vestes ex pellibus ovinis confectae*, alias μηλωταὶ, δέρματα αἰγεῖα dicta, qui habitus fere Prophetarum veterum fuit; illud autem, ἔρχονται ἐν ἐνδύμασι προβάτων est ex graecismo paullo exquisitiore, et denotat: *veniunt ad vos induti vestibus, confectis ex pellibus ovium.* Indicatur vero *externa illa species sanctae, innocentis et mansuetae vitae, quam falsi doctores illi prae se ferebant.* λύκοι ἅρπαγες *lupi raptores.* Sic et in *Aesopi* fabulis lupus inducitur ovina pelle obtectus.

16. ἀπὸ τῶν — αὐτῶν, *dictis et factis facile dignoscetis eos*; si nempe propius eos inspexeritis. Pietas quidem ab iis vel maxime simulatur, sed verum est illud *Mimi: Cito ad naturam ficta reciderunt suam.* Καρπὸς tropice denotat *effectum* alicuius rei, hinc etiam dicta et facta hominis in utramque partem, sive bona, sive mala. Ipsi doctores falsi comparantur cum arboribus, et facta eorum cum fructibus arborum, more Hebraeorum solemni, Ps. I. Matth. III, 8. Ἐπιγνώσεσθε, *cognoscere poteritis.* Verum quidem est, ex moribus solis non posse cognosci, utrum aliquis sit verus doctor, an minus. Nam pii etiam homines errare possunt. Sed hoc facile possunt perspicere omnes vel parum attenti, eos non esse verae pietatis doctores, qui praecepta de amore Dei et proximi, et leges aequi et iusti parvi faciunt, qui summam religionis in caeremoniis ponunt, qui ipsi sunt fastuosi, odii et invidentiae pleni, maledici, avari, voluptatibus dediti etc. quales erant plerique Pharisaeorum; erant etiam ii,

qui

qui in utraque ad *Timotheum*, in *Iudae* epistola, et *Petri* secunda describuntur. μήτι συλλέγεσι) Activum personale pro passivo impersonali est positum, ut saepe. *Num de spinis colliguntur uvae, aut de tribulis ficus?* Quaemadmodum hoc naturae repugnat, sic etiam contra naturam est, ab homine malo exspectare virtutis et verae pietatis continuos fructus. Haec et quae v. 17. 18. continentur, locutiones sunt proverbiales, quibus similes etiam apud Profanos occurrunt. Sic *Theognis Gnomologus*: Οὔτε γὰρ ἐκ σκίλλης ῥόδα φύεται, οὐδ' ὑάκινθος. *Non etenim e scilla rosa nascitur aut hyacinthus.* Seneca epist. 87. *Non nascitur ex malo bonum, non magis quam ficus ex olea. Ad semen nata respondent.*

17. πᾶν — ποιεῖ) *Unaquaeque arbor bona bonos fructus edit, mala autem malos.* Δένδρον σαπρὸν est *arbor malae indolis*, *ein Baum schlechter Art*, atque adeo δένδρον πονηρόν, *arbor malae indolis.* Σαπρὸν, proprie *putidum*, saepe dicitur quicquid est *inutile*, *non idoneum.* Formula καρπὸς ποιεῖν est hebr. פרי עשׂה, Gen. I, 11. 12. *proferre fructus.* Δένδρον σαπρὸν est *arbor mala*, quod intelligitur ex opposito. Ipsum Graecorum vulgus quicquid *turpe* et *malum* esset, vocavit σαπρὸν. *Phrynichus*: σαπρὰν, οἱ πολλοὶ ἀντὶ τοῦ αἰσχράν. Applicatio est facilis. Qualis sit animus hominis cognoscitur ex eius moribus. Homo malus non diu latere potest, quin factis animum prodat.

19. Vid. supra c. III, 10.

20. ἀπὸ — αὐτῶν) Quum libenter homines moribus suis convenientia doceant, ex factis istiusmodi suspectos ipsos habete, priusquam dogmata sua vobis instillent.

21. ὁ πᾶς—ἐν οὐρανοῖς) *Non omnes, qui ore profitentur me esse Messiam, pro veris discipulis meis agnoscentur,* (et salutis participes erunt,) *sed ii, qui faciunt quod optimus Pater meus iubet.* Εἰσέρχεσθαι εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν nihil aliud est, quam *fieri civem regni Christi*, h. e. verum Christi discipulum, dignum cui beneficia, veris eius cultoribus in hac et futura vita parata tribuantur, ut recte colligitur ex v. 23. ὐδέποτε ἔγνων ὑμᾶς. Cf. supra III, 2. Ὁ λέγων, κύριε, κύριε, i. e. qui nomen meum professus fuerit, meque pro magistro suo agnoverit. Apud Iudaeos enim discipuli magistros compellabant *Dominos*, et illi contra *servorum* nomine veniebant. In verbis: ὁ πᾶς negatio est particularis; nam et qui obediunt Deo, dicunt Christo; Domine, Domine, i. e. se Christi sectatores profitentur. At obedientia veros et falsos Christianos distinguit. Τὸ θέλημα τοῦ πατρὸς, quod iubet pater, et hoc quidem loco ipsa religionis christianae praecepta. Ποιεῖν τὸ θέλημα τοῦ πατρὸς dicuntur, qui serium habent obediendi propositum, nimirum οἱ πίστιν ἔχοντες ὐ νεκρὰν, ἀλλὰ δι' ἀγάπης ἐνεργεμένην. Haud raro enim *agendi* verbis significatur *studium*, sed *tale, quod data occasione actuosum est* — Non titulus Christianum facit, sed vita.

22. Πολλοί ἐροῦσί μοι) Sermo, qui excludendis e regno divino assignatur, non exponit quid isti *revera sint dicturi*, sed quid accommodate ad personam v. 21. sibi impositam dicere *possint*, omninoque comparatus est ad generale illud λέγειν κύριε (v. 21.) insigni τῶν τῷ ὀνόματι κυρίε πολλὰς δυνάμεις ποιησάντων exemplo *illustrandum atque subiiciendum sub sensus.* Vid. Storrii *diss. exeg. in libror. N. T. histor. aliquot locos.* P. III. Tubing. 1794. p. 3. Hoc genus προσωποποιίας frequen-

quentant libri sacri. Cf. DATHIUM in GLASSII Philog. S. p. 1359. sqq. ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ) Intelligitur dies novissimus, qui dicitur ἐσχάτη ἡμέρα, et ἡμέρα κρίσεως multis in locis. ἐ τῷ σῷ ὀνόματι — ἐποιήσαμεν;) *Nonne tua auctoritate docuimus — daemonia eiecimus — multa miracula edidimus?* Verbum προφητεύειν saepe significat *docere*. Vid. supra v. 15. Alii hic retinent usitatiorem significationem *vaticinari*, *praesagire futura*; quia de factis insignibus, omnique admiratione dignis est sermo. Δαιμόνια ἐκβάλλειν, *morbos curare* incurabiles visos plerisque. Vid. supra c. IV, 24. Δυνάμεις, *miracula*. Nam δύναμις, hebr. חיל, meton. effecti saepe est *miraculum*, res quae nonnisi adiutrice potentia divina effici possit. Designantur h. l. homines, qui huiusmodi mirabilia effecerunt ὀνόματι χριστοῦ, i. e. non tantem auctoritate Christi, sed etiam potentia et auxilio Christi freti. Sic enim sumitur haec phrasis etiam Marc. IX, 38. coll. Luc. IX, 49. ubi aliquis, qui non erat discipulus, ἐπὶ τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ daemonia eiecisse dicitur. Hic certe non auctoritate, non iussu Christi daemonia eiecit, sed potentia eius fretus, usus formula, qua discipuli uti solebant: in nomine Iesu volo ut daemoniacus sanitati restituatur. Hoc nostro loco autem, ubi sermo est de hominibus, qui se pro discipulis Iesu gerebant, (dicebant ei κύριε,) Phrasis ὀνόματι Χριστοῦ utroque sensu accipi potest. Docet igitur Iesus, nonnisi homines probos et praeceptis divinis convenienter viventes sibi fore gratos et acceptos, atque felicitatis veris Christianis paratae participes; nec posse defectum emendatae et probae vitae factis externis, quantumvis speciosis compensari. 1 Cor. XIII, 1—3. Perspicimus inde, caute tractandum esse locum de miraculis et argumentis pro veritate religionis christianae inde desumtis.

tis. Patravit miracula Iesus; patraverunt etiam, vel patrare visi sunt falsi doctores et fraudatores. Matth. XXIV, 24. Sed erat inter alia hoc discrimen, quod Iesus et eius Apostoli sanctissimam agebant vitam, nec unquam quaerebant honores, aut pecunias, sed tantum aliorum hominum utilitatem et commodum. Io. VIII, 46—50. VII, 18. Quod secus erat in falsis doctoribus et fraudatoribus. Nec (quod obiter moneo,) negligendum erat *Francisci Baconis de Verulamio* egregium dictum: — *Nunquam Deus edidit miraculum, quo converteretur Atheus; quia poterat ipso naturae lumine ad notitiam Dei perduci; verum miracula ad convertendos idololatras et superstitiosos designata sunt, qui Numen agnoverunt; sed in Cultu eius aberrarunt.* (De augm. scientiar. Lib. III, 2. p. 144.)

23. ὁμολογήσω αὐτοῖς) *Profitebor, palam dicam ipsas.* Graeci vocem ὁμολογεῖν isto sensu non usurpant, sed est ex Hebraismo יָדָה. Sermo, qui hic iudici tribuitur, non iubet de sententia his nominatim *verbis pronuntianda* cogitare, sed *illuminat oculisque subiicit* commemoratum supra v. 21. decretum de eo, quod futurum sit. Vid. dicta ad v. 22. οὐδέποτε ἔγνων ὑμᾶς) *Nunquam vos pro meis habui*, vel etiam: *nunquam vos approbavi*, ut Rom. VII, 15. more Hebraeo, apud quos יָדַע ita sumi solet, ἐργαζόμενοι τὴν ἀνομίαν) Ita LXX. vertunt in Ps. V, 6. פֹּעֲלֵי אָוֶן, qui velut artem peccandi exercent, ἁμαρτωλοί, *scelesti, improbi.*

24. πᾶς οὖν — τὴν πέτραν) *Qui igitur has meas doctrinas auditas vita et moribus exprimit, is similis est ἀνδρὶ Φρονίμῳ, viro sapienti, prudenti, qui domum rupi imposuit,* qui futuros casus secum reputat et

et sibi prospicit, ne id quod suscepit negotium frustra susceptum esse appareat. Ceterum constructio huius commatis tota est hebraica. Graece esset: πάντα ἓν ἀκούοντα μὲ τὰς λόγας τάτας — ὁμοιάσω ἀνδρὶ κ. τ. λ. Ὅς ἐς et αὐτὸν hebraico more redundant.

25. καὶ κατέβη — ἐπὶ τὴν πέτραν) *Quum enim imber delaberetur, et inundationes ingruerent, ventorumque vis in domum impingeret, immota illa stabat, rupi quippe superstructa.* Καὶ κατέβη — καὶ ἐκ ἔπεσε, est constructio hebraica cum ו, e. g. Gen. XIX, 1. וַיַּרְא וַיָּקָם, *quum eos videret, surrexit*, LXX, ἰδὼν δὲ ἐξανέστη. Βροχὴ Alexandrini usurpant pro גֶּשֶׁם Ps. LXVIII, 10. Καταβαίνειν, pro יָרַד, quo verbo utuntur Hebraei de imbre delabente, Ps. LXXII, 6. Ies. LV, 10. οἱ ποταμοὶ h. l. sunt *inundationes, diluvia.* Προσπίπτειν, h. l. est *irruere, impetu ferri.* ἐκ ἔπεσε, *non corruit*, simplex pro compos. ut נָפַל et πίπτειν Ies. XXX, 13. 25. τεθεμελίωτο, pro ἐτεθεμελίωτο. Sic et apud Iosephum aliquoties invenies πεποιῆκει. Applicatio est facilis. Quicunque vitam vivit doctrinae meae congruentem, is sibi suisque commodi optime consulet; firmus stabit in calamitatum procellis, nec unquam vere miser, sed in hac et futura vita tranquillus et beatus erit. Nam inundationes, procellas, esse imagines magnarum calamitatum, notum est. 2 Sam. XXII, 17. Ies. XLIII, 2. Ps. XXXII, 6. Ier. LI, 1.

26. 27. Horum verborum sensus est facilis, comparandus cum v. 25. Similes sententias ex Rabbinorum scriptis vide ap. *Wetst.* Christus autem hoc vult docere: Externa opera sine interna pietate cordis, et sincero virtutis studio, miracula etiam, sunt quidem instar splendidi aedifi-

cii;

cii; ceterum si animus ista gerentis spectat inanem hominum laudem, quaestum et voluptatem, corruent omnia, si quando ingruerit vehemens tentationum procella. Cuius autem affectus fixus est in doctrina evangelica et studio virtutis, is, a solo Deo expectans praemium recte factorum, adversus omnes malorum iniurias, impiorum atrocissimas persecutiones, et mortem ipsam stabit inconcussus et infractus usque ad diem illum, cum perseverantia victrix malorum suam feret coronam.

28. καὶ ἐγένετο — διδαχῇ αὐτοῦ) *Finita hac oratione, vehementur admirati sunt homines eius doctrinam.* ἐγένετο, hebr. וַיְהִי potest omitti, non laesa oratione. Ἐξεπλήσσοντο, Vulgata recte vertit: *admirabantur.* Respondet hoc verbum hebraico תָּמַהּ, quod Ps. XLVIII, 6. Symmachus vertit ἐκπλήσσεσθαι, LXX, θαυμάζειν. Apud *Diodor. Sic.* hoc verbum significat *re aliqua nova et insolita stupere*, ut *Munthius* ad h. l. notat.

29. ὡς ἐξουσίαν ἔχων, καὶ οὐχ ὡς οἱ γραμματεῖς) Sensus est: *Fuit enim doctrina eius efficax* (vi ac pondere praedita,) *non sicut illa Pharisaeorum.* Verba ὡς ἐξουσίαν ἔχων periphrastice posita sunt pro ἐν ἐξουσίᾳ, *efficaciter.* Cf. Luc. IV, 36. Pharisaei aliique Iudaeorum doctores vanis disputationibus tempus inutiliter terebant, et populo etiam proponebant varias variorum Rabbinorum et antiquiorum doctorum sententias de ritibus et caeremoniis suae superstitionis. Sed Iesus doctrina non tantum sua se utilitate atque evidentia commendabat, sed et animos movebat, et ad obsequium praebendum flectebat.

CAP.

CAP. VIII.

1. Καταβάντι — ὄρους) Quum descendisset e monte, et iam redire vellet Capernaumum, ubi domicilium ad tempus habebat, v. 5. Cf. supra IV, 13. Lucas haec gesta esse dicit ἐν τῷ εἶναι αὐτὸν ἐν μιᾷ τῶν πόλεων. C. V, 12. Ἠκολούθησαν αὐτῷ) Redundat αὐτῷ ex hebr. Idiotismo. Qui loco καταβάντι δὲ αὐτῷ scripsere καταβάντος, s. καταβαίνοντος δὲ αὐτοῦ, evitare voluerunt, ne in eodem commate bis esset αὐτῷ. Vid. *Griesbachius*.

2. λεπρὸς) *Leprosus*. Misera leprosorum erat conditio, quia ab urbibus et consortio humano erant exclusi. Levit. XIII. XIV. Vid. *I. D. Michaelis* in notis ad vers. biblior. germ. ad ista capita, eiusdemque *Biblioth. Orient.* Tom. XVII. Cf. PAULUS, Commentar. p. 629. ss. et p. 635. s. προσεκύνει αὐτῷ) Marc. I, 40. γονυπετῶν. Ita procidit, ut genua Christi contingeret. Videtur omnino magnum aliquid et eximium de Iesu concepisse animo, nimirum liberrimam sanandi potestatem. Sed an hunc esse promissum Messiam crediderit, dubitari potest, quum ipse Iesus id nondum palam esset professus, neque is rumor in vulgus manasset. κύριε) Moris erat Iudaeis, hoc modo quemvis etiam ignotum appellare. Io. XX, 15.

3. Καὶ ἐκτείνας — λέγων) *Igitur manu illum tangens Iesus, dixit.* Phrasis ἐκτεῖναι τὴν χεῖρα propter τὸ παράλογον in Hebraismis est ponenda. Iudic. XV, 15. 2 Reg. VI, 7. Gen. VIII, 9. Quod Iesus leprosum manu tetigit, erat signum boni ominis, quod ei fidem faciebat, sanationem certo secuturam. Nisi enim Christus sanationis fuisset certus, non ipsum tetigisset, quod sine pollutione et magna Iudaeorum offensione fieri non potuisset. Opera autem virtute divina patrata semper exempta fuerunt a praecep-

ceptis ritualibus. Cf. 1 Reg. XVII, 19. sqq. 2 Reg. IV, 34. *θέλω, καθαρίσθητι)* Sacerdotes post longam explorationem pronunciabant, utrum quis a lepra purgatus esset: at Christus verbo eum sanabat. Haec est illa *μεγαλοφροσύνη*, quam in Mose miratus est *Longinus*. *Καὶ εὐθέως — ἡ λέπρα*, *et statim purgando remota est haec leprae lues*. Nam *καθαρίζειν* non solum est *purgare*, sed interdum etiam sensu praegnanti *sordes removere, purgamenti instar e medio tollere* apud LXX. Deut. XIX, 13. et quod Levit. XIX, 23. *περικαθαρίζειν τὴν ἀκαθαρσίαν* dicitur, id in eodem argumento apud *Philonem* (Alleg. leg. L. I.) *καθαρίζειν ἀκροβυσίαν* redditur.

4. *ὅρα μηδενὶ εἴπῃς*) Hoc loco videtur Christus non diutius silentium imperasse, quam dum sanatus a lepra se sacerdoti stitisset explorandum. Notandum est enim hoc miraculum in Galilaea accidisse Marc. I, 39. Iussit igitur Christus hominem, abiecta omni mora, festinare Hierosolymam, ne, si tempus narrando tereret, rumor prius ad aures sacerdotis perveniret, isque laudibus Iesu invidens immundum pronunciaret, qui mundus erat, quo facto magna pars beneficii in leprosum collati periisset. *τῷ ἱερεῖ*) Cuidam e sacerdotum numero, cui ceteri eam provinciam delegaverant. Levit. XIII, 22. *τὸ δῶρον*) *Oblationem*, (tibi leproso praescriptam) duos passerculos. Levit. XIV, 4. 7. *εἰς μαρτύριον αὐτοῖς*) *Ut testeris illis, te esse sanum*. Αὐτοῖς referri potest ad homines tum praesentes, ut habeant documentum sanitatis recuperatae; ut sacerdoti testanti omnes credant, te esse mundatum et recipiendum in communionem; nam ubi Sacerdos testimonium perhibuerat et sacrificium erat oblatum, tum nemo dubitabat sanitatem esse restitutam. Potest etiam *αὐτοῖς* intelligi de sacerdotibus, licet praecesserit *τῷ ἱερεῖ*, per syn-

the-

thesin numeri, stilo populari familiarem; vel ἱερεῖ collative, vel αὐτοῖς ut לחם distributive, *cuique eorum* est sumendum. Vid. *Storr.* observatt. ad analogiam Synt. p. 374. Possunt etiam haec verba iungi praecedentibus ὃ προσέταξε Μωσῆς, hoc sensu: *ut sit lex* αὐτοῖς, *tanquam legem istis hominibus*, nempe leprosis *praescriptam*. Levit. XIII, 59. c. XIV, 2. 54. Μαρτύριον enim saepe esse Synonymum τῆς νόμου et διαθήκης, satis constat. Exod. XVI, 34. XXV, 16. 2 Reg. XI, 12. aliisque locis. Non audiendus est PAULUS, qui (im *kritischen Kommentar* ad h. l.) contendit, Iesum non sanasse hunc leprosum, sed ad preces eius tantum declarasse, morbum eius non esse contagiosum, eum *brevi* (εὐθέως) sanatum, et a sacerdote mundum declaratum iri, ut sensus verborum: θέλω, καθαρίθητι sit, volo te edocere, quae *sit natura morbi* tui, et verba: καὶ εὐθέως ἐκαθαρίθη αὐτοῦ ἡ λέπρα, significent: brevi et feliciter lepra ipsius sanata est. Quam contorta sit haec explicatio nemo non videt. Repugnant etiam loca Marc. I, 45. et Luc. V, 15. omnino hic conferenda. Quid de nova hac ratione interpretandi statuendum sit, bene docuerunt GABLER, (*Neuestes theologisches Iournal* Tom. IX. p. 285. sqq.) KRUMMACHER *Ueber den Geist und die Form der Evangelischen Geschichte* p. 202. sqq. Cf. KUINOEL ad h. l.

5. Εἰσελθόντι — ἑκατόνταρχος) Pro τῷ Ἰησοῦ, leg. αὐτῷ. Sic enim habent plerique codices, versiones et Patres. Τῷ Ἰησοῦ positum est propter initium Lectionis ecclesiasticae. Historia, quae hic narratur eadem esse videtur, quam Lucas c. VII, 1. sq. narrat; nam in utraque narratione περιστάσεις loci et temporis conveniunt; omnisque diversitas in eo est, quod Matthaeus centurionem ipsum ad Iesum venisse, Lucas autem eum misisse legatos dicit.

dicit. Matthaeus, ut saepe, ita etiam hic brevitatis studiosus fuisse videtur. In omnibus fere scriptorum historicorum libris, ubi de eadem re agunt, eiusmodi diversitates occurrunt. *Centurio*, de quo hic sermo, natione quidem gentilis, sed veri Dei cultor, per baptismum Proselytarum in ecclesiae Iudaicae communionem venisse videtur. Nam, ut alia taceam, si idolorum cultor adhuc fuisset, vix credibile est, Seniores Iudaeorum Iesum rogaturos fuisse, ut se in eius domum conferret, quum inter omnes constet, quanto odio Iudaei persecuti sint gentiles, et quam studiose consortium eorum fugerint. Plura argumenta attulit Io. GUILIELM RAUIUS, Theologus Erlangensis, in dissertatione: *Praeterita quaedam ad narrationes* Matth. VIII, 5. sqq. et Luc. VII, 2. sqq. Sine dubio hic Centurio Herodi tetrarchae militabat.

6. ὁ παῖς μου) *Servus meus.* *Pollux* III. 8. καλοῦνται παῖδες οἱ δοῦλοι παρὰ τοῖς ἀττικοῖς κἂν ὦσι πρεσβύτεροι. Sic etiam Latinis puer saepe est servus, mancipium. βέβληται ἐν τῇ οἰκίᾳ παραλυτικὸς) *Decumbit domi paralysi laborans.* *βεβλῆσθαι decumbere*, ut infra v. 14. Παράλυσις, nervorum resolutio, duplex est, una cum contractione, altera cum remissione nervorum. Totum latus pari facilitate vis morbi pertentat, quando ad alterum spinalis medullae principium delabitur. Quin universum fere corpus comprehendit, et in Apoplexiam deinde migrat. Vid. THOMAE BARTHOLINI *commentar. de Paralyticis N. T.* Lips. 1685. Decumbebat iste centurionis servus, et quod Lucas addit, cum mortis periculo: quare credibile est παράλυσιν hic dici, non partis, sed totius corporis resolutionem, ἀποπληξίαν scilicet. δεινῶς βασανιζόμενος) *gravibus doloribus afflictus.* Vox βασανίζεσθαι minus graeca quibusdam visa apud optimos scriptores, et *Iosephum*

phum quoque occurrit. Proprio quidem sensu denotat *tormentis cruciari;* translate autem *graviter affligi.*

8. *οὐκ εἰμὶ ἱκανὸς*) vid. c. III, 11. Summae modestiae documentum sunt haec verba. *εἰπὲ λόγον*) *Iube* Alii leg. λόγῳ. Sic enim habent Codd. quamplurimi, Versiones quaedam, et Patres nonnulli. Et esset sicut illud *Terentii:* Quin tu uno verbo dic, quid est, quod me velis. Λόγον, quae paucorum codicum lectio est, vel e rhythmo antecedentis vocis *μόνον* ortum duxit vel debetur scribis, phrasin *εἰπὲ λόγῳ* non satis intelligentibus.

9. Καὶ γὰρ ἐγὼ ἄνθρωπος — καὶ ποίει) Hebraismus: *εἰμὶ καὶ λέγω*, pro ὢν λέγω. Sensus enim est; καὶ γὰρ ἐγὼ ἄνθρωπος ὢν ὑπ' ἐξουσίαν, ἔχων δὲ ὑπ' ἐμαυτὸν στρατιώτας, λέγω τούτῳ. *Nam et ego, quum sim alienae subditus potestati, tamen militibus, in quos potestatem habeo, verbo, quid fieri velim, edico.* Similis Constr. est Rom. VI, 17, et infra c. XVIII, 21. Ait autem, se esse ὑπὸ ἐξουσίαν, nimirum non imperatoris tantum et procuratoris, sed et tribuni. Parent mihi, inquit milites et servi citra exceptionem, ut mos habet disciplinae militaris, quae non sciscitando imperia, sed parendo constat. Sic tibi parent vires naturae. Ut meis verbis, qui homo sum aliorum obnoxius imperiis, parent tamen inferiore loco positi milites; sic tuo verbo creaturae, mare, tempestates, morbi cedere tenentur. Ex Schulzii et Michaelis sententia vis huius comparationis maior erit, si statuamus, conturionem locutum esse ex sensu illa aetate communi Orientalium populorum, existimantium, huius generis morbos esse angelos Satanae. Cf. 1 Cor. V, 4. 5. Paulus (Commentar. p. 644. s.) existimat, centurionem hoc voluisse: iube aliquem ex tuis discipulis ad me venire.

ad

ad servum meum sanandum. Sed huic coniecturae tota narratio repugnat.

10. *οὐδὲ ἐν τῷ Ἰσραὴλ τοσαύτην πίστιν ἔυρον*) *Neque inter Iudaeos omnes tantam fidem inveni;* nam Ἰσραὴλ metonymice denotat omnes posteros Iacobi, vel Israelitas; et Centurio, utpote gentilibus oriundus, optime discerni poterat ab Israelitis, quanquam Iudaeorum Sacris addictus erat. *πίστις* h. l. firmam de divina Iesu potentia animi persuasionem significat. Nimirum Iudaei putabant, praesentia Christi opus esse, ut sanari posset: at Centurio de potentia Christi magnificentius sentiebat.

11. *πολλοὶ ἀπὸ ἀνατολῶν — τῶν οὐρανῶν*) *Ex omnibus totius orbis nationibus homines fruentur coelestibus gaudiis cum Abrahamo etc.* Ἀπὸ ἀνατολῶν καὶ δυσμῶν, i. e. *omnibus totius orbis nationibus.* Hebraei enim, quorum loquendi consuetudinem Matthaeus imitatur, universum terrarum orbem indicaturi, vel orientem nominant et occidentem, (Ies. XLV, 6.) vel orientali et occidentali plagae quasi comites adiungunt septentriones et meridiem. Ps. CXII, 3. Ἀνακεκλίσθαι μετὰ Ἀβραὰμ καὶ Ἰσαὰκ καὶ Ἰακὼβ ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν est *accumbere, coenare cum Abrahamo* etc. *in coelo*, easdem cum iis epulas capere, i. e. *eadem cum iis felicitate, iisdem gaudiis frui in coelo.* Nam ἀνακεκλίσθαι verbum convivale est. Gentiles aeque ac Iudaei delicias vitae coelestis sub convivii imagine repraesentarunt, quia nil praestantius in hac vita et iucundius putabant magnifico convivio. Ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν h. l. est *ipsum coelum*, locus aeterni praemii, ubi iam Abrahamus, Isaacus et Iacobus versantur. Nam statim v. 12. opponitur τὸ σκότος τὸ ἐξώτερον, locus infernalis. Non sine causa Abrahami, Isaaci et Iacobi h. l. fit mentio. Omnes Iudaei

tam

tam sanctos se existimant, ut cum extraneo nolint cibum capere: at multi extranei cum ipsorum maioribus, quorum nomina Iudaei solent iactare, cibum capient, ipsis Iudaeis exclusis. Christus nondum clare, tacite tamen significat, multos ex gentibus professuros esse doctrinam suam. Intelligebant hoc auditores fortassis de Proselytis in Iudaeorum sectam transgressuris et circumcidendis.

12. *οἱ δὲ υἱοὶ — ὀδόντων) Ii vero, quibus praecipue destinata erant gaudia regni coelestis, eiicientur* (e coenaculo ubi Abrahamus) *in loca inferni tristissima, gravissimasque dabunt poenas.* Nomen *υἱὸς*, ut apud Hebraeos בֵּן, vocabulis locorum ita iungitur, ut declaret *eum, qui est, habitat in loco eo*, cuius vocabulum additum est. Sic 1 Maccab. IV, 2. *οἱ υἱοὶ τῆς ἄκρας* sunt *custodes arcis.* Cf. Esr. II, 1. Hic autem homines Iudaei *οἱ υἱοὶ τῆς βασιλείας* dicuntur, non, quo in regno coelesti habitandi atque degendi potestatem ac ius revera habeant, sed quod in regno isto locum sibi debere falso sibi persuadeant, exclusis gentibus ceteris omnibus. Quum autem *υἱὸς*, hebr. בֵּן saepe etiam usurpetur de eo, cui aliquid destinatum est (ut בֶּן מָוֶת de *mortis damnato*, *υἱὸς θαλάμου* de eo *qui in thalamum admittitur*,) *υἱοὶ τῆς βασιλείας* possunt etiam esse ii, *quibus regnum destinatum erat* vi promissionis. Rom. IX, 4. Multi ex his *ἐκβληθήσονται εἰς τὸ σκότος τὸ ἐξώτερον, detrudentur in tartara*, in locum, in quo homines scelerati post mortem puniuntur. *Tenebrae* sunt imago *miseriae*, sicuti lux est imago *felicitatis.* Τὸ *ἐξώτερον* pro Superlativo. Gloss. vett. habent: *ἐξώτερος exterior, exter, externus.* Interpretes nonnulli volunt *tenebras exteriores* hic opponi copioso taedarum, lampadum, lych-

norum lumini, quo coenaculum illustrabatur. Coenaculum crebris luminibus per noctem collucebat; expulsus coenaculo atque domo in tenebris versatur, quoque longius removetur, eo crassiores tenebrae ipsi offunduntur, infra c. XXII, 13. XXV, 30. Esset ergo σκότος ἐξώτερον *locus, qui longissime remotus est a coelesti gaudio, quod lucis nomine solet appellari.* Alii alludi putant ad coniectionem in carcerem squalidum, sive ad ergastula, quae apud Romanos erant carceres subterranei, loca prorsus tenebrosa in agris, in quae a dominis dedebantur servi omnino mali. Ad tale ergastulum hic alludi, non alienum est a verisimilitudine. Nam statim additur: ἐκεῖ ἔσται ὁ κλαυθμὸς καὶ ὁ βρυγμὸς τῶν ὀδόντων, *ibi erit fletus et stridor dentium.* Nimirum servi egregie mali compedibus ferreis constricti semper, sine spe salutis in ergastulis iacebant, ita ut et fletus effuderint, et crepitus dentium ediderint, prae indignatione et impatientia. Matth. XXII, 13. XXV, 30. Sensus igitur est: Ibi miserias, easque gravissimas et dirissimas sentient.

13. ὕπαγε) Hebraei, quum, quod petitur concedunt, solent dicere לֵךְ, interdum tamen est etiam aversantis, interdum imperantis. Has significationes distinguebat pronunciatio. Interdum in prima illa notione addebatur ἐν εἰρήνῃ, vel simile aliquid. ὡς ἐπίστευσας γενηθήτω σοι) Sc. ἔτως. Ita res tibi eveniat, quemadmodum credidisti. *Paulus*: γενηθήτω, *fiat;* ich sende deswegen jemanden, σοι, *dir zu lieb*, suae hypotheseos caussa. ἐν τῇ ὥρᾳ ἐκείνῃ, illo ipso temporis momento; ὥρα enim hic significat illud ipsum tempus, quo Christus eo sermone fuit usus. Addunt codices nonnulli et paucae versiones: καὶ ὑποστρέψας ὁ ἑκατόνταρχος εἰς τὸν οἶκον αὐτοῦ ἐν αὐτῇ τῇ ὥρᾳ

ὥρᾳ ἔυρε τὸν παῖδα ὑγιαίνοντα. Sed hoc additamentum huc traductum est e loco parallelo Luc. VII, 10. quod quum non satis accommodatum videretur ad narrationem Matthaei, qui τῶν πεμφθέντων nullam iniecerat mentionem, mutarunt pluralem in singularem.

14. εἰς τὴν οἰκίαν Πέτρου) Petrus et Andreas Bethsaidae habuerant larem, antequam Christum sectarentur. Tum autem domicilium habebant Capharnaumi, ubi uxorem duxerat Petrus.

15. Καὶ ἠγέρθη — αὐτοῖς) *Et surgens* (de lecto) *ministravit illis.* Διακονεῖν notat *famulari, ministrare,* quocunque hoc fiat modo, h. l. *cibos et alia necessaria ad mensam afferre, mensae curam sustinere.* Loco διηκόνει αὐτοῖς codices 94. inter quos nonnulli sunt vetustate ac praestantia insignes, legunt διηκόνει αὐτῷ. Accedunt etiam versiones nonnullae una cum Origine aliisque graecis Patricibus. GRIESBACHIUS tamen αὐτοῖς praeferendum, et contra Millium, Bengelium, Wetstenium et Matthaeum defendendum esse censuit. Cui equidem vel eam ob caussam assentior, quod αὐτοῖς est lectio obscurior, difficilior et apparenter falsa, quippe quae contextui repugnare videtur. Nam v. 14. Matthaeus unius Iesu mentionem iniecerat, et sequente comm. de solo Iesu narrare pergit: προσήνεγκαν αὐτῷ. Hinc interiacens αὐτοῖς prorsus incongruum esse putantes librarii, interpretes et commentatores, e proxime sequente commate facile arripuerunt αὐτῷ. Verum enim vero discipulos nonnullos Iesum comitatos tum fuisse, non solum e Marci I, 29. manifestum est, sed ab ipso etiam Matthaeo comm. 18. (ἐκέλευσεν, sc. discipulis) et comm. 23. innuitur. Ergo Matthaeus recte scribere potuit διηκόνει αὐτοῖς.

16. ὀψίας δὲ γενομένης) Deest ἄρας, quod nomen Marcus addit. λόγῳ, *unius verbi imperio*, solo nutu. Ad reliqua vid. supra c. IV, 24.

17. ὅπως πληρωθῇ τὸ ῥηθὲν διὰ Ἡσαΐου τοῦ προφήτου) Ies. LIII, 4. *Ita ut* (hoc etiam sensu) *illud recte dici potuerit, quod vaticinatus est Iesaias* etc. Accommodative, ut nonnulli putant, locus Iesaiae a Matthaeo refertur ad sanationem morborum, quem Petrus 1 Ep. II, 24. proprie refert ad remissionem peccatorum. αὐτὸς τὰς ἀσθενείας ἡμῶν ἔλαβε, καὶ τὰς νόσους ἐβάστασεν) *Infirmitates nostras abstulit, et oneri sanandi morbos nostros supposuit humeros.* Neglecta LXX. interpretum versione pressius hebraearum vocum indolem expressit Matthaeus. Λαμβάνειν, נָשָׂא frequentissime etiam ἀναιρεῖν, ἀφαιρεῖν, ἐπιλαμβάνειν, *auferre*, βαστάζειν vero סָבַל, *auxilium ferre* significat; nam *auxilium, cura*, nostro loquendi et concipiendi modo aliquid oneris habet et molestiae. Sic igitur Salvator βαστάζειν τὰς νόσους dicitur, pro quibus sanandis curam gessit. Eundem sensum Iesaiae etiam verbis inesse, non male suspicatus est *Gottfr. Olearius* ad hunc Matthaei locum.

18. ἐκέλευσεν ἀπελθεῖν εἰς τὸ πέραν) *Iussit trahere*, sc. stagnum Gennesarethicum, s. trans mare Galilaeum, in regionem eam, ubi Bethsaida, Chorazim aliaeque urbes erant sitae. Ἀπέρχεσθαι, ut hebraicum בּוֹא etiam de navigantibus dicitur. Deut. XXX, 13. Ion. I, 3.

19. Εἷς, pro τὶς, *quidam*. Sic Hebraei etiam usurpant אֶחָד. Storr observatt. ad analog. et Syntax. hebr. pertinent. p. 124. ἀκολουθήσω σοι ὅπου ἐὰν ἀπέρχῃ) *Discipulus tuus ero.* Cf. notata ad c. IV, 19. 20. Erat hic legis

legis peritus, quales plerique eius aevi, honorum et lucri studiosus; quare quum magnam Christo tot miracula edenti potentiam brevi adfuturam opinaretur, sectam eius profiteri voluit. Sed Christus, paupertatem suam profitens, ipsum hominis ulcus tetigit.

20. *αἱ ἀλώπεκες — κεφαλὴν κλίνῃ*) *Vulpes quidem habent sua lustra, et aves latibula; sed filius hominis ne domicilium quidem habet proprium.* *Φωλεὸς* est *lustrum, latebra, latibulum, cubile.* *Κατασκηνώσεις* autem non sunt *nidi*, sed *latibula, loca in quibus considunt et quiescunt volucres noctu, etiam interdiu*, tutae ab omni coeli iniuria. Hanc vocabuli *κατασκήνωσις* interpretationem confirmat usus verbi *κατασκηνᾶν*, Matth. XIII, 32. Marc. IV, 32. Luc. XIII, 19. ubi usurpatur de aviculis, quae in ramis arbuscularum, non nidulantur, sed omnino considunt, et quiescunt, et quasi habitant. *ὁ δὲ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου*) Hoc modo Christus nunquam nisi a se ipso appellatur, si excipias locum Act. VII, 56. cf. Apocal. I, 13, XIV, 14. De caussa appellationis variae sunt interpretum sententiae. Plerisque Christus hac voce descripsisse videtur, suam illam *κένωσιν*, de qua agitur Philip. II, 7. Nam אָדָם Hebraeis saepissime designat hominem *contemtae sortis*, e. g. Iud. XVI, 7. 11. Ps. LXXXII, 7. et Ps. XLIX, 3. opponuntur בְּנֵי אָדָם iis, qui ibidem dicuntur בְּנֵי אִישׁ. LXX. בני אדם verterunt *γηγενεῖς*, i. e. *ignobiles*, quos et Latini *terrae filios* vocabant. Hanc rationem fuisse volunt, cur Apostoli nunquam Christum exaltatum hoc nomine appellaverint, si Stephanum excipias. Alii cum Dan. Heinsio suspicantur, Iesum sibi hoc nomen tribuisse primi hominis respectu, qui אדם, sive *ὁ ἄνθρωπος* vocatur, ut *ὁ ἄνθρωπος* sit ho-

homo primus; ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου qui post illum ἐσχάτος, sic dicitur, idem qui secundus Adam dicitur. Hanc sententiam confirmari putant eo, quod in scriptis Iudaeorum frequens est mentio primi et secundi Adami; (vid. *Neue Schalom* fol. 160. 2.) et quod amavit Iesus obscure significare dignitatem suam, quam iam tum palam praedicare ob multas caussas nec potuit nec voluit. Hac igitur denominatione Iesum obscure significasse volunt, se esse *Messiam*. Accedit, quod phrases ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου et Messias promiscue usurpantur, sive permutantur Io. XII, 34. Matth. XVI, 13. Hanc sententiam diligentius exposuit, novisque argumentis probavit Wesselius Scholten, Amstelodamensis, in *Specimine hermeneutico theologico de appellatione* τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου, *qua Iesus se Messiam professus est*, quod Praeside Iodoco Heringa publico examini submisit. Traiecti ad Rhenum. 1809. 8. Summa prolixae disputationis est haec: Appellatio ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου, quoties a Iesu fuit adhibita, toties indicat certum *illum hominem*, qui forma humana, Danieli in viso symbolico (cap. VII, 13.) fuit propositus; atque adeo Regem illum, a Deo constitutum, qui humane hominibus esset imperaturus, eundem, qui *Messiae* nomine indicatus fuit. — Maxime haec appellatio accommodata fuit ad diversas notitias et sensus, quibus imbutos deprehenderet Conservator noster suae aetatis homines. Potuerunt enim, qui ex audientium numero essent perspicaciores, eique fidem habentes, Messiae descriptionem intelligere, ex eiusque dictis efficere, eum esse hunc *hominis filium* a Daniele promissum. Qui autem minori essent, aut intelligentia, aut veri discendi studio, potuerunt nescire hanc appellationis vim; potuerunt dubii de eo haerere; potuerunt odorari aliquod, nec tamen omnino Iesu mentem

asse-

assequi. Qui Iesu adversarentur, quaerentes calumniandi caussas, cupientesque affectati regni crimen impingere nihil potuerunt, audita hac appellatione, lucrari, ne quidem intellecta ea, et cognito Iesu, semet τὸν υἱὸν τ̃ ἀνθρωπ̃ appellantis consilio. Denique nec turba hominum seditiosorum, in Messia promisso Romanorum debellatorem exspectans, potuit facile hac appellatione concitari ad tumultuandum, adhibito Iesu Messiae nomine.„ Nos in hac sententia acquiescimus, nec plura addimus. Tota haec disputatio est lectu dignissima. Iam respondet Iesus legis perito: Filius hominis ἐκ ἔχει τὴν κεφαλὴν κλίνῃ, i. e. *ne domicilium quidem habet proprium*, in ultima est egestate, a quo frustra expectes terrenam felicitatem. Phrasis τὴν κεφαλὴν κλίνειν significat primum *quiescere*, deinde *habitaculum*, s. *domicilium habere*. Homines enim habitacula appetunt maxime propterea, ut quietem ibi capiant: sed qui corpus quieti dant, ii in primis hoc agunt, ut caput quiescat. Sic etiam Chrysostomus et Theophylactus hunc locum interpretati sunt. Vid. *Fischeri* Proluss. p. 285. ss. Affirmavit igitur Iesus his verbis, inopiam suam tantam esse, ut ipso etiam domicilio atque habitaculo careat. Habitavit Capharnaumi in conducto, aut divertit apud discipulos.

21. ἕτερος τῶν μαθητῶν) alius quispiam, i. e. ἄλλος. Sed et ἕτερος non semper de duobus tantum ponitur. Matthaeus brevitatis caussa omittit, quod Lucas cap. IX, 59. refert, Iesum his verbis compellasse hominem: ἀκολούθει μοι, huncque respondisse, quod iam sequitur: ἐπίτρεψόν — πατέρα μου) Permitte ut domum redeam, (ibique maneam) ad mortem usque Patris. Nondum mortuus erat hominis pater. Nam apud Iudaeos mortui sepeliebantur eodem die, quo obierant; (Act. V, 7—10. Matth. IX, 23.)

quem

quem morem Iudaei etiamnum servant. Voluit igitur iuvenis post mortem patris demum redire ad Iesum, quia non moriturum esse Messiam putavit.

22. ἄφες τοὺς νεκροὺς θάψαι τοὺς ἑαυτῶν νεκρούς) Est sententia paradoxa. Nam *νεκροὶ* in parte dicti priori improprie dicuntur homines inertes ad negotia, qualia postulabat Iesus a sectatoribus suis perpetuis, ut irent et docerent homines. Sensus igitur est: *Eorum esse, curam rerum corporalium animi culturae antevertere, quibus animus hebes atque iners torperet.* Iudaei nominatim idololatras et alienos a vera religione appellare solebant *mortuos*. Vid. *Michaelis* ad h. l. Sensum bene expressisse videtur PAULUS (l. c. p. 338.): *Es giebt Todte* (geistig-Unthätige) *genug, um Todte zu begraben. Du — lebe, sey thätig fürs Gute.*

23. οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ) Plures illis duodecim hic intelligi, satis apparet ex comm. 27.

24. σεισμὸς μέγας) i. e. *vehementissima tempestas.* גְּדוֹל סַעַר Ionae I, 4. *Virgil.* Aen. I, 135. Sed *motos* praestat componere *fluctus*. Et *quati aequora*, dicunt Poetae. ἐν τῇ θαλάσσῃ. Intelligitur lacus Gennesaret. cf. v. 18.

25. σῶσον ἡμᾶς, i. e. eripe nos e tam praesenti periculo. ἀπολλύμεθα) *actum est, perimus.*

26. ὀλιγόπιστοι, o *exigua fide praediti.* Vid. not. ad c. VI, 30. ἐπετίμησε) Vulg. *imperavit.* Usurpatur interdum pro: *additis minis praecipere*, ut infra c. XII, 16. Est autem haec phrasis hebraica, ut apparet ex Ps. CVI, 9. et Naum I, 4. et adhibetur, ubi de inhibenda maris tempestate agitur, quod vis vi obiici et opponi videatur.

27.

27. ποταπός ἐστιν οὗτος) *Quantus vir iste est?* Incipiunt maius quiddam humana magnitudine in Christo suspicari; nam Dei ἐπίθετον est Ps. LXV, 8. *compescens fremitum marium.* Audiverant eum sanasse aegrotos, quod saepe medici etiam faciunt; at nunc vident vento etiam imperare, quod omnium hominum vires longe superet.

28. τῶν γεργεσηνῶν) alii leg. γαδαρηνῶν, al. γερασηνῶν. Sed Origenes praetulit γεργεσηνῶν, eumque secuti sunt, provocantes ad codices, Victor ant. Epiph. Auctor synops. Theophyl. Sed verior lectio videtur esse γαδαρηνῶν, ante Origenis tempora recepta, quam reiicere nulla nos cogit necessitas. Licet enim Gadara non immineat lacui Tiberiadis, hoc tamen non impedit, quo minus tota regio metropoli late circumiacens χώρα γαδαρηνῶν appellaretur; nam *Gadara* metropolis fuit Peraeae, cui imminebat *Gerasa*, vel *Gergesa*, locus ignobilis. Idem igitur est, ac si Mattheus scripsisset: Venit Iesus in Peraeam, vel in regionem Gilead. δύο δαιμονιζόμενοι — ἐξερχόμενοι) δαιμονιζόμενοι, cf. annotata ad c. IV, 24. Fuerunt autem sepulcra Iudaeorum in speluncis in agro, sub terra longe protensa, ita ut arcus magnum ambitum complectentes repraesentarent, in quae intrare et exire poterant. χαλεποὶ λίαν — ἐκείνης) *adeo feri, ut nemo illa via posset* (tutus) *transire.* χαλεποὶ, δεινοὶ, *saevi et mali,* qui hominibus valde erant molesti. Phreneticos et furiosos fuisse, dubio caret; nam eiusmodi homines in paroxismis robustiores esse, viresque habere auctas, experientia docet. *Actuarius*, Medicus Graecus, inter Melancholiae varia genera refert λυκανθρωπίαν; qui hac detinentur, nocte intempesta hac illacque circumcursitant, atque in monumentis solitudinibusque oberrant, luporum in morem; verum interdiu revertuntur, et ad sese redeunt, ac domi

reci-

resident. P. *Aegineta* III, 14. de Melancholia et insania: putant aliqui, se animalia bruta esse, ut illorum voces imitantur — quidam vero etiam, putant, se ab aliquibus maioribus potestatibus impeti, et futura praedicere etc. In *Hieros Trumoth*: Haec sunt signa τῆ שׁטוּת, *stulti*: *Exit nocte, et pernoctat inter sepulcra, et vestes suas lacerat, et quodcunque ei datur, pessundat.* Cf. Marci V, 3—5.

29. τι ἡμῖν καὶ σοὶ;) *Quid rei nobis tecum?* Subaud. πρᾶγμα. Hoc si ex usu latini sermonis interpreteris, contemtum videtur inducere. At Hebraeis aliud significat, nimirum: *cur mihi molestiam exhibes?* 2 Sam. XVI, 10. 2 Paralip. XXXV, 21. Ἰησῆ υἱὲ τῆ θεῆ) Iesu, Messia. Iesum a multis pro Messia haberi, ab aliis percipere potuerant. Fortassis etiam Iesum saepe viderant et docentem audiverant. ἦλθες — ἡμᾶς; *Tune huc venisti ante tempus nos cruciatum?* Ita loquuntur maniaci; nam se esse malos daemones putant. Ego ipse aliquando mulierem vidi melancholicam, quae constanter asseveravit, se esse cacodaemona. Cf. Marc. V, 7. πρὸ καιρῆ, *nimium mature.* Poenam ipsis decretam differri rogant. Possumus etiam cum Wetstenio sic explicare: Recordabantur maniaci, quomodo vi et vinculis constricti, modo medicamentum ingratum et purgans bibere, modo venae sectionem pati, et ad praescriptum medici vivere fuerint coacti, quibus similia metuebant.

30. ἦν δὲ μακρὰν ἀπ' αὐτῶν ἀγέλη χοίρων) In montibus fuit grex porcorum, secundum alios Evangelistas. Marcus, c. V, 11. et Lucas VIII, 23. habent ἐκεῖ. Vulgata: *non longe.* Sic μακρὰν (i. e. κατὰ μακρὰν ὁδὸν) recte verti potest. Nam hebr. רחוק, quod Alexandrini reddunt μακρόθεν et μακρὰν, distantiam quamcunque,

etiam

etiam propiorem, prout res ferunt, designat. Exod. XXXIII, 7. Ios. III, 4. Reddere possis: *In einiger Entfernung.* Sed fortassis Vulgata et Itala sic verterunt propter ἦν ἐκεῖ Marci et Lucae, et propter ea, quae de porcorum grege mox narrantur, quippe quae occupare videbantur, porcos haud longo abfuisse intervallo ab eo, quo haec gesta fuere, loco. Iudaeis quidem non licebat porcos alere, at Gadarae et in ea regione plures erant Gentiles. *Ioseph.* Antiq. XVII, 11.

31. οἱ δὲ δαίμονες — τῶν χοίρων) Εἰ ἐκβάλλεις ἡμᾶς, *si exire nos iubes.* Ἀπόστειλον ἡμᾶς praeferendum esse videtur alteri lectioni, ἐπίτρεψον ἡμῖν, ex *Luca* forte invectae. Vid. *Griesbachium* et *Birchium* ad h. l. *Daemones* dicuntur a Iesu petiisse, ut ipsis permitteret irruendi in gregem porcorum; sed intelliguntur ipsi Maniaci, quibus idea fixa (ut Medici loquuntur) erat haec, se esse immundos spiritus. Verba igitur haec sunt furiosorum hominum, qui aptius domicilium eligere sibi non posse putabant post sepulcra, quam porcos. Cf. notata ad v. 28. 29. Referuntur Marc. V, 9. sqq. Luc. VIII, 30. alii etiam horum hominum sermones, quibus mentis alienationem et insaniam prodiderunt.

32. Καὶ εἶπεν αὐτοῖς) *Maniacis* nempe. Insanientes, qui eum rogaverant, alloquitur Iesus, non daemonas. οἱ δὲ — εἰς τὴν ἀγέλην τ. χοίρων) Alii legunt εἰς τὰς χοίρας *Hi autem abeuntes* (e conspectu Iesu) *irruerunt in istum porcorum gregem*, vel *in porcos*, non in *corpora* porcorum; quis enim oculis conspicere potuisset, daemones ingressos esse in porcorum corpora? sed sensus est: Homines furentes, agros percurrentes in gregem irruerunt eumque dederunt praecipitem. Promiscue id quod maniaci dixerunt et fecerunt il-

lis

lis ipsis et daemonibus tribuitur. Evangelistae narrant res gestas prout in sensus incurrebant. Audiebant spectatores sermones insanientium, qui se malos spiritus esse dicebant; videbant actiones eorum. Haec dicta et facta Evangelistae narrant. Ergo nobis non obstat Lucas, dicens c. VIII, 33. τὰ δαιμόνια ingressa esse in porcos; i. e. in gregem porcorum; nam alio etiam loco, (c. XI, 14.) δαιμόνιον vocat hominem, qui δαιμονιζόμενος vocatur apud Matthaeum, c. XII, 22. Omnia quae Christus prodigiose fecit, simpliciter hominibus utilia et benefica fuerunt. Cur autem hoc unum factum a regula exceptum sit, ratio fuisse videtur, quod voluit Christus eos, quorum torpor monitis et beneficiis dispelli non poterat, isto modo excitare, ut considerarent quis ipse esset, et quam digna doctrina eius, quae reciperetur. Fortassis etiam Iesus hoc ipso docere voluit, quanto pluris facienda sit vita duorum hominum universo porcorum grege. ὥρμησε — κατὰ τοῦ κρημνοῦ) *ferebatur totus grex porcorum e praecipitio*; κατὰ ponitur pro ἀπὸ, ut in illo *Homeri* κατὰ πέτρης βαλλειν, de saxo deiicere. Observare licet, in calida anni tempestate, quum e grege porcorum agitatur unus, omnes cum impetu sequi porcum agitatum, et, si forte ad loca aquosa, vel rivum venerint, se dare praecipites. Simile quid ante paucos annos apud Erfordiam accidisse ferunt. Digna ceterum sunt lectu, quae *Schulzius* ad hanc historiam contra *Michaelem* monuit.

33. οἱ δὲ βόσκοντες — πόλιν) *Subulci autem fuga elapsi in urbem veniunt.* οἱ βόσκοντες substantive hic usurpatur. Ἀπελθόντες pleonastice positum est, ut ἐξελθόντες v. 32. τὰ τῶν δαιμονιζομένων) i. e. περὶ τ. δαιμ. *Quae Daemoniacis accidissent.* Sic enim recte Hellenismus illustratur. Cf. Marc. V, 14—16. ubi additur mania

niacum fuisse καθήμενον — καὶ σωφρονοῦντα, sedentem post vagos impetus (v. 32.) et rationis compotem.

34. ὅπως μεταβῇ) i. e. ἀποχωρήσῃ, *digrederetur, migraret.* Nimirum peccatorum sibi conscii vim in Christo divinam metuebant.

CAP. IX.

1. Εἰς τὴν ἰδίαν πόλιν) Civitas nostra dicitur, ubi domicilium habemus. Erat Capernaum, c. IV, 13. Cf. Marc. II, 1. et Luc. V, 17. sqq. Sic LXX. εἰς τὴν ἰδίαν πόλιν. 1 Sam. VIII, 22. Gen. XXIII, 10.

2. παραλυτικὸν ἐπὶ κλίνης βεβλημένον, *hominem arthriticum, in lecto decumbentem.* Ex WEDELII sententia (in Exercitatt. Medico philologg. I, 8. 3.) laboravit paralysi, quam universalem vocant, quae infert movendi impotentiam membrorum plenariam, sine colore omni, cum resolutione et flacciditate tendinum ac musculorum, citra τάσιν seu tensionem et stricturam ullam. Sed est mera coniectura. καὶ ἰδὼν — τὴν πίστιν αὐτῶν) *Quum cognovisset fiduciam eorum*, nempe amicorum; *quum cerneret animum eorum auxilii securum.* Sic sensum bene expressit REICHARDUS. Videtur Christus inprimis ad fidem baiulorum respexisse. Convertit se autem sermone suo ad aegrotum, quia is alloquio, solatii pleno indigebat. θάρσει τέκνον) *Bono animo esto, fili.* τέκνον amica et blanda est compellatio, ut Marc. X, 24. Paralyticus sibi conscius, se sua culpa atque intemperantia morbum contraxisse, et graviora commeritum fuisse, inter spem metumque dubius pendebat. ἀφέωνταί σοι αἱ ἁμαρτίαι σου) *Remissa tibi sunt peccata tua*, h. e. auctoritate, qua polleo, volo, ut tua tibi remittantur peccata.

Vo-

Vocem ἀφέωνται, *Suidas*, *Eustathius* aliique, quos secutus est *Olearius*, aoristum secundum modi subiunctivi esse, statuerunt, ut sit pro ἀφῶνται. Sed Herodianus atque Etymologici Magni conditor praecipiunt, ut ἀφέωκα pro ἀφέηκα vel ἀφέικα usurpetur, sic ἀφέωνται quoque pro ἀφέηνται vel ἀφεῖνται poni. Est igitur ἀφέωνται hic ut 1 Io. II, 12. praeteritum indicativi. Utrum eligas, certum est, Iesum his verbis significare voluisse, sibi omnino competere potestatem remittendi peccata. Sed *remittere peccata* h. l. est tollere poenam, vel consequens peccatorum, morbos; nam ἁι ἁμαρτίαι, חַטָּאוֹת saepe sunt *poenae peccatorum*, e. c. Levit. XIX, 17. *morbi* autem omnes ab Hebraeis habiti sunt pro poenis peccatorum, ut patet ex Iac. V, 14. 15. Ps. CIII, 3. Io. IX, 2, adeoque remittere peccata in hoc negotio idem est ac sanare a morbo. Ex his igitur Iesu verbis aegrotus colligere poterat, eum, qui quod maius est dedisset, non negaturum quod minus erat, et qui morbi caussam sustulisset, etiam morbum ipsum sublaturum esse. Paulus et Thiessius (ad h. l.) opinantur, hominem istum fuisse melancholicum, et sine caussa credidisse, se summa virium debilitate laborare; Iesum autem ei hunc scrupulum ademisse, ita et animo confirmatus, et viribus suis usus, pedibus domum redierit. Laudat simile exemplum apud Livium II, 36. Contra hanc novam *psychologicam* interpretandi rationem disputavit W. T. Langius in den *Bemerkungen über die psychologisch-historische Erklärungsart der Neutestamentl. Wunderbegebenheiten*, in Flattii *Magazin* für christl. Dogmatik und Moral. Particula IX. p. 130. sq. Tübing. 1803. 8.

3. ἔιπον ἐν ἑαυτοῖς) *intra se cogitabant.* ἔτος βλασφημεῖ, *hic iniurius est in Deum,* impie loquitur. βλασφημεῖν, *maledicere*, vel homini, vel Deo. Cogitabant, neminem peccata posse remittere, nisi Deum, et qui nomine Dei loqueretur, et a Deo missus esset. 2 Sam. XII, 13. Cf. Marc. II, 7. Luc. V, 21. Tum vero Iesum a Deo missum non esse sumunt, et hinc colligunt, eum, qui sibi potestatem a Deo non acceptam arrogaret, se ipsum Deum facere, adeoque blasphemum esse.

4. ἰδὼν ὁ Ἰησοῦς τὰς ἐνθυμήσεις αὐτῶν) *Iesus, perspiciens intimas eorum cogitationes.* Inter εἰδέναι et ἰδεῖν haec differentia est, ut illud ad *intelligentiam mentis*, hoc autem ad *sensum oculorum* pertineat. Unde videbatur dicendum fuisse εἰδώς. Sed eius discriminis non solum scriptores N. T. sed et alios minus tenaces esse, patet ex locis, a *Loesnero* in observatt. et Philone laudatis. Talmudici, titulo de Synedrio ex Ies. XI, 3. probant contra Barchochebam, Messiae cogitationes hominum cognitas esse. Quod cum non posset, interfecerunt eum. ἵνατί ἐνθυμεῖσθε πονηρὰ) *Quamobrem cogitatis prava,* nimirum me a Deo missum non esse, me esse blasphemum, neque posse peccata remittere, ab eorum poena liberare. Ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν ex Hebraismo redundat.

5. τί γάρ ἐστιν εὐκοπώτερον;) pro: πότερον γὰρ ἐστι; Utrum est *facilius?* εἰπεῖν) *dicere*, nimirum cum effectu, ut eventus verbis respondeat. Reliqua huius et sequentis versus varie interpunguntur. Sic autem optime mihi cohaerere videntur: *Utrum enim facilius est? Dicere, remittuntur tibi peccata? an dicere: surge et ambula?* Nimirum mihi quidem utrumque aeque proclive est, et peccata condonare, et morbum dicto tollere. Vos hoc posterius putatis esse difficilius.

6.

6. Ἵνα δὲ εἰδῆτε — τῷ παραλυτικῷ) verba: τότε λέγει τῷ παραλυτικῷ, non sunt Parenthesis. Recte monuit *Heinsius*, illud τότε turbasse interpretes; τότε autem putavit esse Hebraeorum אָז, *solummodo*, aut *simpliciter*; aliis est τό, τε aut τόδε, *hocce*. Utrum eligas, (quoad sensum) nihil refert. Sensus nimirum est: Quo vero cognoscatis (εἰδῆτε, ut v. 2. 4.) *me* (filium hominis) *potestatem habere remittendi peccata in terra, hocce etiam* (vel simpliciter) *dico paralytico*: ἐγερθείς ἄρόν σε τὴν κλίνην κ. τ. λ. Ad verbum λέγει nimirum ἀπὸ τῆ κοινῆ referri debet ὁ υἱὸς τῦ ἀνθρώπε. Ἀφιέναι τὰς ἁμαρτίας, tollere externum incommodum, quod est consequens peccati. Vid. dicta ad v. 2. Ἐπὶ τῆς γῆς, hominibus. *Ut cognoscatis me habere potestatem remittendi peccata, nunc etiam sanitatem restituo aegroto isti.* Ἐγερθείς — κλίνην) i. e. ita convalesce, ut tollere posses lectum tuum. Act. IX, 34. κλίνη, pro quo Marcus c. II, habet κράββατον, Lucas c. V, 19. 24. κλινίδιον, est lectulus apud Orientales etiam nunc ad portandum facilis; constat enim duabus stragulis, quarum alia tegitur dormiens, alia substrata. Vid. Beobacht. über d. Orient. T. III. p. 177.

8. οἱ ὄχλοι) Enallage: *populus*: homines isti. τοῖς ἀνθρώποις) Itidem enallage numeri, familiaris omnibus prope linguis, quoties aliquid ἀόριστον denotare volumus. Admirabatur enim plebs, ulli hominum tantum iuris datum esse, quia nullum talis rei exemplum in omni vetustate extabat. Fortassis tamen ἐξουσία, abstracto posito pro concreto h. l. idem est ac ἐξουσίαν ἔχων, ἄρχων, ἐνεργῆτης Gen. XLIX, 10. hebr. שבט *sceptrum*, *Symmachus* vertit ἐξουσία, LXX. ἄρχων. Cf. Rom. XIII, 1. Tum sensus esset:

esset: *quod hominibus virum tam praepotentem largitus esset Deus.* Similis locus est Luc. VII, 16.

9. Καὶ παράγων ἐκεῖθεν ὁ Ἰησοῦς) *Iesus autem domo egressus* mare versus, ut patet ex Marc. II, 13. Ἄγειν pro βαδίζειν, ut in illo Terentii: quo te agis? Παράγειν, *digredi*, quod ostendit particula ἐκεῖθεν. ἐπὶ τὸ τελώνιον) ἐπὶ, *ad*, τελώνιον, *vectigaliarium*, *telonarium*, *Zollhaus*. Ματθαῖον λεγόμενον) Eum nimirum, qui Apostolus postea est factus c. X, 3. quique hunc librum scripsit. Ipse Matthaeus de se scribit, uti Ioannes in Evangelio, Thucydides, et Herodotus. Lucas (c. V, 27. seqq.) et Marcus (c. II, 13. seqq.) eandem narrantes historiam nominant Levin, Alphaei filium. An diversa tantum sint nomina unius eiusdemque personae, an vero duo portitores simul vocati sint a Christo, equidem definire non ausim. Quum tamen Marcus et Lucas in plerisque cum Matthaeo consentiant, et alii etiam Apostoli binomines fuerint (Simon Petrus, et Lebbaeus Thaddaeus,) praeferenda esse videtur eorum sententia, qui Levin et Matthaeum diversa tantum esse nomina unius eiusdemque personae existimant.

10. ἐν τῇ οἰκίᾳ) Matthaei scilicet, aut Levis, sicut liquet ex Marco et Luca. καὶ ἰδοὺ — μαθητὰς αὐτοῦ) Sensus est: Quum ibi accumberent Iesus et discipuli eius, accidisse inopinato, ut multi venirent et una accumberent portitores et profani homines. Τελῶναι non sunt *publicani*, sed *portitores*, publicanorum operae, quae portorium exigunt. Ἀρχιτελῶναι autem, *publicani*, sunt *portitorum*, s. *operarum magistri*. *Publicani*, qui vectigalia certa argenti summa redemerant, erant equites Romani, et pro honestissimis habebantur. *CIC. in Orat. pro Planco.* Ii vero, per quos equites portaria exigebant

erant liberti et servi, ac sortis humilioris provinciales. De his in Evangeliis est sermo. Quum autem vectigalia vi saepe extorquerent, ac plus quam iure debebatur, postularent, (Luc. III, 13.) factum est, ut maximum odium gentis Iudaicae, libertati adsuetae, incurrerent, ac ipsis etiam gentilibus displicerent, qui dicere solebant: *πάντες τελῶναι πάντες εἰσὶν ἅρπαγες.* *Dio Cassius*, Lib. XLII. aliique. Inde ratio reddi potest, cur portitores cum peccatoribus coniungantur, et cur Iudaei cum iis noluerint conversari, edere et bibere. Vid. SAL. DEYLINGII observatt. sacr. T. I. p. 206. sqq. de *Publicanorum ordine* etc.

11. *ἰδόντες*) i. e. *cum rescivissent*; non enim credibile est, Pharisaeos in domum portitoris intrasse. *ἐσθίει*) *convivatur*; synecdochice. Contra quam fieri oportere legisperiti docebant. Portitores enim et similis vitae homines eodem loco habebant, quo ethnicos; unde coniungi solent *τελῶναι καὶ ἐθνικοί.*

12. *οὐ χρείαν — ἔχοντες*) Sensus est: Sicuti medici solent versari libenter cum aegrotis, sic ego crebrius versor cum portitoribus et peccatoribus, ad eorum animos sanandos. *οἱ ἰσχύοντες*, *robusti*, i. e. *sani*. Sic Ies. XXXIX, 1. חָזַק est *convalescere*. Loquitur Christus ex suppositione. Si vos tales estis, quales vobis videmini, sane meae operae non indigetis. Sic *Antisthenes*, apud Diog. Laert. VI, 6. quum obiectum illi esset, quod cum improbatae vitae hominibus versaretur: *Etiam medici*, inquit *cum aegrotis.*

13. *πορευθέντες δὲ μάθετε τί ἐστιν*) *Discite vero, quid hoc sibi velit.* Πορευθέντες pleonastice hic positum est, ut hebr. לְכוּ. Cf. c. XIX, 21. Rabbinis usitata phrasis: צֵא וּלְמוֹד, quae in aliis quoque linguis obtinet, e. g.

Aen.

Aen. IX, 634. I, verbis virtutem illude superbis. Non intelligitis, quid sibi velint effata Prophetarum: ἔλεον θέλω καὶ οὐ θυσίαν) 1 Sam. XV, 22. Hos. VI, 6. et aliis locis. *Acceptior mihi est beneficentia quam victima.* Nam ἔλεος, apud Hoseam est חֶסֶד, *beneficentia.* Huic opponitur זֶבַח θυσία, quae vox hic synecdochice omnem rituum observationem significat, quia in eo operum genere sacrificia excellebant. θέλω, חָפַצְתִּי, *delector, acceptum habeo.* Ad ἔλεον pertinet, peccantem hominem ad bonam frugem revocare, ad θυσίαν, abstinere a convictu hominum flagitiosorum. Illud καὶ οὐ, וְלֹא non simplicem sed comparatam negationem designat; (cf. sequentia apud Hoseam) Sensus igitur est: pietatem in animo positam et humanitatis officia apud Deum multo maioris esse momenti, quam rituum ceremoniarumque observationem; et Christus recte inde colligit, ita observandum illud institutum de vitanda familiari consuetudine τῶν ἀτάκτων, ut non negligantur interim occasiones, eos reducendi in rectam viam. οὐ γὰρ ἦλθον — εἰς μετάνοιαν) Constr. οὐ γὰρ ἦλθον καλέσαι εἰς μετάνοιαν δικαίους ἀλλ' ἁμαρτωλούς. *Enimvero non tam ad pios quam ad impios corrigendos veni.* Non *iustos*, i. e. non eos, qui aut iusti sunt, aut se iustos esse somniant, quales erant Pharisaei; sed *peccatores*, qui spem melioris vitae faciunt. Verba εἰς μετάνοιαν desunt in multis Codd. Verss. et patribus quibusdam, et e Luca illata esse videntur.

14. Τότε, quum Iesus Pharisaeorum superstitionem notasset. Οἱ μαθηταὶ Ἰωάννου. Sed cum discipulis Ioannis etiam legisperiti e secta Pharisaeorum hanc quaestionem Christo proposuisse videntur. Cf. Marc. II, 18. Luc. V, 33.

λέγοντες,) *quaerentes ex eo, ut* c. II, 1. διατί — *ἡ νηστεύσει*) *Qui fit, ut, quum nos et Pharisaei saepius ieiunare soleamus, tui discipuli non ieiunent?* πολλὰ pro κατὰ πολλὰ, *multum, saepe.* Agitur et hic, non de publicis ieiuniis, sed de privatis. Norant discipuli Ioannis, cur ipsi et Pharisaeorum discipuli ieiunare solerent, nimirum ipsi ob captivitatem magistri, pro quo preces apud Deum fundebant, Pharisaeorum autem discipuli ob magistrorum suorum mandata. Sed quaerunt, cur discipuli Christi nulla sibi ieiunia indicerent? non agerent statos dies ieiunii?

15. *μὴ δύνανται — ὁ νυμφίος;*) *Decetne convivas nuptiales moestos esse inter ipsa solemnia nuptiarum?* Μὴ δύνανται; *num possunt? num decet eos?* In interrogatione μὴ est negatio. Sensus est: *non convenit iis.* Οἱ υἱοὶ τοῦ νυμφῶνος, *convivae nuptiales.* Νυμφὼν enim est thalamus nuptialis, conclave in quo celebrantur nuptiales epulae; et *filius* thalami nuptialis per notum hebraismum, qui est in illo conclavi, i. e. conviva nuptialis. Hoc enim sensu hebr. בֶּן additur Substantivis, sic e. g. *filius urbis, domus*, est particeps urbis vel domus, i. e. eius incola. Πενθεῖν, pro quo nonnulli Codd. et Syrus habent νηστεύειν ex *Marco* et *Luca*, notionem ieiunandi includit; nam ieiunium luctus est signum sive consequens. Cf. supra c. VI, 16. Ἐφ' ὅσον — ὁ νυμφίος, i. e. *inter ipsa solemnia diei nuptialis;* quamdiu sponsus convivis est praesens. Ἐλεύσονται — νηστεύσουσιν) *Venient autem, sponso ab illis sublato, tempora, quibus agent ieiunium.* Permiscentur similitudo et applicatio similitudinis ad Iesum eiusque discipulos. Non dicit Iesus, se esse sponsum ecclē-

clesiae, sed comparat se cum sponso, qui convivas laeto excipit convivio. Quemadmodum absonum esset, inquit Iesus, si sponsus vellet, ut convivae nuptiales die nuptiarum essent moesti, et ieiunium agerent: sic esset absonum, si ego discipulis meis praesens vellem eos severius tractare. Veniet tempus, quo vitam agent molestam, me ab illis ablato. Sat malorum olim perferent; agant iam vitam laetam et commodam.

16. ἀδεὶς δὲ ἐπιβάλλει ἐπίβλημα ῥάκους ἀγνάφου ἐπὶ ἱματίῳ παλαιῷ) *Nemo assuit particulam panni impexi* (i. e. novi) *vestimento veteri.* Ἐπιβάλλειν, *assuere.* Ῥάκος ἄγναφον est pannus, cui fullo manum nondum adhibuit, ac proinde *rudis* vel novus; γναφέυς fullo est, qui curandas poliendasque vestes accipit; ἐπίβλημα, *additamentum*, particula panni, quae vesti detritae adsuitur. αἴρει γὰρ — σχίσμα γίνεται) *Nam assumentum aufert aliquid vestimento, et fit maior at deformior hiatus.* Notetur, sermonem esse de panno *impexo*, qui imbre madefactus facile contrahitur, et a vestimento vetustate contrito aliquid aufert. Πλήρωμα idem quod modo ἐπίβλημα, est nominativus. Αὐτῦ intellige τῦ ῥάκους. αἴρει ἀπὸ τῦ ἱματίυ dictum ἐλλειπτικῶς pro τί ἀπὸ τῦ ἱματίυ. Vetera instituta Pharisaeorum, inquit Christus, et doctrina mea nova ac perfectior non bene cohaererent. Absurda et intempestiva esset haec diversarum rerum combinatio.

17. οὐδὲ βάλλουσιν οἶνον νέον εἰς ἀσκοὺς παλαιούς) βάλλουσιν, impersonaliter, *non immittitur vinum novum* etc. ἀσκὸς παλαιὸς, *uter vetustate detritus.* Orientales utribus ad servanda vina utuntur. Sunt autem hi utres pelles, culei, urcei coriacei, intrinsecus pillosi, piceque extrinsecus obducti. *Herodot.* L. II, c. 121. *Michaelis* Orient.

Orient. Bibl. Tom. VII. p. 29. Οἶνον νέον LXX. habent, ubi in hebr. est *mustum*, Ies. XLIX, 26. Nova mea doctrina, longe nobilior ac perfectior traditionibus Pharisaeorum nihil habet commune cum miseris illis institutis ac ritibus ieiuniorum. Non multum differt *Mori* explicatio (vid. eius dissertat. theolog. p. 94. seqq.) monentis, in his similitudinibus (v. 14—17.) esse universam sententiam hanc: *neminem facile in vita communi id facere solere, quod à re, loco, tempore, natura abhorreat.* Si quis e. c. inter convivium moestus esse incipiat, aut mustum utre attrito condat, aut recentem pannum vestimento veteri adsuat, is certe ab omnibus inepte agere iudicaretur. Sic et ego, Christus inquit, profecto facerem quod ab re, loco, tempore alienum esset, si discipulos meos, quos aliquando calamitosissimam vitam acturos esse scio, in praesenti commodius vivere non paterer, sed eos sine caussa maturius iusto molestiis onerarem.

18. ἄρχων τις ἐλθὼν) Vera lectio esse videtur ἄρχων εἷς ἐλθὼν. Nam Matthaeus εἷς pro τις ponere amat, e. gr. c. VIII, 19. XVI, 14. XVIII, 28. et versiones paene omnes huic lectioni favent. Ingressus est in domum, in qua Capharnaumi habitabat, v. 1. cap. IV, 13. ἄρχων) nimirum τῆς συναγωγῆς, quod addit Lucas VIII, 41. cf. Marc. V, 22. Hebraeis dicitur Caput conventus רֹאשׁ הַכְּנֶסֶת cuius erat scripturam post sacerdotes et Levitas populo praelegere, facienda in Synagogis praecipere, et munera tam in ordiendis precibus, quam in scripturarum lectione distribuere. Iunguntur illi ἱερεύς et septem boni civitatis, sive Seniores, פַּרְנָסִין dicti. Illi stipendium etiam persolvebatur. Quae omnia *I. Rhenferdius* ex Codice Theodosiano, Epiphanio et scriptis Iudaeorum diligenter eruit.

Cf.

Cf. Campeg. Vitringa de Synag. Vet. L. II, c. XI. ἄρτι ἐτελεύτησεν) *iam*, *modo* mortua est. Id ex coniectura dicit, de ea, quam moribundam reliquerat. Cf. Marc. V. 23. Luc. VIII, 42. Possumus etiam vertere: *Filia mea iam moritur*, h. e. in eo est ut moriatur. Nam aoristus tempus indefinitum, adeoque etiam praesens significat. ἐπίθες τὴν χεῖρά σε) Notum erat Iudaeis, solere Deum Prophetis hunc exhibere honorem, ut in alios dona sua conferret ad Prophetarum preces, quarum Symbolum erat manuum impositio. *Iairus*, ut credibile est, arbitrabatur sanationem a Iesu non nisi precibus posse praestari.

20. γυνὴ αἱμορροοῦσα) *Sanguinis profluvio laborans.* Eos quos tetigisset, polluebat ex iure Iudaico. Paneadensem fuisse mulierem, *Eusebius* refert, H. E. lib. VII, c. 18. et statuam positam Christo a foemina addit. τοῦ κρασπέδου τοῦ ἱματίου αὐτοῦ) κράσπεδον, *lacinia quae est in pallio*, Graecis etiam πτερύγιον dicta, Hebraeis צִיצִת, fila contorta lanea, angulis inferioris partis pallii annexa, quae Moses palliis Iudaeorum annecti iusserat, ut se a gentilibus distinguerent et memores essent legis. Num. XV, 38. Cf. *Lightfootum* et alios Hebr. antiq. Scriptores.

21. ἔλεγε ἐν ἑαυτῇ) i. e. *cogitabat*. Est enim, (ut scite ait Plato in Sophista) ἡ διάνοια, διάλογος ψυχῆς ἄνευ λόγου. v. supra v. 3. ἐὰν μόνον ἅψωμαι τοῦ ἱματίου αὐτοῦ, σωθήσομαι) *Si vel eius vestem tetigero, convalescam.* Ex his foeminae verbis colligit *Grotius*, existimasse eam, se posse sanitatem furtim a Christo surripere, esseque emanationem, morborum ἀλεξιτήριον, naturalem magis, quam arbitrii Christi. Sed potuit etiam alia esse caussa, cur contactu potius quam sermone misera monere vellet Iesum de sua miseria. Impuritas nempe legalis cum

isto

isto morbo coniuncta, et pudor prohibebant, quo minus coram omni populi multitudine miserum corporis habitum exponere auderet. Voluit igitur aliam inire viam, confisa, fore ut Iesus contactu etiam de sua miseria et fide moneri possit.

22. θάρσει θύγατερ. ἡ πίστις σε σεσωκέ σε) θάρσει, *bono esto animo*. Solent enim trepidare, qui clam aliquid agunt, timentes ne deprehendantur. At Christus erigit foeminam, ac insignem illam de divina potentia persuasionem ipsi ad sanitatem profuturam esse dicit. ἀπὸ τῆς ὥρας ἐκείνης) *ab eo momento*. Significatur ille temporis articulus, quo haec dicta sunt. Cf. Marc. V, 25. sqq. et Luc. VIII, 43. sqq.

23. τὰς αὐλητὰς) *Tibicines*. Tibias in luctu usitatas apud Iudaeos, Iosephus de B. I. L. III. nos docet. Idem mos fuit etiam profanis gentibus; sed inde non sequitur, a profanis gentibus hunc morem ad Hebraeos esse deductum; et in antiquissimis Hebraeorum scriptis eius moris vestigia reperisse sibi visi sunt nonnulli. ὄχλον θορυβούμενον) *turbam tumultuantem*; i. e. strepentem, et ad funeris pompam concurrentem. Sed verbum θορυβεῖσθαι notat quoque *lamentari*, *naenias canere*, ut hebr. הֵמִיר. Ies. LIX, 11. Possunt igitur intelligi maxime *praeficae* i. e. mulieres mercede conductae, quae naenias, i. e. carmina lugubria in funeribus ad tibias canebant.

24. ἀναχωρεῖ — καθεύδει) Καθεύδειν alias quidem per Euphemismum haud raro de mortuis usurpatur, ob similitudinem quandam, quae morti cum somno intercedit. Sed h. l. propter verbum oppositum ἀπέθανε, haec significatio admitti non potest. Quid enim hoc esset: *Non mortua est, sed mortua est?* Nec tamen inde sequitur, puel-

puellam non fuisse mortuam. Nam potuit Christus hoc verbo uti, quia puellam a mortuis excitare iam secum constituerat. MICHAELIS quidem verisimilius esse putat, puellam non fuisse mortuam, sed animi deliquium passam esse; agnoscit tamen in hoc Iesu facto miraculum, et quidem duplicem ob causam: 1) quia Iesus noverat, puellam non vere esse mortuam; 2) quia subito, nullo remedio adhibito eam in vitam revocavit. Cf. PAULUS ad h. l.

25. ὅτε δὲ ἐξεβλήθη ὁ ὄχλος) *Quum autem turba dimissa esset.* Nam verbum ἐκβάλλειν, quod in versione Alexandrina respondet Hebr. הוֹצִיא, Esr. X, 3. et שִׁלַּח Exod. XII, 23. h. l. notat *dimittere*. Dimisit autem Iesus turbam, ut ii, quos huius rei testes et spectatores esse voluit, omnia accuratius videre possent. Εἰσελθών, *ingressus*, nempe conclave, in quo puella iacebat. Aderant una parentes puellae, Petrus, Iacobus et Ioannes. Marc. V, 37. 40. ἐκράτησε τῆς χειρὸς αὐτῆς) *prehendit manum puellae.* Vocabulum proprie significat vi adhibita aliquid retinere; hic autem et aliis locis multis idem valet quod ἅπτεσθαι, *prehendere*, vel *tangere*. Cf. c. XII, 11. Αὐτῆς pertinet ad κοράσιον v. 24. per synthesin generis, ut Matth. XXVIII, 19. et aliis locis.

26. ἡ φήμη αὕτη) *Huius rei fama.* εἰς ὅλην τὴν γῆν ἐκείνην) i. e. χώραν, regionem.

27. Καὶ παράγοντι — τυφλοὶ) *Illinc vero abeuntem Iesum secuti sunt duo coeci.* Παράγειν, haud raro significat *abire*, *discedere*, ut hebr. עָבַר, quod Alexandrini Ios. X, 29. 31. ἀπέρχεσθαι vertunt. υἱὲ Δαβίδ) Frequentiora Christi miracula iam hoc effecerant, ut a quibusdam non propheta tantum, sed promissus ille

Mes-

Messias crederetur. Idem autem valet ὁ υἱὸς Δαβὶδ et ὁ χριστὸς, c. XII, 23.

28. εἰς τὴν οἰκίαν) *domum* quum venisset, eam nimirum in qua Capernaumi consueverat habitare, quum in ea urbe sibi domicilium delegisset; nam nihil additur ex quo alia domus intelligatur. Coeci eum secuti sunt.

30. Ἀνεῴχθησαν αὐτῶν οἱ ὀφθαλμοὶ) *visum receperant.* Phrasis פָּתַח עֵינַיִם significat *coecis visum dare*, Ies. XXXV, 5. Nam qui nihil vident, eorum oculi Hebraeis dicuntur clausi. ἐνεβριμήσατο αὐτοῖς) *graviter interminatus est eis, severe praecepit, interdixit.* Nec ἐμβριμᾶσθαι plusculum aliquid significat quam ἐπιτιμᾶν, respondet enim גָּעַר apud *Symmachum* Ies. XVII, 13. ubi *Aquila* habet ἐπιτιμᾷν. Λέγων — γινωσκέτω) Quod Iesus insigniora nonnunquam miracula ad plurium notitiam emanare noluerit, hoc multum offensionis habere videtur religionis Christianae adversariis. Sed ex sapientissimis caussis Iesus interdum miracula sua celebrari et depraedicari vetuit. Veluti in hac nostra historia legimus, coecos sanatos Iesum habuisse pro Messia v. 27. Demonstravit quidem Iesus re et factis se esse Messiam, sed ipsum Messiae titulum in sermonibus suis ad populum studiose evitavit. Praevidit enim fore, ut populi de gloria et regno Messiae praeconceptis opinionibus iuxta ac affectibus, superbo Romanorum imperio accensis, gravissimae turbae exorirentur, occasioque adeo subnasceretur eius adversariis mundanum regnum quasi affectaret, calumniandi. Haec igitur praecipua caussa fuisse videtur, cur Iesus interdum miracula sua manifestius praedicari nollet. Cf. etiam c. XVI, 20. Io. VI, 14.

31.

31. ἐξελθόντες) sc. domo ipsius Christi, vel potius ex urbe, non enim probabile est, homines illos praeceptum Christi statim violasse, et in ipsa urbe rem divulgasse. διεφήμισαν αὐτον) ad verbum, *diffamarunt eum*; sed h. l. est: *famam de ipso dissipaverunt.* Ἐν ὅλῃ τῇ γῇ ἐκείνῃ, per omnem illum tractum, in quo sita erat Capharnaum. Vid. *Paulum* ad h. l.

32. Ἄνθρωπον κωφὸν, δαιμονιζόμενον) Vulgaris erat opinio, omnium graviorum morborum auctores esse malos genios; non igitur mirum, si hic mutus a malo daemone facultate loquendi privatus credebatur. Haud dubie mutus factus erat vel ex morbo nerveo, vel apoplexia, vel melancholia. Miraculo sua constat veritas et dignitas, sive is morbus ex naturalibus caussis, sive a malo genio fuerit ortus. Quapropter admirabundi exclamabant spectatores: οὐδέποτε ἐφάνη ἕτως) Ponitur ἕτως pro τοιοῦτο, vel subaud. τί et γενόμενον. Sensus est: Tot signa, tam admirabilia, tam celeriter, neque contactu tantum, sed et verbo, et in omni morborum genere, a nemine antehac edita, ne a Mose quidem. Similis phrasis Iud. XIX, 30.

34. De sensu huius loci vide infra, c. XII, 24.

35. περιάγειν nunc intransitive est, *peragrare, obire*, ut cap. IV, 23. διδάσκων ἐν ταῖς συναγωγαῖς) Erant plerumque in urbibus tantum Synagogae, ad quas conveniebant omnes, qui in earum urbium erant territorio. Ex hoc loco videtur posse colligi, in vicis quoque maioribus aliquas fuisse constitutas. πᾶσαν νόσον) omnis generis morbos. Cf. c. IV, 23. ἐν τῷ λαῷ). Deest in multis Codd. et Verss. nec legunt Chrys. et Theophylact. Videtur additum esse e loco simili, c. IV, 23.

36. ἐσπλαγχνίσθη περὶ αὐτῶν) *Commiseratione intima commotus est eorum caussa.* Verbum σπλαγχνίζομαι

ζομαι nusquam occurrit apud LXX. ut notavit *Vorstius* Phil. s. P. I, c. 2. Reperitur tamen in Origenis Hexapl. usurpatum a Symmacho pro hebr. חָמַל, Deut. XIII, 9. Cf. Luc. I, 78. ἦσαν ἐκλελυμένοι) *debilitati*, vel *viribus defecti*, *enervati*. Sed plurimi Codd. Patres et Verss. habent ἐσκυλμένοι, *vexati*. Σκύλλεσθαι autem proprie non de quavis molestia dicitur, sed de fatigatione et lassitudine ex via. Haec imago repraesentabat, quales essent illorum doctores, qui ipsos multis ceremoniis fatigabant. ἐρριμμένοι) *disiecti*, *palantes*. Hoc pertinet ad sectarum studia, quod miseri homines hinc a Pharisaeis, inde a Sadducaeis in partes traherentur, ita ut quid sequerentur, quid fugerent, non satis esset ipsis exploratum. ὡσεὶ πρόβατα) quemadmodum ποιμένες sunt reges et doctores, ita πρόβατα sunt subditi et populus. μὴ ἔχοντα ποιμένα) qui nimirum pastorali animo gregem curet, gregis commodo non suo studens, quod est καλὸς ποιμένος officium. Ioh. X, 11. Locutio sumta ex Num. XXVII, 17. 1 Reg. XXII, 17.

37. ὁ μὲν θερισμὸς πολὺς) i. e. ingens est hominum multitudo, quorum animi erecti sunt ad recipiendam salutarem doctrinam. Comparatio sumta ex eo, quod quum sit seges matura, et iam resecanda falce, multis messoribus opus est. Per *messem* Christus indicat hominum expectatione sanioris doctrinae iam satis erectorum multitudinem. Cf. Io. IV, 35. Multa est occasio docendi; et multi sunt auditores, qui doceri cupiunt. Verbis ὁἱ δὲ ἐργάται ὀλίγοι indicat Christus magistrorum inopiam. Pauci sunt, inquit, erudiendae plebi operam navantes. Ἐργάται, proprie agricolae, operarii, h. l. doctores.

38. Δεήθητε — θερισμὸν αὐτοῦ) *Expetite igitur a messis domino, ut operarios ad suam messem emittat.*

lat. Ὁ κύριος τῦ θερισμῦ est Deus. Nam ὁ θερισμὸς est ingens illa multitudo hominum, qui egent institutione. v. 37. Omnium autem horum dominus est Deus. Ἐκβάλλειν, hebr. שָׁלַח, (Exod. XII, 33. Ps. XLIII, 3.) idem est ac *emittere*, ἀποστέλλειν. Aliis emphasis inesse huic verbo videtur, ut sit *emittere*, *extrudere*, i. e. cum festinatione mittere. Cic. ad Famil. XIV, 6. Pollicem, si adhuc non est profectus, quamprimum fac extrudas.

CAP. X.

1. Τοὺς δώδεκα μαθητὰς) Familiariores ceteris et convictores quotidianos, aliquanto prius a se selectos, ut ex *Luca* VI, 12—16. apparet. καὶ ἔδωκεν αὐτοῖς ἐξουσίαν πνευμάτων ἀκαθάρτων) *Instruxit eos potestate in daemones impuros.* Suppl. κατὰ, *adversus spiritus impuros*, i. e. malos, sensu morali. Sic habent codices non pauci, Verss. Cyr. Theophyl. Sed sine dubio est interpretamentum; nam sine praepositione etiam recte dicitur, Io. XVII, 2. Rom. IX, 21. Polyb. II, 5. τὴν ἐξουσίαν τῶν σωζομένων — τὴν τῶν χρημάτων ἐξουσίαν. Sirac. X, 4. ἡ ἐξουσία τῆς γῆς, *dominium in terram.*

2. Ἀποστόλων) ἀπόστολος, *legatus*, qui cum mandatis ab aliquo mittitur. LXX. hebr. שָׁלִיחַ vertunt ἀπόστολον, ut 1 Reg. XIV, 6. In communi Graecorum usu ἀπόστολοι dicebantur certi homines, qui negotii gerendi gratia, magis quam deferendi nuntii, aliquo mittebantur. At notione peculiari ac propria illi duodecim discipuli Christi sic dicti sunt, quibus ipse auctoritatem amplissimam dedit Ecclesiam suam fundandi, constituendi, docendi, et doctores illis pastoresque imponendi, qui deinceps iure ordinario eam essent

rectur-

recturi. Praecipuae notae Apostolorum fuerunt, quod a Christo immediate electi et missi sunt, ut essent testes resurrectionis ipsius et omnium quae vidissent. (Gal. I, 1. Act. I, 8. 21. 22. X, 41. 42.) et quod iussi fuerunt ire per totum mundum, ac instituere in religione omnes gentes. Marc. XVI, 15. Vid. *Is. Casauboni* Exercitatt. XIV. Cur *duodecim* praecise elegerit Iesus, vix definiri poterit. Respexisse eum volunt ad duodecim tribus Israelis. Infra c. XIX, 28. Luc. XXII, 30. Πρῶτος—ἀδελφὸς αὐτοῦ) Petrus et Andreas discipuli Ioannis hactenus fuerant. Io. I, 37. seq. Petrus hic vocatur πρῶτος. *Beza* in notis Edit. I. suspicatur, hoc vocabulum ab aliquo fuisse additum, qui Petri primatum vellet stabilire. Istam tamen suspicionem tum in editionibus sequentibus, tum ad Marci III, 19. deposuit. Et profecto non erat, cur Beza suspicaretur vocem πρῶτος malo consilio additam fuisse. Πρῶτος enim h. l. est primus ordine, non primus dignitate. Videntur Andreas et Petrus omnium primi ad Apostolatum vocati fuisse, Io. I. 37. ss. Petrus autem ante fratrem nominatur, quia eum fortassis annis superabat. Accedit, quod Petrus omnibus ceteris Apostolis animo esset superior. Non videtur ipse Christus, certum aliquem ordinem dignitatis inter discipulos suos instituisse. Si enim instituisset, sine dubio omnes Evangelistae illum ordinem constanter servassent; quod secus esse scimus, diverso enim ordine recitata sunt nomina Apostolorum ab Evangelistis. Iudas tamen Iscariotes ubique ultimum, Petrus vero ubique primum, et Ioannes cum fratre Iacobo tertium et quartum, vel quartum quintumque locum tenent. Gal. II, 9. Act. XV, 7. 13. infra c. XVII, 1. XXVI, 37. Existimant nonnulli, ordinis inter Apostolos servati rationem positam fuisse in tempore, quo unusquisque eorum in disciplinam fuerit ad-

admissus; quod a verisimili non prorsus abhorret. Inter omnes autem Apostolos tres cariores fuisse Christo, fortassis ob insigniores animi dotes et docilitatem, Petrum nempe, Iacobum et Ioannem, ex ipsa historia Evangelica constat. Vid. e. c. Matth. XVII, 1. sqq c. XVI, 37. Quicquid sit, hoc certissime constat, omnes Apostolos, quod ad potestatem attinet, fuisse pares, nec ulli eorum imperium in ceteros fuisse delatum, vel etiam usurpatum. Luc. XXII, 25. seq. De nomine Petri vid. infra c. XVI, 18. Ἰάκωβος — ἀδελφὸς αὐτοῦ) Vide annot. ad Marc. III, 17.

3. Φίλιππος) vid. supra c. IV, 18. Βαρθολομαῖος) i. e. *filius Tholomaei.* Proprio nomine videtur vocatus fuisse Nathanael Io. I, 45 — 59. XXI, 2. Θωμᾶς, hebr. תְּאוֹם, *gemellus*, Δίδυμος, Io. XX, 24. ἀλφαίου) Sc. υἱός. Alphaei nomen pro vario pronunciandi modo etiam scribitur Cleopas, Luc. XXIV, 18. Io. XIX, 25. καὶ Λεββαῖος, ὁ ἐπικληθεὶς Θαδδαῖος) Haec duo cognomina eiusdem significationis esse videntur. Λεββαῖος, לְבָאִי a לֵב *cor*, Θαδδαῖος, תַּדָּאִי a תַּד, *pectus*. Taddai nomen erat Iudaeis usitatum. Marcus et Lucas eundem Iudam vocant, quam vocem Matthaeus leviter inflexit, ut a Iuda Iscariote distingueret.

4. ὁ Καναναῖος) i. e. *Zelotes*. Nam Lucas c. VI, 15. habet: τὸν καλούμενον Ζηλωτήν. Est cognomen Hebraeum קַנָּאִי, chald. קַנָּאן cui nomini Matthaeus addidit Graecanicam terminationem. Zelotae erant privati, qui non expectata iudicis sententia delinquentes ulciscebantur, exemplo, ut prae se ferebant, Pinehasi. Hi postremis Reipublicae Iudaicae temporibus fuerunt seditiosissimi pariter ac flagitiosissimi. Ios. B. I. IV, 3. 9. Pharisaeis addicti et honorati

norati erant. Pro καναναίτης codices pervetusti et egregii quum h. l. tum etiam Marc. III, 18. habent καναναῖος s. Χαναναῖος. Probabile est, librarios graecos, formam inusitatam καναναίτης adstupescentes, in eius locum substituisse notius ipsis χαναναῖος. Vid. GRIESBACHIUS ad h. l. ὁ Ἰσκαριώτης) *Iscariota.* Nominis huius rationes varii varias reddiderunt, hic non repetendas. Nonnullis videtur hoc nomen contractum esse ex אִישׁ יִשָּׂשכָר, quod extat Iud. X, 1. sed addita terminatione Graecis familiari, Ἰσσακαριώτης, et ex corrupta, ut fit, pronunciatione Ἰσχαριώτης vel Ἰσκαριώτης. Alii rectius Iudam hoc nomen accepisse putant ab oppido quodam *Ischarioth*, vel *Iscarioth* in tribu Ephraim, vel a vico ignobili *Karioth* in tribu Iuda. Cur Christus non divites, non Pharisaeos et doctos, sed Galilaeos sibi delegerit, iam diximus ad c. IV, 18.

5. παραγγείλας αὐτοῖς, λέγων) *additis mandatis in haec verba.* παραγγέλλειν, *denunciare, edicere* εἰς ὁδὸν ἐθνῶν μὴ ἀπέλθητε) *versus gentes*, vel *viam quae fert ad gentes, ne abieritis*, ut lerem. II, 18. καὶ εἰς πόλιν Σαμαρειτῶν μὴ εἰσέλθητε) εἰς πόλιν, subaud. τινά. Vetat Christus legatos suos egredi fines Palaestinae. Per agrum Samaritanorum transire non vetat; Samaria enim inter Iudaeam et Galilaeam sita est media, tribubus Ephraimi et Manassis Iosephi filiorum assignata, et erat is transitus opportunus ex Galilaea tractum Hierosolymitanum petentibus. Prohibet autem oppida intrare, ut appareat, Samaritanorum caussa non institutam hanc legationem. Voluit Christus servari Iudaeis nobilitatis suae privilegium; cuius praelationis illustre signum est hoc, quod in ipsis instituendis primam curam poni volunt: quod etiam post

Christi

Christi resurrectionem ab Apostolis diligenter servatum est. Act. II, 39. c. XIII, 46.

6. *πρὸς τὰ πρόβατα τὰ ἀπολωλότα οἴκου Ἰσραήλ*) *Ad cives e familia genteque Israelis misere perditos.* Cf. LXX. Ierem. L, 6. 7. tum a senatu publico, sive magnatibus, tum a doctoribus male habitos, negligentia et incuria efferatos. Cf. Io. X, 8. 10. 13. cum Matth. XXIII, 1—4. 13—16. IX, 36. XV, 24.

7. *ἤγγικεν ἡ βασ. τ. οὐρ.*) cf. c. III, 2. ex quo patet, nihil nunc quidem ultra mandatum Apostolis, quam ut Iudaeos ad vitam meliorem hortarentur, et ad Messiam audiendum pertraherent, a quo accepturi essent cetera, quae ad salutem ipsis essent necessaria. *Iesum* esse hunc Messiam, tum temporis nondum palam professi sunt discipuli. Matth. XVI, 20.

8. *νεκροὺς ἐγείρετε*) Haec verba desunt in quamplurimis Codd. Versionibus et Patribus quibusdam. Nec legimus ullum mortuum ab Apostolis vitae redditum, ante Christi resurrectionem. Accedit, discipulos Luc. X, 17. commemoraturos fuisse resuscitationem mortuorum, si hoc donum ipsis fuisset concessum. Laudant tanquam maximum: *καὶ τὰ δαιμόνια ὑποτάσσεται ἡμῖν.* Quid his, aliisque argumentis opponi possit, docet *Griesbachius.* l. c. cui, non obstante codicum omittentium numero, in textu retinendum videtur *νεκροὺς ἐγείρετε.* Fatetur tamen id non extra omnem dubitationis aleam positum esse. *δωρεὰν ἐλάβετε, δωρεὰν δότε*) Dictum est non inusitatum apud Hebraeos. Vid. *Wetst. Gratis,* inquit *Christus,* accepistis, nempe potestatem hanc sanandi. Qui medicinam faciunt, multum temporis et pecuniae impenderunt, ut artem illam addiscerent; sed dispar erat Apostolorum ratio, quibus potestas miraculis sanandi concessa fuit. Alias in suspicio-

nem renissent turpis lucri quaesiti. Quanquam autem Apostolis non licebat pro sanationibus pecuniam accipere, non tamen prohibebantur ab iis, quibus *docendis* operam navant ea accipere, quae ad victum erant necessaria. Docuerunt potius Christus et Apostoli tum verbis, tum exemplo, aequum esse ut, qui rebus omnibus neglectis, procurandae aliorum saluti vacarent, ab ipsis vicissim honeste alerentur. Cf. v. 10.

9. Μὴ κτήσησθε — ζώνας ὑμῶν) *Nolite portare aureos vel argenteos, vel aeneos nummos in Zonis vestris.* Ad verbum: *Nolite vobis comparare aureos — nummos in Zonas vestras.* κτᾶσθαι proprie et frequentiore usu valet *comparare*, sive *acquirere* quod postea possideas. *Vulgata* male reddit: *Nolite possidere.* Non enim hic interdicitur harum rerum possessio; sed de hac una profectione agitur, ad quam vult Dominus Apostolos accingi absque ullis sarcinis, atque adeo absque viatico; non modo ut nullis impedimentis retardentur, sed etiam ut hac providentiae divinae quasi degustatione ad futuram illam functionem Apostolicam praeparentur. μηδὲ χαλκὸν *neque aes.* Aenei enim erant *asses* et *quadrantes.* ζώνην Lucas dixit βαλάντιον, c. X, 4. XXII, 35. Zonae cavae apud Hebraeos eo fine erant receptae, ut pecunia illis reconderetur. Sed et apud Romanos tales Zonae in usu erant. Livius XXXIII, 29. *Negotiandi ferme caussa argentum in Zonis habentes.* A. Gellius XV, 12. *Quum Roma profectus sum, Zonas, quas plenas argenti extuli, eas ex provincia inanes extuli.*

10. μηδὲ πήραν εἰς ὁδὸν,) *neque manticam ad iter faciendum*, sc. *comparate vobis*, ex Versu antec. πήρα, *mantica* latine, in quam viatores condere panem et obsonioli aliquid solebant. *Peram* latine dixit etiam *Martialis*

tialis. H. l. intelligitur *viaticum.* μηδὲ δύο χιτῶνας) χιτῶν, *tunica, vestis interior.* Graeci, Romani, eorumque exemplo Iudaei illius aetatis gerere solebant fere duas tunicas, quarum una, quae cutem tangeret, a Latinis *interula* dicitur, et *subucula*, etiam indusium; ab Graecis, et quidem ab Atticis χιτωνίσκος, a reliquis ὑποδύτης, ac Iudaeis חלוק: alteram, togae et pallio propiorem, atque adeo inter subuculam et exteriores vestes mediam, Attici χιτῶνα, ceteri Graeci ἐπενδύτην nominant. Vid. *Fischeri* Proluss. p. 81. ss. Homines delicatiores duabus tunicis usi fuerunt. *Ios. Ant.* XVII, 5. 7. *Sueton. in Aug.* c. 82. μηδὲ ὑποδήματα) ὑπόδημα, proprie *subligaculum*, deinde *calceus.* Erant autem soleae tantum vel ligneae vel coriaceae, quae corrigiis supra pedem firmatae fuerunt. Vulgo aut nudis pedibus incedebant, aut calceati, sed non tamquam ad iter. μηδὲ ῥάβδον, *neque baculum.* Obstare videtur Marcus c. VI, 8. ubi discipulis conceditur ῥάβδος in verbis: εἰ μὴ ῥάβδον μόνον. Hanc difficultatem ita tollere voluit Heinsius, ut statueret τὸ εἰ μὴ apud Marcum idem esse, quod, *imo nec* Alii pro εἰ μὴ legi malunt μήτε. In variis MSS. Codd. *Matthaei* extat ῥάβδας, pro ῥάβδον, quod etiam Luc. IX, 3. legimus. Sed verisimilius est, quod etiam *Millius* statuit, lectionem ῥάβδας ad tollendam hanc pugnam a librariis vel sciolis huc translatam esse. Recte monet *Schulzius* ad h. l. non esse opus nimia hac diligentia in conciliandis his Matthaei et Marci locis. Nam singula et omnia quae hic commemorantur, pertinent ad unam eandemque exprimendam sententiam, et quidem hanc: discipulos non esse debere sollicitos de comparandis necessitatibus. ἄξιος γὰρ ὁ ἐργάτης τῆς τροφῆς αὐτοῦ ἐστιν) τροφή, *victus.* Sensus

esse videtur: Deo providente, victum accipietis ab illis ipsis, quibus docendis, sanandisque operam navabitis; idque iure aequissimo.

11. Εἰς ἣν — ἄξιος) *In quamcunque vero urbem, aut in quem pagum veneritis, sciscitamini, quis ibi sit dignus*, sc. vestro consortio, bonae existimationis, docilis, *avidus regni coelestis, qui suspiret Messiam promissum, et maioris profectus spem de se praebeat*, ut recte Erasmus Roterod. in Paraphrasi ad h. l. Respicitur ad v. 7. κἀκεῖ μείνατε) Vetat hospitem talem mutare, ut facere solent, qui diutius aliquo loco mansuri, quam commodissima hospitia captant. Nam hospitium quotidie mutare solent homines, quibus omnia sunt fastidio, qui nullo hospitio contenti sunt. Κἀκεῖ pertinet ad *domum*; ἕως ἂν ἐξέλθητε ad *urbem* aut *pagum*.

12. ἀσπάσασθε αὐτήν) sc. οἰκίαν, i. e. eos, qui in ea domo versantur. Addunt quidam: λέγοντες, εἰρήνη ἐν τῷ οἴκῳ τούτῳ, quia non putant satis cohaerere, quod sequitur ἡ εἰρήνη ὑμῶν. Atqui in illo ἀσπάζεσθαι vis ipsa vocis εἰρήνης, i. e. *salutis*, s. *incolumitatis* satis comprehendebatur.

13. καὶ ἐὰν μὲν — ἐπ' αὐτήν) *Et si quidem familia fuerit digna, salus, quam vos precati estis, isti vere contigat.* οἰκία (ut v. 12.) ii, qui in domo versantur. *Xenophon* etiam posuit οἰκίαν pro *familia*; hic *ipsum Patremfamilias* simul comprehendit. Ἀξία, suppl. τύχῃ boni illius in salutatione optati. ἐλθήτω ἡ εἰρήνη ὑμῶν ἐπ' αὐτήν) *Eveniat illi familiae felicitas a vobis optata.* Nam εἰρήνη, ut hebr. שָׁלוֹם non tantum *pacem*, sed et *felicitatem*, *prosperitatem*, *salutem* significat. 1 Sam. XXV, 6. 2 Sam. XI, 7. 2 Reg. IV, 26. et multis aliis

aliis locis. Εἰρήνη ὑμῶν, *salus, quam vos apprecati estis.* Ἐλθέτω ἐπὶ, ut hebr. בּוֹא subsequente עַל sensu bono et malo usurpatur. Deut. XXVIII, 2. 15. Ios. XXIII, 14. 15. Ἐὰν δὲ μὴ — ἐπιστραφήτω. *Sin autem non sit digna, vota vestra careant eventu* Perinde erit, atque si nulla hinc a vobis dicta salus fuisset. Votum dicitur reverti ad proferentem, si optato eventu caret, ita ut alter non tantum nullam utilitatem inde percipiat, verum etiam magnum damnum merito et sua ipsius culpa patiatur, cf. comm. 13. Ies. LV, 11. Ps. XXXV, 13. VII, 17. Sensus totius versus: Bene precamini ei, quod etiam ratum erit, si sit digna; sin minus, frustra illi bene precati fueritis.

14. καὶ ὃς ἐὰν τὴ — ποδῶν ὑμῶν) *Si quis autem vos non admiserit, vestramque doctrinam respuerit, relinquite eius domum vel urbem, excusso pulvere pedum vestrorum.* Ὃς ἐὰν μὴ dictum est pro: ἐάν τις μὴ: ut ap. *Arrian* in Hist. Ind. XV, 11. Cf. *Raphel.* in Notis Polybian. Δέχεσθαι, h. l. est *excipere hospitio.* Τὸς λόγος esse *doctrinas* Apostolorum, facile patet. *Excutite pulverem,* i. e confirmate talibus hominibus, vos nihil amplius commercii cum ipsis habituros. Dicite: Veneramus huc non nostri commodi, sed salutis vestrae caussa: nunc, quando monitis nostris auscultare non vultis, res vestras vobis habete. Idem erit sensus, si dicamus, Christum respexisse ad sententiam Iudaeorum, qui statuebant, omnem gentium terrae pulverem polluere contactu et gestatu Loca habet *Wetstenius.* Si quis vos non audit, sit vobis ut Ethnicus, (infra c XVIII, 17) cuius contactus polluit: missum eum facite eumque fugite.

15. γῇ σοδ.) *urbi*, i. e. incolis urbis Sodomorum. cf. II, 6. ἐν ἡμέρᾳ κρίσεως) *die universalis iudicii.* Peccata non praecise tantum ex suapte natura, verum etiam ex aliis circumstantiis rerum et personarum aestimanda sunt.

16. ἐγὼ ἀποστέλλω — λύκων) *Ego vos emitto, ut si quis emiserit oves inter lupos.* Praesens ἀποστέλλω futurum tempus simul includit. Quae enim sequuntur, non tam ad hanc legationem pertinent, quam ad eas, quas Christus postea apostolis erat mandaturus. ἐν μέσῳ λύκων, pro: εἰς μέσον. Christus dicit, versaturos eos tanquam oves inter medios lupos, i. e. *in summo discrimine vitae.* Proverbii figura Ut veterum quidam imposuit filio suo nomen ὀλόλυκος, quod diceret, eum se esse relicturum in maximis periculis, tanquam ovem inter lupos. Vos, humanos, ingenioque mites, et plane inermes, periculis hominum scelestissimorum et impiorum, caedem et sanguinem prophetarum et doctorum sitientium, obiicere non dubito. Matth. V, 11. 12. XXIII, 31. 34. γίνεσθε οὖν — ὡς περιστερά) *Estote ergo prudentes more serpentum, et malitiae expertes, ut columbae.* Serpens h. l. *prudentiae* est symbolum; nam φρόνιμος, hebr. עָרוּם (Gen. III, 1. ubi LXX. habent φρονιμώτατος,) est vocabulum μέσον, significans et prudentem et subdolum, h. l. eum, qui animum attentum habet ad cavendum. Serpens pedes hominum, ne ab iis obteratur, diligentissime observat. Patres ecclesiae haud pauci inter alia huc referunt, quod serpentes in praesentissimo vitae periculo totum corpus ictibus lubentes obiiciant, ut caput occultent atque integrum servent. Plura collegit Andr. Schottus *in Adagialibus sacris N. T.* Quum igitur Christus discipulis suadet serpentum prudentiam, hoc vult, ut sint cauti

in

in periculis sibi imminentibus, et fuga aut latebris sibi consulant. *Columba* est avis adeo placida et mansueta, ut multi eam felle carere putarint. Vid. *Suiceri* thesaur. sub voce περιστερά, et *Schottum* l. c. Vult igitur Christus, ut discipuli sint ἀκέραιοι, more columbarum, i. e. *ut neminem laedant, nemini noceant.* Vocem ἀκέραιος *Eustathius* ad Iliad. χ a κεραίζω derivat. Ita enim is: ὅθεν ἀκέραιος λέγεται, ὡς μηδένα κεραίζων, ὅ ἐστι βλάπτων. Est igitur ἀκέραιος, *qui alium non laedit, innocens, malitiae expers.* Bene monet CICERO Lib. II. *de officiis*, multos esse, qui versutos homines et callidos admirantes, malitiam sapientiam iudicent. Ideo Christus prudentiae comitem adiungit innocentiam. Ἀπλέκατοι, in cod. Cantabrig. obvium, interpretamentum est vocis ἀκέραιοι, quod e margine irrepsit. Vid. Griesbach. ad h. l.

17. προσέχετε δὲ ἀπὸ τῶν ἀνθρώπων) *Cavete, inquam, vobis ab hominibus* (huiusmodi,) qui sunt lupis similes, v. 16. Magna cautione utimini in consuetudine hominum, ne sine caussa et necessitate periculis vos exponatis. παραδώσουσι — μαστιγώσουσιν ὑμᾶς) *Rapient enim vos ad synedria*, (in ius,) *et in synagogis suis flagellabunt.* Negant nonnulli in Synagogis fuisse sumtas poenas civiles, propterea que συναγωγὴ hic de conventu civili et iuridico, vel Synedrio accipiendam censuerunt. Sed συναγωγαὶ h. l. a συνεδρίῳ diserte distinguuntur; nec praeterea desunt Scripturae loca, in quibus flagellandi poena in Synagogis inflicta narratur, v. c. Act. XXII, 19. Denique ex monumentis Iudaicis probavit *Seldenus* (de Synedr. I, 7.) idem inter Iudaeos receptum fuisse. Cf. etiam *Wetstenium* ad h. l.

28. καὶ ἐπὶ — τοῖς ἔθνεσιν) *Sed Praesidibus etiam et Regibus sistemini mei caussa, ut et ad illos exte-*

ras-

rasque gentes doctrina salutaris perveniat. Ἐπὶ ἡγεμόνας ad Praesides provinciarum, Proconsules, Procuratores. βασιλεῖς strictiori significatu. Constitit huic oraculo sua fides, quum Petrum apud Neronem, Ioannes apud Domitianum, alii apud Parthorum, Scytharum, Indorum reges caussam dixere. εἰς μαρτύριον αὐτοῖς καὶ τοῖς ἔθνεσιν, *ut doctrinam salutarem* (hac occasione) *iis et gentibus exteris annuncietis*, s. fiet, ut vos ad Praesides Regesque perducti, doctrinae meae iis tradendae latiusque propagandae occasionem nanciscamini. Μαρτύριον, ut hebr. עֵדוּת, non tantum *testimonium*, sed saepe etiam *legem, doctrinam* significat. Ps. CXIX, 14. 24. 36. 1 Cor. I, 6. et aliis locis. Alii aliud commode ita explicant: Erit hoc pro testimonio, illos (Iudaeos incredulos) et gentiles esse inexcusabiles, quod Evangelium nihili fecerint, tantamque salutem neglexerint. Vide supra c. VIII, 4.

19. Ὅταν δὲ — λαλήσητε) *Quodsi ipsis traditi fueritis, ne solliciti sitis; quomodo et quid loquamini, quid* dicturi sitis ad vestram defensionem; *quomodo* acturi sitis vestram caussam. Hoc non ita intelligendum est, ac si discipuli plane non debeant meditari defensionem coram magistratibus, sed hoc tantum dicitur, magna sollicitudine animi in defendendo non fore opus. Nam vox μεριμνᾶν non *qualemcunque meditationem*, sed *animi anxietatem* significat, et *laboriosam praeparationem*, qualis esse oratorum solet. Πῶς ἢ τί, *quibus verbis*, vel *quid*. Τὸ πῶς alii ad verba, quibus in defendendo sit utendum, alii ad parrhesiam, prudentiam, circumspectionem in dicendo referunt, sensu non multum diverso. Quicquid sit, hoc apparet, Christum contra timiditatem suos discipulos confirmare velle. δοθήσεται — τί λα-

λαλήσητε) *Suggeretur enim vobis illo tempore, quid dicendum sit.* Δίδωμι, et παραδίδωμι, ut hebr נתן saepe significat *suggero, doceo.* Prov. IX, 9. 1 Cor. XI, 23. Io. XVII, 7. 8. Cf. Luc. XII, 12. Etiamsi quid vobis antea desit, eo ipso tempore ope coelesti supplebitur, spiritu divino suppeditante et animo sapientiam et ori eloquium, simplici gravitate ipsam nudae veritatis naturam referens.

20. οὐ γὰρ — ἐν ὑμῖν) Negatio non absolute, sed comparate interpretanda. *Non tam vos eritis, qui loquemini, quam per vos Spiritus S.* Ἐν hebr. ב *per.* Sic 2 Sam. XXIII, 2. πνεῦμα κυρίου ἐλάλησεν ἐν ἐμοί, *per me.* Deus ipse vobis sapientiam et animi fortitudinem inspirabit, linguam et mentem vestram gubernabit. Act. VI, 10.

21. παραδώσει — ἀνοὺς) *Imo frater fratrem morti tradet,* (ad mortem tradet,) *et pater filium; et assurgent liberi adversus parentes, eosque morte mulctandos curabunt.* Sensus est: Parentes et liberos, fratres et consanguineos in contrarias abituros esse sententias, in una eademque familia nonnullis assentientibus doctrinae Christi, aliis eam reiicientibus. Ἐπαναστήσονται, *assurgent,* sc. testes in iudicio forensi. Haec signa temporum Messiae afferunt etiam Talmudici. cf. *Wetstenium* ad h. l. Θανατώσουσιν αὐτούς, *morte mulctandos eos curabunt;* videtur enim hic accipi in coniugatione Hiphil, quod declarat praecedens illud εἰς θάνατον. Notandum est, praedicere Christum discipulis, quae ipsis eventura essent post resurrectionem, et in coelos ascensionem.

20. καὶ ἔσεσθε — ὄνομά μου) *Eritis igitur* (in tanta hominum perversitate) *exosi omnibus ob doctrinae meae professionem.* Ὑπὸ πάντων, i. e. a plerisque hominibus; ita enim haud raro sumi solent particulae uni-

ver-

versales, cf. XII, 15. *διὰ τὸ ὄνομά μου*, mei caussa. Moris erat discipulos vocari ex magistrorum nomine. Sensus igitur est: *Eam ob caussam, quod vos discipulos meos profiteamini.* Cf. 1 Petr. IV, 15. 16. Act. V, 41. *ὁ δὲ ὑπομείνας εἰς τέλος, οὗτος σωθήσεται*) *Qui vero animo constanti atque obfirmato perduraverit*, nempe in profitenda et propaganda religione mea, nihil deterritus malorum hominum minis et vexationibus, *iste servabitur.* Saluti hoc ei erit. Ὑπομένειν, hebr. קָוָה est *patienter expectare, sperare,* ut afflictionibus non succumbas, Thren. III, 21. 25. 26. h. l. autem *non descisce-re, sed constantem esse in religione.* Iac. I, 12. Luc. VIII, 15. coll. v. 13. Εἰς τέλος i. e. *constanti animo.* Σωθήσεται, *erit hoc ei saluti.*

23. ὅταν δὲ διώκωσιν ὑμᾶς ἐν τῇ πόλει ταύτῃ) Grotius τὸ διώκωσιν, stricte sumendum putat: pro ἐκβάλλειν, quia sequitur φέυγειν. Sed non opus est. Nam διώκειν est *accusare, litem intendere, vexare.* Vid. supra c. V, 11. Sensus est: *Si vos vexabunt in hac urbe, properate in aliam.* Potius hic de perseverantia, quam de vitanda persecutione disserit Christus, sicut φέυγειν Graecis, et *fugere* Latinis interdum de sola cursus celeritate dicitur. φέυγετε εἰς τὴν ἄλλην) pro ἄλλην legunt Codd. nonnulli ἑτέραν et addunt: κἂν ἐκ ταύτης διώκωσιν ὑμᾶς, φέυγετε εἰς τὴν ἄλλην. Consentiunt fere quaedam Verss. et Patres non pauci. Facili librariorum saltu a priore φέυγετε εἰς τὴν ad posterius φέυγετε εἰς τὴν omitti potuerunt. Hiatum autem admissum fuisse, librarii vix animadvertebant, quia sensus integer restabat omissis istis verbis, quae paene superflua videri poterant. Hac ipsa de caussa pro interpretamento haberi nequeunt verba controversa.

Vid.

Vid. GRIESBACHIUS ad h. l. ἃ μὴ τελέσητε — ἀνθρώπου) *Vix confectum erit a vobis iter per urbes Israeliticas, quum ego ipse adero.* Τελεῖν τὰς πόλεις concisum est loquendi genus, et ita supplendum; τελεῖν ὁδὸν διὰ τὰς πόλεις; *non conficietis iter per urbes*, s. *non peragrabitis urbes. Elsnerus* observat, *Ciceronem* eodem sensu dixisse *obire urbem*, (Lib. de Finibus c. 19.) et *Thucydidem*, idem *Aristidem* τελεῖν de itinere absoluto dixisse. Ἕως ἄν videtur accipi pro: πρὶν ἤ. Intelligitur autem adventus Christi ad evertendam Rempublicam, vel etiam patefactio Messiae per missionem illam copiosissimae gratiae Spiritus S. in Apostolos et alios credentes, quo certissimo indicio constitit, Christum regem esse constitutum a patre cum plenissima potestate.

24. οὐκ ἔστι μαθητὴς ὑπὲρ τὸν διδάσκαλον) *Discipulus non est potior magistro;* non tractatur mitius. Discipulus, *dum est discipulus*, magistrum sibi semper proponit, et bene secum agi putat, si eodem cibo, quo magister, pascatur: neque sperat, se domo, qua magister exclusus est, receptum iri. Hoc non repugnat isti adagio graeco: πολλοὶ μαθηταὶ κρείσσονες διδασκάλων, quod agit de iis, *qui discipuli fuere*, et nunc magistros doctrina superant. Multa sunt proverbia, quae inter se pugnare videntur, quia de alia atque alia re agunt.

25. Ἀρκετὸν — ὁ κύριος αὐτῆς) *Sufficit discipulo, si eandem sortem habuerit, quam magister, et famulo, si eandem, quam dominus.* Ἀρκετὸν, sc. ἔστι, vel ἔσῃ, *sufficiat*, i. e. *sufficere debet.* ἵνα γένηται *ut idem fiat*, i. e. *eveniat.* Sic 2 Sam. XVIII, 32. יְהִי כְנַעַר אֹיְבִי אֲדֹנִי. Act. XII, 18. τί ὁ Πέτρος ἐγένετο. Proverbium Hebr. דין לעבד להיות כרבו Vid. *Vorstius* de Adagiis N. T. cap. IX.

εἰ

εἰ τὸν — οἰκιακὰς αὐτῆ) *Quum Patremfamilias Beelzebul adpellarint, quanto magis eius domesticos!* (sc. eadem ignominia afficient.) Iudaei principem malorum daemonum appellare solebant Beelzebul, ut discimus ex Luc. XI, 15. Cur autem sic appellaverint, non satis certo constat. Βεελζεβέλ (non βεελζεβεβ) est vera lectio; eam enim omnes Graeci Codices N. T. et Versio Italica, Gothica et Coptica exhibent Hieronymus, quum nesciret quid sit Βεελζεβέλ, mutavit hoc vocabulum in Βεελζεβεβ, *Beelzebub*, quod nomen legitur 2 Reg. I. (a בַּעַל, dominus, et זְבוּב, musca, quae vox Deum muscarum significat, qui nimirum sacrificiis placatus, muscas Accaronitarum regionem infestantes abegerit. Sed per historiam non potest ostendi, Iudaeos id nominis Diabolo tribuisse. Fuit quidem Hebraeis in more positum, ut rerum, quas despicatui habebant, ipsum etiam nomen levi mutatione in aliud, quod rem foedam et contemtibilem significabat, inflecterent. Sed in hoc non apparet, qui sit contemtus, quum potius nomen laudem habere videatur, si verum fuisset, Deum Accaronitarum muscas, regionem infestantes, potuisse abigere. Quod autem ad vocem Βεελζεβέλ attinet, plerique eam interpretantur *dominum luti*, vel *sordium*, eamque compositam esse putant ex בַּעַל, *dominus* et זֶבֶל, quod Syris et Arabibus *stercus* significet. Quum autem Iudaei vocabulum זְבוּל, quod sordes indicat, de idololatria usurparint, Beelzebul esse dominum idololatriae, auctorem et adiutorem idololatriae, Satanam. *Gussetus* in Lexic. vocabulum compositum putat ex בַּעַל *dominus* et זְבוּל *habitatio*, *domicilium*, ut significet *dominum domicilii*. Hanc etymologiam, addit, accommodatum esse locis Evangeliorum, ubi de domiciliis daemonia-

nis

niorum distribuendis, ut vel ibi maneant, vel alio migrent, agi soleat. *Michaelis* principes daemoniorum dictos esse putat *dominos domus* a domibus coelestibus. Astrologi nempe coelum dividebant in XII. domos, et cuique domui unum ex planetis praeficiebant, qui *Dominus Domus* vocabulo artis astrologicae vocatur. Quum autem hi planetae ab ethnicis, astrologiam intime cum cultu vanorum numinum coniungentibus, *dii*, a Iudaeis dii gentium *mali daemones* haberentur, factum inde videtur, ut princeps daemonum, forte non unus omnium, sed tamen primarius alicuius ordinis, et reliquis praevalens *dominus domus coelestis* vocaretur. STORRIUS (de sensu historico p. 138.) illud Βεελζεβὰλ habendum esse putat pro chaldaico et syriaco בעל רבבא quod *hostem*, Σατανᾶν, διάβολον, significat. Sic Iudaei Iesum compellabant, quia hostem religionis patriae eum esse putabant: Io. VII, 12. 47. VIII, 48. IX, 18. ἐκάλεσαν) ἐπεκάλεσαν habent Codd. permulti, et Patres nonnulli, *cognominarunt*.

26. οὐδὲν γὰρ ἔστι κεκαλυμμένον ὃ οὐκ ἀποκαλυφθήσεται) Est proverbium, Profanis etiam usitatum, teste *Tertulliano*, in Apologetico, c. VII. *Bene autem*, inquit, *quod omnia tempus revelat, testibus etiam vestris proverbiis et sententiis.* HORATIUS Lib. I. Epist. VI. v. 24. *Quicquid sub terra est, in apricum proferet aetas.* Cf. *Schotti* Adagialia N. T. Erigit Christus suos discipulos, admonens fore ut tandem vincat veritas, et tum ipsorum innocentia, tum adversariorum improbitas appareat. Uti nempe in vita communi nihil est tam absconditum, quod non aliquando in notitiam hominum perveniat, sic et error et veritas, improbitas et probitas suo tempore palam fient. Ceterum κεκαλυμμένον denotat remotum a visu; κρυπτὸν, remotum ab auditu.

27.

27. Ὃ λέγω — δωμάτων) *Quae ego vos privatim doceo, ea publice docete; quaeque familiariter vobis edissero, ea in vulgus emittite.* Omnes has phrases esse proverbiales, facile patet. Δῶμα est *tectum.* Nam LXX. Hebraeorum בַּיִת per δῶμα exprimunt, Proverb. XXV, 24 et ab οἶκος s. *domo* distinguunt. Haec autem δώματα seu *tecta* apud Hebraeos non fuerunt, ut hodie in culmen fastigiata, sed plana, ut quicquid rerum gereretur, audire et conspici a transeuntibus posset, ut apparet Deut. XXII. 8. 2 Sam. XI, 2. XVI, 22. Praedicare itaque super tecta, est publice vel palam concionari. Hoc igitur dicit Christus discipulis: Non ea tantum, quae ego nunc ad populum loquor, sed et quae vobis solis familiariter edissero, et postea per Spiritum clarius explicabo, (ut de promiscua gentium vocatione et exspiratione Iudaicorum rituum) palam omnibus enunciate.

28. μὴ φοβηθῆτε κ. τ. λ.) pro φοβηθῆτε habent φοβεῖσθε Codd. permulti, Euf. Cyr. Theodoret. et pro ἀποκτεινόντων Codd. non pauci et Patres nonnulli ἀποκτενόντων legunt. *Non tam eos timete, qui corpus vestrum, non autem animam possunt interimere, quam potius eum formidate, qui animam cum corpore potest punire.* Μὴ *non tam*, quia μᾶλλον sequitur. ἀποκτεινόντων, *qui interimere possunt.* Cf. cap. V, 13. Fuit haec sententia haud dubie celebris inter Iudaeos ab Esdrae temporibus. *Sapient.* XVI, 13. 14. 15. Cf. *Wetst.* ψυχὴν ἀπολέσαι) alias est *occidere, vitam eripere* infra v. 39. c. XVI, 25. hic vero mors corporis a supplicio animae in gehenna aperte distinguitur. Est igitur ψυχὴ h. l. πνεῦμα, animus, mens, quae intra nos cogitat, vult, et libere agit, et ἀπολέσαι est *punire, miserum red-*

reddere. Cf. Luc. XII, 4. 5. Homines nonnisi corpus interficere possunt; Deus autem totum hominem, corpus et animum in altera vita punire potest.

29. ἀσσαρίῳ) *Assarium* est diminutivum a latino as, assis, quod Iudaei assumserunt, et scribunt אִיסָר. Notandum autem בְּאִיסָר, vel כְּבְאִיסָר idem ipsis notare rem vilissimam, vel quae pretium nullum habeat. Sensus igitur est: *Duo passerculi pro minimo pretio venduntur.* πεσεῖται ἐπὶ τὴν γῆν) i. e. χάμαζε. *Non perit. Cadere humi* Hebraeorum more dicitur, נָפַל אַרְצָה 1 Sam. XIV, 45. 1 Reg. I, 52. Atque quod Luc. XXII, 18. dicitur ἀπόληται id Act. XXVII, 34. πεσεῖται redditur. GRIESBACHIO tamen ἐπὶ τὴν γῆν valde suspectum esse videtur: nam omittunt testes pauci quidem, sed perantiqui, et propter consensum Novatiani cum Origene ac codice Stephani notabiles. Librarii fortassis addiderunt, quia πίπτειν, absque adiuncto positum eis minus usitatum videretur ac duriusculum, intellectuque difficile. Verum sic saepe pro *mori* aut *perire* usurpatur, tam in N. T. ut 1 Cor. X, 8. Apoc. XVII, 10. quam apud Alexandrinos, ut 1 Chron. XXI, 14. Ps. LXXXI, 7. Ier. VIII, 12. Ezech. XXVII, 27. 34. quibus locis in hebraico textu est נָפַל. ἄνευ τοῦ πατρὸς) i. e. nesciente, aut non permittente Deo.

30. ὑμῶν δὲ — ἠριθμημέναι εἰσὶ) *Vestros autem pilos adeo Deus in numero habet.* Est dictum proverbiale: numerare enim solemus ea, quae habemus in pretio, sicut ea quae contemnimus dicimus nullo loco numerare vel extra numerum habere. Deinde pilus significat rem minimam, etiam Graecis et Latinis. Hinc hebraea locutio: ne pilus quidem eius peribit, i. e. ne minimum quidem damnum sentiet, 1 Sam. XIV, 44. Sensus itaque est:

est: Utcunque in vos saeviant homines, certi estote nihil damni vobis eventurum, nisi quod futurum sit in vestram aliorumque utilitatem.

31. διαφέρετε) *Pluris estis.* c. VI, 26. Paullo ante dixerat Christus, duas aviculas unius assis aestimari. Quum igitur passerculorum curam agat Deus, multo magis hominum sibi carorum res curabit, iisque prospiciet.

32. ὁμολογήσει ἐν ἐμοὶ) Videtur haec constructio imitari usum Syriacum, quo omnia verba confitendi cum ב construuntur. Ἐν ἐμοὶ idem est h. l. ac ἐμὲ. Est igitur pro ὁμολογεῖν τινὰ, quod plus est quam *agnoscere*, nempe verbis et factis ostendere, se esse partium alicuius. Sensus: Qui *libere*, ore et factis, *profitebitur apud homines*, (mihi adversantes,) *doctrinam meam.* ὁμολογήσω — ἀρνοῦς) i. e. *eum praemiis afficiam die illo iudicii*, in vita illa aeterna. Ὁμολογεῖν nunc dicitur tropice, et spectatur factum adiunctum. Messias nempe (figura, qua ponitur antecedens pro consequente) profiteri suum sectatorem dicitur, quum ei amorem suum declarat, praemiis eum afficit. Ἔμπροσθεν τ. π. μ. est periphrasis futuri iudicii. Nam לִפְנֵי יְהוָה idem est ac in sanctuario, Num. VIII, 9. 10. Luc. I, 8. hic autem in sanctuario supremo, sede Dei, Matth. XVIII, 10. Ies. VI, 1 — 4. pro quo Lucas (cap. XII, 8.) habst: ἔμπροσθεν τῶν ἀγίων ἀγγέλων τοῦ θεοῦ, in senatu summi Dei, in foro divino, eodem sensu; nam tempus illud, quo homines coram Deo et angelis praemia accipient et poenas dabunt, est tempus futuri iudicii.

33. ὅστις ἂν ἀρνήσηταί με) In loquendi formula ἀρνεῖσθαι τινὰ est Ellipsis omissumque μὴ εἰδέναι, quod interdum etiam additum invenitur. *Abnegare* itaque est, dicere:

cere: se nihil cum aliquo commercii habere, eum non nosse. ἀρνήσομαι αὐτὸν κἀγὼ) *nec ego eum agnoscam pro meo;* sc. nisi subsecuta sit poenitentia, ut Petro evenit, non affic am eum praemiis. Vid. v. 32.

34. Μὴ νομίσητε — μάχαιραν) *Nolite putare, me auctorem fore consensionis* et amic tiae *Iudaeis. Non concordiam, sed discordias* et inimicitias *pariet* inter eos *doctrina mea.* Μάχαιρα h. l. ita opponitur εἰρήνῃ, ut hoc vocabulum *consensionem* et *concordiam* illud *dissensionem* et *discordias* significet. Simili modo Hebraei nomina חֶרֶב et שָׁלוֹם ita opponunt, ut illud *bellum* et *caedem*, hoc *pacem* et *concordiam* significet. Ier. XIV, 13. Βάλλειν exprimit hebraicum verbum שׁלח, quod saepe est *iubere ut aliquid fiat, auctorem esse alicuius rei*, ut Amos VIII, 11. Ezech. XIV, 13. 21. V, 16. s. Vocabulum ἡ γῆ ad solam Palaestinam, non omnino ad omnes orbis terrarum regiones, quas doctrina Christiana peragratura erat, pertinet.

35. Ἦλθον γὰρ — πενθερᾶς αὐτῆς) *Faciam enim, ut filius patri, filia matri, nurus socrui adversetur.* Διχάζειν proprie significat *bipertiri, diffindere, dividere in duas partes.* Matthaeus autem hoc verbum ad animum refert, ut sit *auctorem esse dissensionis et discordiae* cuius notionis origo ducenda esse videtur ab usu verbi Hebraei פָּלַג, quod fortassis illa aetate sensu, quo diximus, usurpatum fuit. Deinde et verbum פְּלִיג in libris scriptorum Talmudicorum, et nomen פְּלוּגָא in paraphrasibus Chaldaicis V. T. legitur de dissensionibus et discordiis. Vid. Buxtorf. Lex. h. v. et cf. *Fischeri* Proluss. p. 334. s. not. 55. Ἄνθρωπος hic recte vertitur *filius;*

nam opponitur Patri, et *νύμφη* est *nurus*, quia socrui opponitur.

36. *καὶ ἐχθροὶ — οἰκιακοὶ αὐτῷ)* *Et* (ut) *domestici se invicem infestent.* Alluditur v. 35. 36. ad locum Michae c. VII, 6. Ostendit Iesus, ventura tempora non minus periculosa, quam ea fuerunt, quae deplanxerat *Micheas;* ideo verba eius repetit, et dicit *se venisse, ut sereret discordias* Praedicit igitur, fore, ut, dum alter doctrinae salutaris fautor, alter inimicus sit, multa inde dissidia inter necessarios, gravesque suis asseclis calamitates instent. Hoc ita evenisse, satis constat. Nam historia teste scimus, propter doctrinam Christi multa orta esse dissidia in Palaestina et in Romano imperio, ita ut alter alterum accusaret, domo eiiceret, omnibus modis vexaret, nec alter alteri fidem haberet. Recte monent interpretes, non indicari hic consilium et voluntatem Christi, quasi ipse voluisset haec evenire, sed effectum et eventum. Praevidit Iesus, fore, ut propter doctrinam suam multae orirentur dissensiones et discordiae; sed noluit propter haec dissidia desistere a proposito introducendi et per Apostolos suos propagandi novam hanc suam religionem humano generi utilissimam. Non obstat, quod summa religionis christianae est, *amare alios* Referuntur enim haec ad seditiones et calamitates *tunc* ortas in Palaestina et orbe Romano occasione doctrinae Iesu, quam Iudaei et Pagani opprimere conabantur. Non est sermo de effectu religionis christianae in omnibus omnino locis, temporibus et seculis.

37. *ὑπὲρ ἐμὲ)* i. e. *prae me.* Vulg. plus quam me; *πλέον ἐμοῦ. οὐκ ἔστι μου ἄξιος)* non est idoneus, vel conveniens mihi, i. e. meae disciplinae, ut Lucas interpretatur c. XIV, 29. *non est dignus, ut sit discipulus meus.*

38.

38. καὶ ὃς — ἄξιος) *Qui non paratus est, sicut me habet praeeuntem, ad atrocissima et ignominiosissima quaevis toleranda, is non est dignus qui pro meo discipulo habeatur* Respicitur ad morem, quo ad supplicium crucis condemnati, lignum crucis portare debebant ad suppl cii locum. Crux, longe m serrimum et crudel ssimum supplicium, quo apud ipsos Romanos servi tantum nequissimi, al ique homines insigniter scelerati et viles affecti perhibentur, imago est, non cuiusvis aerumnae et moleestiae, sed necis tantum, et supplicii omnis generis, inprimisque insigniter diri. Iam, quum ii, qui crucem humeris impositam portant, hac re declarent, se paratos esse subire saevissimum supplicium: accidit, ut formulae λαμβάνειν τὸν σταυρὸν ἑαυτοῦ, βαστάζειν τὸν σταυρὸν ἑαυτοῦ etc. de iis omnibus usurparentur, qui, quamvis insontes et innocentes, tamen parati essent ad perferendum dirissimum supplicium. Ἀκολουθεῖ ὀπίσω μου, est Hebraismus; nam Hebraei verbis sequendi subiungunt pleonastice particulum אחרי, ut Iud. III, 28. IV, 16. et alibi. Sectatur autem Christum, qui doctrinam eius profitetur, et vitam suam, quatenus fieri potest, ad dicta ipsius ac facta componit.

39. ὁ εὑρὼν — εὑρήσει αὐτήν) Sensus est: *Qui conservare studet vitam suam, is se reddet miserum; qui vero mortem oppetit mea caussa, is felicitati suae prospiciet.* Εὑρίσκειν τὴν ψυχήν (apud Lucam c. IX, 24. τὴν ψυχὴν αὐτοῦ σῶσαι) in priori membro est *conservare vitam suam.* Nam ψυχὴ h. l. non est *animus*, sed *vita* proprio sensu. Εὑρίσκειν pro hebr. שמר, *conservare*, habent LXX. Prov. II, 20. *Vitam suam servare velle*, est, nolle religionis caussa mortem oppetere; malle vivere in his terris, quam in vincula

coniici religionis caussa, adeoque mortem subire. Illis enim temporibus saepe mortis pericula adeunda erant religionis christianae professoribus. In praedicato: ἀπολέσει αὐτήν, (sc. ψυχήν,) ψυχή est *felicitas;* amittet suam felicitatem; miserum se reddet. Plane contrario sensu sumuntur phrases in altero membro: καὶ ὁ ἀπολέσας – εὑρήσει αὐτήν. Horum enim verborum sensus est: *Qui vero mortem oppetit mea caussa* propter nominis mei professionem, is felicitati suae prospiciet. Sunt igitur haec acute dicta, qualia multa sunt in sermonibus Christi.

40. ὁ δεχόμενος ὑμᾶς, ἐμὲ δέχεται) *Qui vos benigne excipit*, (de vobis bene meretur,) *is eodem loco habebitur, ac si de me ipso bene meritus esset.* Solatur iterum discipulos Christus, ostendens, inter tot infesta non defore ipsis solatia a piis hominibus, quos Deus in id ipsum excitet, magna proposita mercede. Contra, iniuria legato facta, ipsi principi facta esse iudicatur.

41. Ὁ δεχόμενος – δικαίου λήψεται) *Qui recipit* (amplectitur, amat) *Prophetam, qua Prophetam,* (quia Propheta est,) *is mercedem prophetae accipiet; et qui recipit pium* et probum, *quia probus est, is mercedem probi accipiet.* Εἰς ὄνομα est hic pro ᾗ, *qua, quatenus, quia*, imitatione Hebraeorum, qui in talibus exprimendis utuntur voce לְשֵׁם. Dicunt etiam עַל־שֵׁם: item מִשֵּׁם et מִשּׁוּם. Vid. Buxtorf. Lexic. Talmud. voce שֵׁם. Προφήτης autem h. l. esse videtur quivis doctor a Deo missus, legatus divinus, quales erant Apostoli. *Mercedem legati divini, mercedem probi accipiet*, i. e. Deo aeque carus erit, ut legatus, ut pius; sive: largam habebit eius beneficii mercedem.

42.

42. Καὶ ὃς ἐὰν — τὸν μισθὸν αὐτοῦ) *Et quicunque vel uni horum, quamvis sint infimae conditionis, vel poculum frigidae obtulerit, quia est discipulus meus, is, credite mihi, suo praemio non destituetur.* Adiectiva μικρὸς et μέγας, imitatione Hebraeorum vocabulorum קָטֹן et גָּדוֹל non semper ad staturam et quantitatem hominum, sed saepe aliam eorundem conditionem pertinent. Significant quippe haud raro *plebeios* et *illustres*. Quapropter versio graeca, quam *Iac. Usserius* ex bibliotheca Arundelliana in lucem produxit, verba Esth. I, 20. לְמִגָּדוֹל יִעֲרָ קָטָן interpretatur: ἀπὸ πλουσίου ἕως πτωχοῦ, i. e. *divites et pauperes, illustres et plebeios.* Ποτήριον ψυχροῦ est proverbiale loquendi genus, quo hodieque in multis linguis utimur, quoties minimum al quod beneficium significatum volumus. His commatibus (40. 41. 42.) una eademque sententia continetur, variis verbis expressa. Nam δέχεσθαι, quod proprie est hospitio excipere, h. l. significat *ornare beneficiis, benefacere. Discipuli Christi, Prophetae, iusti,* οἱ μικροὶ spectantur qua homines, qui nullos habent titulos, aut externam dignitatem, sed sine spe lucri et commodorum huius vitae de aliis bene merentur. Qui tales beneficiis ornat, is ostendit, se nihil facere ob externas dignitates, non contemnere eos, qui iis carent, adeoque superare sapientia et pietate alios, qui ex titulis et externa dignitate alios aestimant. Is igitur, quia re et factis ostendit, se esse sapientem et probum, magna praemia a Deo accipiet.

CAP.

CAP. XI.

Refert nunc Matthaeus, quomodo excepta sint dicta et facta Iesu a varii generis hominibus, vel quid effectum sit eius sermonibus et miraculis, c. XI, 2.—XVI, 12.

1. Ὅτε ἐτέλεσεν ὁ Ἰησοῦς διατάσσων) *Cum finem fecisset Iesus praecipiendi.* Διατάσσειν denotat *edicere*, unde διατάξεις et διατάγματα dicuntur principum edicta. Sed h. l. nihil aliud declarat, quam praeceptis aliquem formare et instituere. ἐν ταῖς πόλεσιν αὐτῶν) in urbibus *eorum*, i. e. Galilaeorum. Solent Hebraei pronomen relativum ponere, ubi nullum nomen antecessit, quod tamen facile intelligitur Vid. *Storrii* observationes ad analogiam et Syntaxin Hebraeor. p. 399.

2. ὁ δὲ Ἰωάννης — αὐτοῦ) Caussa captivitatis memoratur infra c. XIV, 3. 4. Detinebatur autem Ioannes captivus *Machaerunte;* de qua agit *Iosephus* Antiquitt. Iudaic. L. XVIII, c. 7.

3. εἶπεν αὐτῷ) *interrogari eum iussit.* σὺ εἶ — προσδοκῶμεν;) *An tu es Messias ille promissus, an vero alius nobis est expectandus?* Ante σὺ εἶ omissa est particula interrogandi μήτι, ut saepe apud LXX. e. c. Gen. XXVII, 21. 24. ὁ ἐρχόμενος, הַבָּא Messias, cuius adventus, per Prophetas praedictus tunc instare credebatur, Ioh. VI, 14. Non diserte traditur, cur Ioannes discipulos ad Iesum miserit; ergo opus est coniecturis. Sui caussa Ioannes non quaesivit, an Iesus esset Messias; hoc enim scivit, et publice professus est, Io. I, 29. sqq. Videtur autem miratus esse, Iesum nondum inchoasse regnum suum,

suum, sed quasi tergiversari. Saltim non liquet, num aliunde quam cum reliqua gente Iudaica, ex V. T. oraculis edoctus fuerit, qualis Messias futurus, quae fata expecturus, inprimisque, quo tempore, et quo modo imperium suum inauguraturus sit. Vid. *Charles William Ba* dissertation on the message from St. John de Baptist to our Saviour etc. London 1789, et cf. *Eichhorns* Allgem. Biblioth. der bibl. Literat. Tom. III. partic. 5. p. 913. sq. Fortasse inter discipulos eius fuerunt, qui addubitarent adhuc, quos certiores reddere voluit; quod verisimile fit ex verbis, quae v. 6. leguntur. Ceterum cf. Luc. VII, 20. 21.

4. ἀπαγγείλατε — καὶ βλέπετε) Noluit Christus expressis verbis declarare, se esse Messiam, propter varias populi expectationes. Quare discipulos Ioannis opera sua considerare iubet. Ubi res ipsa loquitur, non opus est multis verbis.

5. τυφλοὶ — ἀκούουσι) Hoc argumentum discipulis Ioannis erat evidens. Nam his verbis haud dubie respicitur ad Ies. XXXV, 5. 6. ubi dicitur: *Tunc aperientur oculi coecorum, et aures surdorum reserabuntur etc.* Insunt quidem his verbis ex mente prophetae imagines propheticae, quibus laetitia de reditu Israelitarum in patriam exprimitur; sed talia loca ad tempora Messiae applicabantur, et inter criteria Messiae referebatur, quod miracula sit perpetraturus, et laeta annunciaturus, quapropter statim h. l sequitur: πτωχοὶ εὐαγγελίζονται) Ies. LXI, 1. Panperibus, hominibus humilis atque abiectae conditionis Evangelium, res laetissima, nempe adesse regnum Messiae, annunciatur. Etiam in hoc Iesaiae loco proprie sermo est de laeto reditu Israelitarum in patriam; sed recepta erat sententia, hanc promissionem praecipue pertinere ad tempus

Mes-

Messiae. Haec igitur Christi verba discipulis Ioannis fidem facere poterant, se pro Messia agnoscendum esse. Εὐαγγελίζονται hic sumendum passive: ut solent Graeci passiva formare etiam ab activis dativum regentibus, quum εὐαγγελίζω etiam cum Acc. reperiatur.

6. καὶ μακάριος — ἐν ἐμοὶ) *Beatus vero ille, qui non fuerit alieno a me animo*, qui mihi non fuerit infensus ac infestus. Σκανδαλίζεσθαι proprie significat *impingere*, *offendere*, e. c. ad lapidem; deinde metaphorice significat *alieno ab aliquo esse animo*, *infensum ac infestum esse*. In aliis etiam linguis verba, quae proprie *impingere*, *offendere* significant, per eandem metaphoram usurpari solere, satis notum est. Quod σκανδαλίζεσθαι construitur cum ἐν, quum vulgo dicatur προσκόπτειν τινὶ, aut πρός τι, id fit more Hebraeorum, qui suum בְּשַׁל, quod itidem *impingere* significat, cum Nominibus construunt interveniente praefixo בְּ, e. c. Ies. VIII, 15. Sensus huius commatis est: Beatus ille, qui me meamque doctrinam non repudiaverit; non offensus fuerit statu meo humili ac paupere, et imminentibus mihi vexationibus. Vide infra c. XXVI, 31. Hoc dixit discipulis Ioannis, ut animi eorum persanarentur.

7. Τούτων δὲ — περὶ Ἰωάννου) *His* (discipulis Ioannis) *abeuntibus, Iesus ad circumstantem turbam de Ioanne sic disseruit;* Ioannem auditoribus ita commendavit. Ἤρξατο λέγειν, i. e. *dixit*. τί ἐξήλθετε εἰς τὴν ἔρημον θεάσασθαι;) *Quid exiistis in desertum spectaturi?* Qualem putabatis esse Ioannem, quem in deserto vidistis, quem estis admirati? Christus vult amovere a Ioanne suspicionem levitatis, quasi nunc mutatus, coeperit de Christo dubitare. Expediebat, ut populus quam optime sentiret

tiret de Ioanne, qui tam praeclare testificatus fuerat de Iesu. κάλαμον ὑπὸ ἀνέμου σαλευόμενον;) *Arundinem a vento agitatam?* Arundines in deserto Iudaeae copiosissime crescebant, atque in tribu Ephraim peculiaris erat vallis, quae vocabatur arundinetum. Ps. LXVIII, 31. Nonnulli nostra verba tropice intelligunt, sic: Putatisne Ioannem sibi tam parum constare, ut nunc propter carceris squalorem aliter de me et de suo munere sentiat quam antea? Sed non opus est. Probanda potius videtur esse *Grotii*, aliorumque interpretatio, qui vocem κάλαμος collective sumunt, ut Christus dicat: habuistis puto caussam aliquam, ob quam tanto studio in loca illa deserta cucurristis. Neque enim credibile est, vos coivisse, ut arundines vento agitatas videretis. Hoc ideo Christum dixisse, quia extra Ioannem nihil ferme aliud istis in locis erat spectare. Hanc explicationem confirmare videtur antithesis hominis opulenti, et cuius luxum et magnificentiam spectare omnes gestiant, nimirum curiositatis gratia; nam statim v. 15. sqq. levitatem et inconstantiam populi reprehendit.

8. ἀλλὰ) Eleganter usurpatur haec particula etiam commate sequenti, ut interrogationi interrogatio alia iungatur, quo sensu etiam apud *Xenoph. Demosth. Arrian.* aliosque occurrit. ἄνθρωπον — ἠμφιεσμένον;) *Hominem pretiosis vestibus indutum?* Vestis mollis mollem et effoeminatum arguit animum. Innuit igitur Christus simul, Ioannem nec voluptatibus deditum fuisse, ut qui aspera victus ratione in deserto contentus fuerit, (infr. v. 18. coll. supra c. III, 4.) nec impio Regi Herodi serviliter fuisse adulatum, sed eius incestum et reliqua flagitia reprehendisse. Luc. III, 19. Μαλακὰ ἱμάτια sunt quaelibet teneriores et pretiosiores vestes, sive sericae illae fuerint, sive laneae, sive byssinae. vid. KYPKIUS ad h. l. ἐν τοῖς

οἴκοις

οἴκοις τῶν Βασιλέων εἰσὶν) *in aulis regum vivunt*, non in locis desertis. Si igitur aliquid novi videndi audiendique gratia in desertum exivistis, stulte fecistis.

9. ἀλλὰ — προφήτην;) Si haec vera fuit caussa, cur tum ad eum confluveretis, prudenter egistis. Si vero eum habuistis pro Propheta, cur ergo eum nunc respuitis? Cur eius verbis fidem non amplius habetis? Affirmo vobis, eum omnino esse Prophetam. περισσότερον προφήτου) *amplius, plus quam Prophetam*, vel excellentiorem Propheta; nam Propheta eminus nunciat, Ioannes vero digito quasi monstravit Messiam.

10. ἰδοὺ ἀποστέλλω — ἔμπροσθέν σου) *Praemittam tibi legatum meum, qui homines ad adventum tuum* (ad te rite excipiendum) *praeparet.* Malach. III, 1. Ἄγγελόν μου, *nuncium meum.* מַלְאָכִי dicebantur non quivis Prophetae, sed qui de re magna a Deo ad populum erant legati, ut Moses Num. XX, 16. *Haggaeus* cap. I, 13. Πρὸ προσώπου est Hebraeorum לִפְנֵי, quod usurpare solent, ubi dicendum est id, quod Latini *praeire*, et *praemittere* dicunt. Difficultatem aliquam hic parit diversitas, quae in textu Hebraeo se prodit ubi extat לְפָנַי, πρὸ προσώπου μου. Nempe apud Prophetam dictio ad populum dirigitur; hic ad ipsum Messiam. Apparet hinc etiam, verba Prophetarum non citari a Christo κατὰ λέξιν: sed ita, ut voces interdum mutentur, manente sententia: quomodo et apud Graecos saepissime citantur *Homeri* versus, mutata persona aut modo verbi. Quod ad sensum attinet, Malachias promittit popularibus suis aetatem auream, usus imaginibus ab adventu regum Orientis desumtis, qui legatum, adventum eius annunciantem praemittere solebant.

Le-

Legatum illum promissum fuisse Ioannem Iesus his verbis declarat. Cf. c. III, 3.

11. *ἐκ ἐγήγερται — τῆ βαπτιστῆ)* *Maior* (i. e. praestantior) *Ioanne nullus ante ipsum PROPHETA unquam extitit.* Nam de Prophetis hic est sermo. cf. v. 9, 10. Μείζων, maioris dignitatis et nobilitatis. Οὐκ ἐγήγερται, *non exortus, s. suscitatus est.* Prophetae proprie dicuntur, ἐγείρεσθαι (Luc. VII, 16. Io. VII, 52.) ut significetur, eos peculiari quadam numinis voluntate in hunc mundum prodire, vel iam natos ex reliquorum numero seligi. Ἐν γεννητοῖς γυναικῶν, i. e. ἐν γεννητοῖς ὑπὸ γυναικῶν. Haec particulae ὑπὸ ellipsis a vulgari Graecismo discrepat, et Hebraismum sapit. Nam יְלוּדֵי אִשָּׁה, *nati mulierum* sunt homines. Sic Iob. XIV, 1. אָדָם יְלוּד אִשָּׁה LXX. *βροτὸς γεννητὸς γυναικὸς.* *Sirach* c. X, 17. habet γέννημα γυναικὸς. Ὁ δὲ μικρότερος — αὐτῆ ἐστιν) Sensus est: *Sed ignobilissimus in coetu Messiae* (doctor christianus, qui nullius est famae) *multa prae eo* (Ioanne) *habet praecipua.* Βασιλεία Θεῆ, *coetus Messiae.* Μικρὸς et μέγας h. l. eodem fere sensu quo supra, c. X, 42. sumuntur, de homine *obscuro* et *illustri.* Μικρότερος in hoc coetu Messiae, qui nullam habet famam, celebritatem nominis est nactus. Μείζων autem nunc significat eum, qui multa habet prae altero praecipua, qui pluribus commodis fruitur. Vel ignobilissimus coetu Messiae hoc habet praecipuum prae Ioanne, hoc fruitur commodo, quod est testis et spectator omnium illorum, quae a Ioanne et Prophetis praedicta sunt. (v. 13.) Ioannes ante Passionem, resurrectionem et ascensionem Christi morti traditus est, adeoque vivus ea non

non potuit scire, quae viderunt et cognoverunt Apostoli et alii, qui illa aetate fuerunt membra in coetu Messiae.

12. ἀπὸ δὲ — βιάζεται) *A tempore, quo Ioannes Baptista praedicare coepit, usque nunc doctrina de regno coelesti magna vi traditur.* Ioannes nempe multorum animos excitavit ad doctrinae coelestis studium. Iesus autem ipsam hanc salutarem doctrinam luculenter et efficaciter tradidit. Ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν h. l. est *doctrina* de regno coelorum, i. e. doctrina Christi. Βιάζεσθαι h. l. passive de re usurpatur, quae quasi vi et impetu extorquetur, in quam impetus fit. Lucas cap. XVI, 16. pro βιάζεται habet εὐαγγελίζεται. *Pollux* Lib. IV, c. 3. segm. 25. βιάσασθαι inter verba, quae rhetorum dicendi vim exprimunt, refert, et cum σφοδρύνασθαι, ἰσχῦσαι, πεῖσαι coniungit. Similiter ἀναγκάζειν apud Graecos et *cogere* apud Latinos idem est quod *persuadere et permovere rationibus.* Schleusnerus in Lexico: *doctrina christiana summa cum cupiditate accipitur ab hominibus*, seu, quod eodem redit, *homines summo desiderio flagrant, ut recipiantur in sectatorum Christi coetum.* Καὶ βιασταὶ—αὐτήν) *Et avide eam arripiunt* homines. Βιασταὶ (sine articulo,) non est Subiectum Propositionis, sed pertinet ad Praedicatum; ἁρπάζουσιν αὐτὴν βιασταί, *rapiunt eam violenti*, i. e. *vi summa et impetu summo*, vel ut *Cic.* de senect. c. 8. avide arripiunt. Nonnullis in vocabulo βιασταὶ videtur esse allusio ad publicanos et milites, qui summo conatu sibi rapere videbantur bona illa a Pharisaeis neglecta. Cf. Luc. VII, 29. 30. Publicani et milites, qui concussionibus et rapina antea vixerant, iam sibi ipsis vim faciebant, et omni animi contentione id agebant, ut prioris vitae maculas eluerent, veraque poenitentia emendarent, seriis Baptistae ad-

admonitionibus locum concedentes. Rapiunt id, quod proprie videbatur competere Sacerdotibus, Levitis, Doctoribus. Vox *βιαστὴς* occurrit apud *Philonem* de Agricult. Vid. *Loesner* *βιασταὶ* autem est pro *βιαστάμενοι*. Alias aliorum interpretationes vid. ap. KUINOELIUM, in Commentar. ad h. l.

13. *πάντες — προεφήτευσαν*) *Nam vates omnes et lex ad Ioannem usque* (de me) *vaticinati sunt.* Illi nempe rem futuram significabant, hic praesentem monstrat. *Προεφήτευσαν* cum emphasi pronunciandum esse videtur. Prophetae futura tantum vaticinati sunt, quae nunc praesentia clare et perspicue cernuntur. Prophetare et videre opponuntur infra c. XIII, 16. 17. Omnes Prophetae obscure et aenigmatice vaticinati sunt de iis, quae Ioannes ex parte vidit, vos autem plane perspicitis. 1 Petr. I, 10. II, 12.

14. *εἰ θέλετε δέξασθαι*) sc. *εἰς τὴν καρδίαν*. Deut. XXX, 1. Si patimini, verum vobis dici, vel: si capere et intelligere datum est vobis. *Ἠλίας*) promissus Maleach. III, 23. Spiritu videlicet ac virtute Eliae similis, (Luc. I, 17.) non autem ipsa illius Eliae persona Io. I, 21. *Chissuk Emunah* c. 39. Fuit res nota in gente Iudaica, non adfuturum Messiam, nisi post adventum Eliae Prophetae. Plura vid. ap. *Wetsten.* *ὁ μέλλων ἔρχεσθαι*) *Qui venturus erat*, *ἐρχόμενος*, ut modo v. 3. de Messia dixerat. Nam haec participia ad imperfectum etiam pertinent. Ioannes omnium Prophetarum est ultimus, Messiae praecursor.

15. *ὁ ἔχων ὦτα ἀκούειν, ἀκουέτω*) *Qui potest haec percipere percipiat!* *Ἔχειν ὦτα.* sc. *τῆς ψυχῆς*, (quod addit *Philo*, *de Charit.*) *cui est intelligendi, attendendique facultas.* *Ἀκούειν* saepe est *intelligere* ut Ies. XXXVI, 11. *obedire*, 1 Reg. III, 9. Si igitur *ἀκούειν* h. l. prima vice est *intelligere*, altera vice *obsequium praestare*,

stare, sensus erit: *Qui haec dicta mea intelligit, is ea mente retineat*, iisque obsequium praestet. *Wer Verstand hat, denke nach.* Proverbiale dicendi genus, quo in rebus seriis summa postulabatur attentio. Erat autem haec res maxime notanda, quia adventus Ioannis signum erat, Messiam etiam adesse.

16. τίνι — ταύτην;) *Cuinam vero comparem huius aetatis homines?* Iam Pharisaeorum, aliorumque Iudaeorum morositatem et incredulitatem graviter reprehendit Iesus. Τίνι δὲ ὁμοιώσω.) Exordium familiare Iudaeis parabolam inceptantibus, vt apparet tum ex Talmudicis libris, tum Marci IV, 30. Luc. XIII, 18. 20. Γενεὰν ταύτην, *homines huius aetatis.* ὁμόια ἐστὶ παιδαρίοις) παιδίοις habent plurimi Codd. et Patr. gr. Ἐν ἀγοραῖς καθημένοις, *in plateis sedentibus*, versantibus Hebraei plateas et vias, omninoque oppidorum loca publica vocare solent רְחֹבוֹת, ut Zach. VIII, 5. et חוּצוֹת, Amos V, 16. *Quadrat in eos puerile illud carmen etc.*

17. ηὐλήσαμεν — ἐκόψασθε) *Tibia cecinimus vobis, et non saltastis: lamentati vobis sumus, et non planxistis.* Non tantum in funeribus, sed etiam in nuptiis et choreis tibiis canebatur. θρηνεῖν; קוֹנֵן (Ierem. IX, 16.) est *naenias canere*; κόπτεσθαι, *pectus tundere, ferire palmis, plangere.* Lucas c. VII, 32. usus est verbo κλαίειν, nam fletus cum planctu coniunctus esse solebat. Sensus est: Nihil eorum quae nos agimus et dicimus, vobis placet. Studia vestra semper contraria sunt nostris. Adagium desumtum a pueris in foro sedentibus, qui ludendo imitari solent, quae a maioribus natu serio agi viderunt, et nunc nuptias celebrant, nunc funera deducunt, nunc aliud huiusmodi agunt, neque tamen quosdam, qui mo-

morosiores sunt, movere possunt, ut et ipsi talibus operam navent. Pueris istis morosioribus Pharisaeos similes esse vult Christus, quibus nec Ioannis Baptistae durior ac severior, neque Salvatoris Christi liberior vita placebat. Est autem dictum huic nostro simile, quod ex R. *Papa*, in *Gemara* Codicis Talmudici Sanhedrim refertur: Plorant ei, qui nescit, arrident ei, qui nescit: vae ei, qui bonum a malo discernere nescit.

18. Ἦλθε γὰρ — Δαιμόνιον ἔχει) *Ioannes enim quum severam vitam ageret, insanire eum calumniati sunt.* Μήτε ἐσθίειν μήτε πίνειν, i. e. *parco et modico victu uti*, est figurata oratio καθ' ὑπερβολήν. Prodiit insignis austeritate vitae, ieiunans et abstinens ab omnibus deliciis ciborum, abstemius et aquae potor. Δαιμόνιον ἔχει, *insanit*, est homo melancholicus et furiosus. Apud *Sophoclem* Aiac. v. 244. δαίμων a Scholiaste explicatur per μανίαν. Cf. Io. X, 20.

19. Ἦλθεν ὁ υἱὸς — καὶ ἁμαρτωλῶν) ἦλθεν ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου, pro ἐγὼ ἦλθον. *Quum ego contra a communi victu non abstinerem, hominem edacem, vini appetentem, atque improbissimorum hominum amicum me sunt criminati.* Ἐσθίειν καὶ πίνειν, *populariter vivere*, omnibus semet accommodare, nec ullius aspernari consortium, vesci quibuslibet, et bibere quod apponitur; non agere vitam austeram. Quum Christus populariter viveret, calumniati sunt eum tanquam hominem edacem etc. Iudaeorum plerique nec severitate Ioannis, nec facilitate Christi commoveri potuere, ut doctrinam eius amplecterentur, sed utrumque respuerunt atque criminati sunt. καὶ ἐδικαιώθη ἡ σοφία ἀπὸ τῶν τέκνων αὐτῆς;) *Attamen probatur sapientia a cultoribus suis.* καὶ hic sumitur pro ἀλλά, nimirum Hebraeorum exemplo, apud

apud quos ¶ saepissime ita ponitur. Ἡ σοφία quid h. l. sit, non convenit inter interpretes. Sunt, qui intelligant τὴν βουλὴν τοῦ θεοῦ (Luc. VII, 30.) sapientissimum nimirum Dei consilium, Iudaeos et Ioannis severitate, et Christi comitate ad poenitentiam revocantis, ne quid inexpertum relinqueret, atque etiam ne quid illi caussari possent. Alii, ut *Sebast. Munsterus* et *Iac. Perizonius*, quorum rationem probat *Io Frid. Fischerus* (in prolus. 25. de vitiis Lexicorum N. T.) intelligunt *doctrinam divinam* a Ioanne et Christo traditam, a principibus civitatis Iudaeorum ut malam et inutilem reprehensam atque repudiatam, sed a vulgo ut utilem et bonam, probatam et laudatam. Doctrina autem divina, cuius copiae multitudini Iudaeorum ab Ioanne et Christo exponebantur, dubitari non potest, quin recte appelletur ἡ σοφία, quum ab ipsis Iudaeis hoc ornata nomine legatur. Matth. XIII, 54. Marc. XI, 2. Haec igitur sapientia ἐδικαιώθη, *probatur* et *laudatur*. Hanc verbi δικαιοῦσθαι potestatem confirmat auctoritas glossematis ἐτιμήθη, (*diligitur, magni aestimatur,*) quod repererat *Io. Matthaeus Caryophilus* in codice aliquo Romano, ut *Fischerus* l. c. notat. Sic etiam Luc. VII, 29. δικαιῶσαι τὸν Θεὸν est *laudare Deum*, ut sapientissimum atque optimum. Aoristus vero uterque a Graecis, sicut praeterita, etiam ab Hebraeis et Latinis ita usurpantur tum, quum continuatio rei alicuius significetur, ut non tam praesentium, quam omnium potius temporum vim habeant. Ἀπὸ (pro ὑπὸ, solent enim hae particulae permutari) τῶν τέκνων αὐτῆς, *a cultoribus suis*, quemadmodum et *Syrus* reddit. Hebraismus בֵּן, *filius*, cum Genit. virtutis et vitii, significat deditum iisdem esse. Ergo τὰ τέκνα τῆς σοφίας sunt *alumni ac secta-*

sectatores doctrinae divinae, ipsi etiam sapientes. KÜHNIUS (*in spicil. obs. e Philone*) σοφίαν h. l. eleganter dici putat pro σοφῷ, ut σοφία sit *magister Dei verus*. STORRIUS (dissert de sensu vocis δίκαιος p. 44.) sic vertit haec verba: *Sapientia divina fecit, ut insons habeatur a cultoribus suis*, i. e. factis suis v. 23. s. satis se *purgavit* sapienti cuique; in pensuadenda Iudaeis veritate, eorumque salute procuranda suas profecto partes non sivit desiderari. Tum ἡ σοφία, abstracto posito pro concreto, est Deus, sapientissimus; δικαιοῦν autem est *exculpare*, *insontem declarare*, ut Gen. XLIV, 16. מָה־נְּצַטְדָּק, LXX. τί δικαιωθῶμεν; Varias aliorum expositiones huius loci attulit *Wolfius* in curis ad h. l.

20. ὀνειδίζειν τὰς πόλεις) *vituperare*, *reprehendere*. Alibi hoc verbum denotat *convitiari*; sed h. l. sumitur eo sensu, quo *Plato* etiam dixit: ὀνειδίζων ἕνα ἕκαστον. Alexandrini hoc verbo exprimunt hebr. הוֹכִיחַ Ies. XXXVII, 4. τὰς πόλεις, i. e. incolas urbium, cap. II, 3.

21. Χοραζίν) Teste *Hieron.* (in Ies. IX, 1.) in litore maris Gennesareth, et (de locis hebr.) in secundo lapide a Capharnaum. Vid. BACHIENE *Beschreibung von Palaestina*, Part. II. §. 701. sq. Βηθσαϊδάν, vel potius Βηθσαϊδά, nam prior illa scriptura librariorum errori deberi videtur, qui ex aliis Evangeliorum locis (Marc. VI, 45. VIII, 22.) quartum casum pro quinto substituerunt. Origo nominis est Hebraica, בֵּית צַיִד *domicilium piscatorium*, i. e. oppidum, cuius civium pars maxima vitam piscatu tolerat. Erat vicus, s. oppidum in Galilaea inferiore propter litus occidentale lacus. A Ioanne c. XII, 21. dicitur Βηθσαϊδὰ τῆς Γαλιλαίας, quia aliud huius nominis oppidum, (quod, mutato vocabulo pristino, *Iu-*

lias, in honorem Iuliae, imperatoris Augusti filiae appellatum est,) extitit, situm ultra mare Galilaeae, in *Peraea, in inferiori Gaulonitide.* Ioseph. de B. I. L. II, c. 13. Vid. Fischeri Prolus. XXIX. *Tyrus* et *Sidon* erant urbes Phoeniciae, ob mercaturam celeberrimae et opulentissimae. Vid. quos laudavit SCHLEUSNERUS in Lexico sub his vocibus. Πάλαι ἂν ἐν σάκκῳ καὶ σποδῷ (sc. καθήμεναι, quod et Codd. nonnulli habent,) μετενόησαν, *olim certe cum maxima luctus contestatione mentem mutassent.* Hebraeis שַׂק est cilicium, vestis atra, ex materia crassa, quaeque non laxa est, sed corpus fere premit. Coniunguntur cilicium et cinis Ies. LVIII, 5. Ierem. VI, 26. Dan. IX, 3. aliisque locis. Constat fuisse veterum consuetudinem inter profanas etiam gentes, ut in gravi luctu sese iacentes pulvere et cinere adspergerent. *Plutarch.* de superstitione, *Lucian* de luctu. 13. Πάλαι, ad vetusta illa tempora referendum — *prisco illo tempore,* quo difficilius erat poenitentiam agere. μετενόησαν ἄν, *forte poenitentiam egissent.* Sensus esse videtur: *Vos longe peiores estis Tyriis et Sidoniis. Facilius esse puto, hominibus idolorum cultui deditis meliorem mentem persuadere quam vobis.* Christus hic populariter videtur dixisse, quid humano iudicio, rebus expensis admodum esset probabile. Cum Galilaei omnia miracula omnesque admonitiones spernerent, desperata erat ipsorum salus: pessimis peiores erant et insanabiliores. De scientia Dei non est sermo, nec de eiusdem bonitate; quasi id, quod unice Tyrios ad bonam frugem perducere poterat, neglexisset. Iam dudum *Alex. Morus* (in Notis) σφοδρύτητα, quam Patres καταφορικὸν λέγον, seu vehementem et impetuosum sermonem appellant, agnovit, addiditque, impetus eiusmodi patheticos sub leges sedatae orationis revocari non debere.

22.

22. πλὴν λέγω) *Quin etiam dico* Hebr. אך. Correctio, qua utimur, quum superiora quidem minime reprehendimus ut falsa, sed tamen amplificamus. Potest etiam verti: *ideo, igitur*, ἀνεκτότερον ἔσται) *tolerabilior erit conditio.* ἐν ἡμέρᾳ κρίσεως) In communi illo generis humani iudicio. Tyriorum et Sidoniorum minor duritiei gradus erat.

23. ἡ ἕως — καταβιβασθήσῃ) *Quae es ad astra sublata, ad infima deprimeris*, i. e. *quae nunc florentissima es, miserrima olim eris.* Verbum καταβιβάζειν, notat ex alto *deiicere*, quemadmodum ἀναβιβάζειν, in altum attollere. Proverbialis est locutio, etiam Graecis et Latinis, *ad astra tolli*, aut sublimi vertice sidera ferire, pro eo, quod est, rebus florentibus et illustri loco esse. Huic contrarium est εἰς ᾅδου, h. e. ad *infima loca*, qualia sunt sepulcra, demergi, quo *fortunarum eversio* significatur. Ies. XIV, 12. et LVII, 9. Florebat Caphernaum piscatu, mercatu, et quae alia esse solent commoda ad mare sitarum urbium. Iam Christus ei urbi, perseveranti in incredulitate, gravissimas clades denunciat, quas non dubitamus evenisse bello *Vespasiani*, et motibus, qui tum in Galilaea acciderunt. Simul autem graviores poenas in futuro seculo denunciat. Ἔμειναν ἂν μέχρι τῆς σήμερον, *hodie adhuc florerent.* Μένειν, hebr. עָמַד, *manere in sua conditione.*

25. A tam tristi spectaculo imminentis urbium exitii oculos Christus avertit, erigitque ad Deum, qui mirabili sua sapientia effecerat, ut doctrina a civibus Christi, a sacerdotibus et doctis, qui primi illam recipere debuissent, reiecta, praeter omnem exspectationem pauperes et indoctos asseclas reperiret. Ἐν ἐκείνῳ τῷ καιρῷ, pro τότε,

Sic LXX. reddunt בַּעַת הַהִיא Ies. XX, 2. ἀποκριθεὶς εἶπε; *dixit* Ἀποκριθεὶ; redundat; et hebr. Verbum עָנָה usurpatur etiam de eo, qui incipit, aut continuat sermonem. ἐξομολογοῦμαι — νηπίοις) *Celebro* (laudo) *te, pater, omnium rerum summe moderator, quod coelestem hanc doctrinam, quam non capiunt homines sapientiae opinione turgidi, agnoscendam das iis, qui humiliter de se sentiunt.* Ἐξομολογοῦμαι, *celebro*, laudo, Hebr. יָדָה, quod non tantum *confiteri*, sed et *laudare*, *celebrare* significat, e. c. Gen. XLIX, 8. 2 Sam. XXII, 50. Non est vertendum hic *gratias ago*, ut Erasmus fecit. Nam hic non agitur de beneficio quodam, pro quo gratias agi oporteat; sed de recte quodam facto, quod nemo improbare, omnes vero laudare debeant. Notandum est etiam, LXX, saepe coniungere αἰνεῖν et ἐξομολογεῖσθαι, e. g. 2 Paral. V, 13. In verbis sequentibus: ὅτι ἀπέκρυψας ταῦτα etc. est Hebraismus, ut c. VIII, 9. Usitata locutio esset: ὅτι ἀπέκρυψας ταῦτα ἀπὸ σοφῶν καὶ συνετῶν, ἀπεκάλυψας αὐτὰ νηπίοις. Non enim pro occultatione, sed pro revelatione proprie Deum celebrat Christus. Ταῦτα, nimirum *coelestem doctrinam*, vel mysteria regni coelestis, quae tum temporis nondum clare revelata erant. Cf. comma 27. Ἀποκρύπτειν, *celare*, non docere. Ἀποκαλύπτειν, *docere*; nam de immediata revelatione h. l. non est sermo. Συνετοὶ alias sunt, qui ingenio sunt prompto, et ad res intelligendas facili. Hic autem *sapientes et prudentes* per concessionem nominantur, qui sibi tales videbantur. Tales enim oportuerat esse Scribas et Pharisaeos, qui tamen erant omnium maxime rudes. Νήπιος hic apparet opponi συνετοῖς, i. e. *iis qui sibi multum sapere videbantur.* Sunt ergo νήπιοι, פְּתָאיִם

פְּתָאִים Ps. CXVI, 6. CXIX, 130. *indocti, rudes*, simplices et ingenui, atque hactenus infantibus similes, discendi cupidi, quales erant Apostoli. Insuper notandum est, *eventum* h. l. ut saepius, propterea Deo adscribi, quia permisit, nec potentia sua absoluta impedivit, ut nobilium et divitum maior pars religionem repudiaret. Cf. 1 Cor. I, 26. 27.

26. Ναὶ ὁ πατὴρ — ἔμπροσθέν σου) *Recte hoc a te, pater, fit*; laudo tuum hoc, pater, consilium et voluntatem. Εὐδοκία idem est ac θέλημα, *voluntas*. hebr. רָצוֹן. Nam in Alexandrinorum, reliquorumque V. T. interpretum versionibus nomina εὐδοκία et θέλημα, atque verba εὐδοκεῖν et θέλειν saepe permutantur. Sic e. c. Ps. XXX, 8. pro רְצוֹן in versione Alex. est θέλημα, sed in Symmachi reliquiis εὐδοκία. *Hesychius* etiam: εὐδόκησεν, ἐθέλησεν. Εὐδοκία ἐγένετο ἔμπροσθέν σου idem valet, quod εὐδόκησας, i. e. ἠθέλησας. Ἔμπροσθέν σου, hebr. לְפָנֶיךָ Exod. XXVIII, 38. loco pronominis simplicis: *tibi*. Pro particula autem ὅτως recte substitui possunt verba: τοῦτο ποιῆσαι. Pertinent itaque haec verba Christi ad consilium Dei et voluntatem, quam ut bonam et sapientissimam probat et laudat.

27. πάντα μοι παρεδόθη ὑπὸ τοῦ πατρός μου) *Omnia*, (ad salutem hominum facienda atque docenda) *aperuit mihi pater meus*. Non dubito, παραδιδόναι h. l. esse, *docere, revelare*. (quo sensu hebr. נתן saepissime apud Rabbinos occurrit) propter ea quae immediate sequuntur. Christus nimirum dicit, omnium mysteriorum ad salutem humanam pertinentium revelationem sibi esse creditam. Cf. Io. I, 18. VII, 16. XVI, 15. XVII, 7. 8. οὐδεὶς ἐπιγινώσκει τὸν

τὸν υἱὸν, εἰ μὴ ὁ πατὴρ) *Quae sit ratio muneris Messiae demandati, nemo praeter patrem* (nunc) *novit.* Υἱὸς concise dictum, pro eo quod faciendum atque docendum filio demandatum erat a patre: et ἐπιγινώσκειν h. l. denotat cognitionem accuratam, sive ut Chrysostomus loquitur τὴν ἀκριβῆ γνῶσιν. οὐδὲ τὸν πατέρα τὶς ἐπιγινώσκει εἰ μὴ ὁ υἱὸς) *Nec decreta et consilia patris,* (ad salutem humani generis spectantia) *ullus hominum praeter filium perspicit* De voce τὸν πατέρα idem notandum, quod modo de *filio* diximus. Ne prophetae quidem ea, quae super istis rebus praedixerunt, viderunt, nisi per transennam quod dicitur. Vide 1 Petr. I, 10. καὶ ᾧ ἐὰν βέληται ὁ υἱὸς ἀποκαλύψαι) *Et cuicunque filius voluerit patefacere.* Hoc utrumque referendum, tum ad id, quod de patre, tum ad id, quod de filio noscitur. Filii enim sapientiae permissum erat, et quibus, et quantum et quando vellet aperire. Scilicet tum temporis nondum consilii erat, omnia quae concernebant opus redemtionis omnibus promiscue revelare, ob multorum imbecillitatem, aliasque caussas.

28. δεῦτε — πεφορτισμένοι) *accedite ad me doctorem, o vos omnes, qui estis defatigati et onerati!* κοπιᾶν, *fatigatum esse*, quod plus denotat, quam laborare. Intelliguntur autem qui onere ceremoniarum a Rabbinis et Sapientibus impositarum opprimebantur, Act XV, 10. infra XXXIII, 4. vel etiam afflictionibus, curis, aut vitiorum conscientia laborantes, malorum sarcina gravati. ἀναπάυσω ὑμᾶς) *reficiam, recreabo animos vestros:* nempe doctrina mea coelesti, promissis etc.

29. ἄρατε τὸν ζυγόν μου ἐφ' ὑμᾶς) *Submittite vos iugo, quod vobis impono,* i. e. recte percipite doctrinam

nam meam. Nam ζυγὸν esse doctrinam Christi, patet ex v. seq. Quaelibet lex et morum disciplina comparatur cum *iugo*, metaphora ducta a iuvencis, qui iugo imposito assuefaciuntur ad arandum, ad onera trahenda etc. Ierem. V, 5. Sirac. LI, 26. ubi ζυγὸς et παιδεία permutantur. Iudaei etiam legis suae studium עול תורה, *iugum legis*, dicunt. Vid. *Wetst.* μάθετε ἀπ' ἐμοῦ) Absolute, sine relatione dicitur, ut sensus sit: *date vos in meam disciplinam.* ὅτι πρᾶός εἰμι. καὶ ταπεινὸς τῇ καρδίᾳ) *Nam clemens sum, et modesto animo.* Πρᾶος, *comis* et *clemens*, ταπεινὸς τ. καρδ. *humilis corde* i. e. ταπεινόφρων, ut interdum Graeci uno vocabulo declarant, (cui opponitur ὑπερήφανος, homo superbus et ferox,) *modestus* qui non altos gravesque spiritus gerit, adeoque disciplinae suae alumnis non graviora impositurus sit, quam ferre valeant. Christus his verbis se non proponit in exemplar τῆς πραότητος καὶ ταπεινώτεος, (quanquam eum in his etiam imitari debemus;) sed *hoc loco* rationem reddit, quare ad se accedere, et docentem audire debeant, nempe quod non durus et ferox esset, ut Pharisaei, (infra c. XXIII, 4.) qui neque mites erant, neque humiles, quum onera illa legis crudeliter exigerent, et superbirent quod plebem Iudaeam sibi vectigalem viderant. Sensus est: Habebitis Doctorem mitem atque benignum, non severum morosumque, sicut Pharisaei. καὶ εὑρήσετε ἀνάπαυσιν ταῖς ψυχαῖς ὑμῶν) *Tum veram animi tranquillitatem consequemini.* Amat Christus loqui prophetarum verbis. Extant haec apud Ierem. VI, 16.

30. ὁ γὰρ ζυγός μου χρηστὸς, καὶ τὸ φορτίον μου ἐλαφρόν ἐστι) *Mea enim disciplina et suavis est, et facilis.* Φορτίον respondet hebr. מַשָּׂא, et denotat idem

quod

quod ζυγὸς sc. *doctrinam, disciplinam.* Dicit autem Christus doctrinam suam esse χρηστὸν, suavem, iucundam, et ἐλαφρὸν, minime molestam, in oppositione ad Pharisaeos, qui gravia onera imponebant.

CAP. XII.

1. Ἐν ἐκείνῳ τῷ καιρῷ) *Per id tempus.* Haec autem verba significant, hanc historiam haud narrari ex temporis serie, sicut etiam constat ex Luca et Marco. ἐπορεύθη — σπορίμων) *Transivit Christus die quodam Sabbati sata.* Τοῖς σάββασι, *die quodam Sabbati.* Τὰ σάββατα interdum hebdomada, (vid. infra c. XXVIII, 1.) saepius autem, *septimum diem* significat. Imitati sunt Evangelistae Alexandrinos, qui pro hebraica voce שַׁבָּת nunc singulari numero σάββατον, (Exod. XXXI, 14.) nunc plurali σάββατα (Ierem. XVII, 21. 24.) usi sunt. Pluralem numerum usurparunt, ad exprimendam diei septimi sanctitatem. Διὰ τῶν σπορίμων, *per sata,* i. e per agros frugibus consitos: per hos enim olim semitas fuisse, constat e Codice Mischnico *Demai.* οἱ δὲ μαθηταὶ — ἐσθίειν) *Discipuli autem eius esurientes evellebant sibi spicas ad comedendum.* Ἤρξαντο τίλλειν, i. e. ἔτιλλον, *evellebant.* Nam verbum ἄρχεσθαι saepe abundat.

2. ὃ οὐκ ἔξεστι ποιεῖν ἐν σαββάτῳ) Vulsionem spicarum intelligunt, non deambulationem. Nam ambulat et Christus: at Pharisaei solos discipulos notant. Licebat vellere spicas ex alieno agro Deut. XXIII, 25. At quaestio erat, utrum illas liceret vellere aut fricare *Sabbato*? Moses quidem interdixerat Sabbato facere מְלָאכָה, opus servile

vile. Quid autem opus servile esset aut non esset, iuris erat controversi, Doctoribus inter se dissidentibus.

3. *ἐκ ἀνέγνωτε — καὶ οἱ μετ' αὐτοῦ*) David quidem solus accessit ad Sacerdotem, 1 Sam. XXI, 1. 2. petiit autem panes etiam pro comitibus, qui alibi substiterant. Comm. 3. 4. Summus sacerdos erat interpres legis in casibus dubiis, cuius decretum pro regula erat. Deut. XVII, 8. 13. Apte igitur allegavit Iesus hoc exemplum adversus traditiones Pharisaeorum.

4. *πῶς εἰσῆλθεν εἰς τὸν οἶκον τοῦ θεοῦ*) *Ut ingressus est aedem sacram*, *πῶς*, pro *ὡς* Luc. VI, 4. *Οἶκος τοῦ θεοῦ*, *ἡ σκηνή*. Exod. XXIII, 19. 1 Sam. I, 24. Nam templum adhuc nullum extabat. *τοὺς ἄρτους τῆς προθέσεως*) *Panes Deo sacros.* Hebraei vocant לֶחֶם פָּנִים *panes facierum*, quod coram Domino appositi, tota hebdomade manerent in aurea mensa huic cultui consecrata. Exod. XXV, 30. LXX. modo dicunt *ἄρτους προσώπου*, modo *προκειμένους*, saepissime vero ut hic, *προθέσεως*. Genit. autem est loco participii, pro: *οἱ προτεθέντες ἄρτοι proposititii panes.* *οὓς οὐκ — μόνοις*) *Quos neque illi, neque comitibus eius, sed solis sacerdotibus, edere licebat.* Exod. XXIX, 33. Levit. XXIV, 6. 9. Insunt autem legibus exceptiones, quarum nulla est aut receptior aut iustior, quam ea quae fluit ex necessitate. *Εἰ μὴ* sed. hebr. לֹא — אִם. Ps. I, 2. 4.

5. *ἐν τῷ ἱερῷ τὸ σάββατον βεβηλοῦσι*, *in templo Sabbatum violant.* Verbo *βεβηλοῦσι* Christus catachrestice utitur, pro: *Labores peragere.* Hoc ipso loquendi genere utuntur Hebraei veteres in Talmude, et ex illis *David Kimchi*, quum dicunt recte interdum violari Sabbatum, idque probant exemplo operarum sacerdotalium;

Sa-

Sacerdotes enim die Sabbati animalia mactabant, excoriabant, lavabant, portabant, nec tamen violati Sabbati rei fiebant. *Vitringa* de decem otiosis p. 125. commode huc refert *Maimonidae* et *Bartenorae* observationem, ad c. V, *Pesachim*, אין שביתת במקדש, i. e. *nullum in sanctuario seu templo otium esse.* Innuit Christus, in ipso quoque templo tale quid facere licuisse Sacerdotibus, quod alibi nec illis, nec cuiquam fas erat.

6. λέγω δὲ — ἐστὶν ὧδε) *Atque hoc vobis confirmo, hic adesse maiorem templo*, sc. Dominum templi, qui in istis rebus pro arbitrio agere potest Obiicere poterant Pharisaei, a Sacerdotibus labores peragi die Sabbati in usum templi. Cui obiectioni Iesus opponit, se suamque praesen iam esse multo maioris momenti. Pro μείζων al. leg μείζον, subint. τι, i e. maius quidpiam templo. Plus templo erat omnis Propheta, Christus autem est Dominus templi. Malach. III, 1. Alii: Valetudo hominis, vel discipulorum meorum, maioris momenti est, quam cultus externus.

7. εἰ δὲ ἐγνώκειτε, τί ἐστιν) *Si vero intelligeretis, quid hoc sibi velit.* Vid. sup. c. IX, 13. οὐκ ἂν κατεδικάσατε τοὺς ἀναιτίους) *non condemnassetis insontes.* Debebatis factum discipulorum excusare necessitate, quae legem non habet, prout excusare soletis factum Davidis. Quum autem apud vos non sit idem de utrisque iudicium, manifestum est, vos malevolentia et studio partium actos ita iudicare, et naturalem aequitatem, quae lex est omnibus ritibus potior, violare. Infra c XXIII, 3.

8. κύριος — ἀνθρώπου) *Ego enim etiam Sabbati* (ut templi) *Dominus sum*, i. e. *possum dispensare ab observatione Sabbati;* quod modo fecerat, permittens discipulis suis, ut evellerent spicas die Sabbati. καὶ

decst

deest in multis Codd. Verss. et Patr. Sed recte retinetur, et vertitur *etiam*. Christus enim dicit, se non tantum templi, sed et Sabbati esse Dominum. Secundum *Grotium* υἱὸς ἀνθρώπου h. l est *homo quivis*, quia *Marcus* addit: Sabbatum est hominis caussa, non homo Sabbati caussa. Tandem interpretationem probarunt multi alii, quos nominat Wes elius Scholten l. c. pag. 100. sq. ipse vero defendit eam sententiam, quam nos cum aliis probavimus. Verosimilius nimirum est, Iesum intelligi, qui quam saepissime in N. T. hoc nomine (ὁ υἱὸς ἀνθρ) designatur; ille et Dominus templi est, et dominus Sabbati: ille novit verum sensum legis a patre suo latae, scitque sabbatum esse propter hominem, non hominem propter sabbatum, ut est apud Marcum. Cf. notata ad Matth. VIII 20.

9. καὶ μεταβὰς — αὐτῶν) *Inde vero discedens, in quandam eorum synagogam ingressus est.* Ἐκεῖθεν, nempe ex agris, ubi evenerant modo commemorata. Αὐτῶν, Iudaeorum, Capharnaumi.

10. τὴν χεῖρα ἔχων ξηράν) *Arida s tabida* manus h. l. est, cui succus vitalis, s. humidum radicale deficit; quae ita est vitiata, ut nihil ibi in succum et sanguinem convertatur. Vid. *Michaelis* ad h. l. et cf. 1 Reg. XIII, 4. 6. *Hieronymus* in Commentar. (ad v. 13.) ex Evangelio, quo usi sunt Nazareni et Ebionitae, refert, hominem hunc fuisse cementarium, atque istiusmodi vocibus auxilium precatum esse: *Cementarius eram, manibus victum quaeritans. Precor Te, Iesus, ut mihi restituas sanitatem, ne turpiter mendicem cibos.* ἐι ἔξεστι τοῖς σάββασι θεραπεύειν;) Non tam querentium est, quam negantium. Secundum Rabbinorum opinionem *periculum vitae* tantum pellit Sabbatum. Quosnam vero mor-

morbos iudicent p ericulosos, quibusque adhibenda medicina sabbato, vide in *Hieros. Avodah Zarah.*

11. τίς ἔσται ἐξ ὑμῶν ἄνθρωπος ὃς ἕξει πρόβατον ἕν, καὶ ἐὰν ἐμπέσῃ τοῦτο τοῖς σάββασιν εἰς βόθυνον, οὐχὶ κρατήσει αὐτὸ καὶ ἐγερεῖ;) *Quis est inter vos, qui unicam quam habet oviculum, si ea die Sabbati in cisternam inciderit, non extrahat?* Constructio tota est hebraica. κρατήσει, est pleonasmus. Lucas sine pleonasmo habet: ἀναπάσει, c. XIV, 5. Βόθυνος h. l. non est quaevis *fovea*, sed *cisterna*, aquis recipiendis et colligendis inserviens. Lucas (c. XIV, 11.) habet φρέαρ, hebr. בור 1 Sam. XIX, 22. ἐγείρειν h. l. *extrahere*. In Talmude negatur quidem, licitum esse Sabbato ovem ex fossa extrahere; sed BUXTORFIUS in *Synagoga Iudaica* c. XI monet, negatam illam ovis extractionem non in Mischna, sed in Gemara, cuius aetas recentior est, occurrere. Vid. Wolf. in curis ad h. l. Usu receptam fuisse illam sententiam, vel inde patet, quod nemo adversariorum Christo contradixit.

12. Πόσῳ οὖν διαφέρει ἄνθρωπος προβάτου;) Particulam οὖν hic positam esse pro ἀλλὰ, vel δὲ, exinde patet, quod statim subiicitur argumenti conclusio. *Quanto vero discrimine praestat homo ovi?* Ne obiicerent Pharisaei in suo iure agi de vita, hoc de membri integritate, occurrit Christus, ostendens, tanto hominem pecude esse potiorem, ut merito hominis sanitas pecudis vitae praeponderet.

13. λέγει τῷ ἀνθρώπῳ) Vera doctrina de sabbato exposita, iam omnem calumniae ansam praecidit. Nam sine contactu sola voce hominem sanat, quod ne speciem quidem violati sabbati habere poterat. καὶ ἐξέτεινε καὶ ἀπεκατεστάθη ὑγιὴς, ὡς ἡ ἄλλη) Hic quoque coniunctio cum verbo vim participii habet. Sensus enim est: ἐξέτεινε ἀποκατασταθεῖσαν ὑγιῆ: neque enim extendere manum potuisset, nisi virtute divina restitutam.

14.

14. *οἱ δὲ — ἀπολέσωσιν*) *Pharisaei autem, inde egressi, consilia de eo perimendo conferebant.* *συμβούλιον λαμβάνειν*, aut ut Marcus loquitur, *ποιεῖν*, non est *consilium vocare*, sed *consilium capere*, sive id fiat in legitimo consessu, sive aliter. Est ergo *συμβούλιον* idem, quod Platoni *συμβουλή*, qui et *συμβουλὴν ποιεῖν* dixit. Rarissima hac significatione vocem *συμβούλιον* habet Graecus ignotus apud Origenem, Prov. XV, 23. *ἐξελθόντες*) ex synagoga scilicet, in qua haec erant gesta, v. 9. *ὅπως ἀυτὸν ἀπολέσωσι, ut eum perimerent.* Vitae eius insidiati sunt.

15. *ἀνεχώρησεν ἐκεῖθεν*) *Secessit inde*, ad lacum Tiberiadis, Marc. III, 7. Id agentibus Pharisaeis, ut eum perimerent, prudenter se subduxit, ut qui nosset, nondum horam suam venisse. *Πάντας*, nempe qui sanari ab eo cuperent; sic saepe interpretandae sunt particulae universales.

16. *καὶ ἐπετίμησεν — ποιήσωσιν*) *Et severe illis interdixit, ne se palam facerent.* Non doctrinam suam occultari iubet, neque miracula, quae in omnium conspectu patrare veritus nunquam fuit, sed *personam*, in quam coniuraverant irae aestu accensi Iudaei.

17. *ὅπως — λέγοντος*) Ies. LXII, 1. seq. Affert hunc Prophetae locum Matthaeus, ut ostendat, illam *ἀναχώρησιν* Iesu non esse vel propterea factam, quod caussae suae diffideret, vel quod diffideret Patris coelestis praesidio, sed quod ad pugnam se cum suis componere nollet adversus Pharisaeos, quippe cuius regnum de hoc mundo non esset.

18. *ἰδὲ ὁ παῖς μου*) *Ecce servum meum. Septuaginta* multis in locis de suo quaedam addiderunt ad explicandam Hebraicorum verborum sententiam: ut hoc loco ante *ὁ παῖς μου* posuerunt Ἰακὼβ, et ante *ὁ ἐκλεκτός μου*, Ἰσ-

Ἰσραὴλ Et videtur hic Prophetae locus ab iisdem interpretibus ita fuisse intellectus, quasi de Hebraeo populo ageret. Chaldaeus autem Paraphrastes *Messiae* nomen hic addidit. *R. Abarbanel*, et *R. Kimchi* etiam hunc locum de Messia explicant. παῖς *servus*. hebr. עַבְדִּי. Vide *Dathii* annotationem ad hunc Iesaiae locum, et cf. filii mei, *Ernesti Frid. Caroli* Scholia. ὃν ᾑρέτισα) *quem elegi*, i. e. *prae ceteris amo*. In Hebr. est אֶתְמָךְ. LXX. posuerunt ἀντιλαμβάνεσθαι, *suscipere*. Sunt et aliae diversitates inter huius loci Versionem τῶν LXX. et Matthaei, quas studio praetermittimus. ἀγαπητός μου) Hebr. בְּחִירִי. LXX. ἐκλεκτός μου, ex quo apparet eandem esse vim vocis ἀγαπητὸς et ἐκλεκτὸς, vel etiam *unicus*. Vid. Matth. III, 17. Phrasis εἰς ὃν εὐδόκησεν ἡ ψυχή μου, ut illa: ἐν ᾧ εὐδόκησα, idem valet, quod ὃν ἐγὼ φιλῶ. et phrasis אשר אהבתי Gen. XXII, 2. Θήσω τὸ πνεῦμα — ἀπαγγελεῖ) *Dotibus eum instruam, ut veram religionem gentibus tradat.* θήσω) נָתַתִּי, LXX. ἔδωκα. Πνεῦμα h. l. videtur esse *virtus divina*, *afflatus divinus*. Κρίσις מִשְׁפָּט, quod est in Hebraeo, interdum etiam *legem*, sive normam vivendi indicat.

19. οὐκ ἐρίσει οὐδὲ κραυγάσει) *Non rixabitur aut clamabit.* Quum in Hebraeo duae sint voces eiusdem significationis, *clamorem* denotantes, Matthaeus alterius loco substituit ἐρίζειν, ut ostenderet, de eo clamore hic agi, qui signum esse solet excandescentis animi. LXX. οὐ κεκράξεται, οὐδὲ ἀνήσει. Antecedentibus consentire videtur *Gottfr. Olearii* interpretatio, qui haec verba ad tumultum, qualis in bello manibusque consertis excitari solet, refert. Ceterum nihil frequentius est apud Graecos Scrip-

Scriptores, quam clamorem, in praelio sublatum, voce κραυγῆς designare; et ἐρίζεσθαι de ea, quae manibus fiat consertis, contentione, multoties usurpatur. οὐδὲ ἀκούσει — φωνὴν αὐτοῦ) *Nec vox eius in publico audietur.* In Hebraeo est בַּחוּץ, ἔξω, quemadmodum hic habent οἱ LXX. Quia vero platea est extra aedificia, ideo eo nomine frequentissime appellatur. Aliis verbis repetitur, quod modo dictum erat.

20. Κάλαμον — σβέσει) *Arundinem quassatam non confringet, et ellychnium fumigans non extinguet.* Videtur fuisse Adagium apud Hebraeos. Calamum iam confractum tam facile est conterere, quam scintillam in ellychnio extinguere. Hinc adagium de eo, qui tantum abest, ut miserum hominem, humi quasi iacentem et moriturum, sublevet, ut etiam insultet. Ab isto animo Christus prorsus fuit alienus. Toleravit aliorum sequiores mores, nec in eo fuit iracundia vel vindictae cupiditas. Non praecipitavit in ruinam sua culpa iam satis miseros. Pro potentia sua facile perdere potuisset inimicos suos. Sed hoc facere noluit. Λῖνον, *linum*. h. l. est ellychnium, materiae nomine posito pro eo quod ex ea materia confectum est, ut alibi λῖνα dicuntur retia ex lineis seu tenuibus linis contexta. Τυφόμενον, כֵּהֶה significat id, quod prope est ut extinguatur, qualia sunt ellychnia, in quibus fumus aliquod flammae vestigium refert. LXX. λ. καπνιζόμενον. ἕως ἂν ἐκβάλῃ εἰς νῖκος τὴν κρίσιν) Communis fere est interpretum sententia, Matthaeum exprimere vim verborum Iesaiae v. 3. l. c. לֶאֱמֶת יוֹצִיא מִשְׁפָּט quod LXX. vertunt: εἰς ἀλήθειαν ἐξοίσει κρίσιν. Quid si Matthaeus respiceret ad v. 4. dicti capitis? עַד־יָשִׂים בָּאָרֶץ מִשְׁפָּט.

Ad

Ad utrumque locum refert *Bengelius* in Gnomone. Cf. eiusdem Apparatum crit. ad v. 21. et *Bowyeri* coniecturas. Si lectio nostra genuina est, sensus esse videtur: *usque dum caussam*, de qua disceptatur, *obtinuerit*, atque adeo ex illo certamine victor discesserit. Ἐκβάλλειν hic idem esset, quod alias ἐξάγειν, et ἐξάγειν εἰς νῖκος τὴν κρίσιν s. κρίμα dicitur is, *qui in iudicio caussam vicit*; quod pluribus ostendunt *Krebsius* in obs. in N. T. ex *Iosepho*, et *Grotius* ad h. l. Placet etiam *Loesneri* huius loci explicatio. Nimirum κρίσιν, utrum pro iudicio ipso sumas, an pro lite et caussa, de qua agitur, promiscuum est, ut patet e Philone. Iam vero εἰς νῖκος denotat *plane*, *prorsus*, ex Hebraico נֶצַח, ut ex *Drusii* aliorumque scriptis notum est. Verborum igitur sententia esset: *donec omnem litem prorsus composuerit et diremerit*, i. e. *donec plane evicerit, se esse Messiam*; nam de ea re decertabatur inter eum et Pharisaeos. *Hieronymus* ob recurrens verbum *iudicii*, colon Iesaiae hoc loco per errorem excidisse putat. Quicquid sit, ipsa quidem sententia placidam et moderatam actionem Messiae decentissime exprimit.

21. καὶ ἐν τῷ ὀνόματι αὐτοῦ ἔθνη ἐλπιοῦσι) Iesaias habet: לְתוֹרָתוֹ אִיִּים יְיַחֵלוּ. Sensus est, exteras gentes fiduciam collocaturas in professione religionis Messianae; nam תּוֹרָה Hebraeis frequenter significat id, quod Graeci elegantiores dicunt αἵρεσιν, Hellenistae autem idem vocant ὄνομα, quia moris est, sectatores ab instituti sui auctore nominari. Potest etiam ἐν τῷ ὀνόματι αὐτοῦ simpliciter dictum esse pro ἐν αὐτῷ. Nam ὄνομα saepe redundare, notum est. Ceterum vulgo Graeci construunt: ἐλπίζειν τινί. Phrases ἐλπίζειν εἴς τινα, et ἐν τινὶ formatae sunt iuxta heb-

hebraeas, et significant *confidere alicui*. Ps. XXI, 8. Deut. XXXII, 37.

22. *τυφλὸς καὶ κωφός*) Ex morbo, non vero a nativitate videtur fuisse surdus. *λαλεῖν καὶ βλέπειν*) Chiasmus est, pro *βλέπειν καὶ λαλεῖν*.

23. *ἐξίσταντο*) *ἐξίστασθαι* significat prae admiratione apud se non esse, et de statu mentis deiici. *μήτι οὗτός ἐστιν ὁ υἱὸς Δαβίδ*;) Nonne hic est *Messias*? Ob miracula, cum quibus venturum Messiam populus expectabat.

24. *εἰ μὴ ἐν τῷ Βεελζεβὰβ ἄρχοντι τῶν δαιμονίων*) De Beelzebub cf. supra c. X, 25. Inter impuros spiritus unum esse, qui praesideat, non tantum Iudaeorum, verum etiam incantatorum et Philosophorum fuit sententia. Sensus est: „Vi potentioris daemonis expellit infirmiorem: quo facto homini non beneficium praestat, sed ipsum in potestatem hostis severioris atque malignioris tradit.„ Sic *Wetstenius*. Hoc insanum convitium Iesus manifestissima ratione refellit in sequentibus.

25. *πᾶσα βασιλεία — οὐ σταθήσεται*) *Omne regnum intestino dissidio divisum, intereat oportet; nec ulla civitas aut familia intestinis discordiis secum pugnans, stabilis erit.* Τὸ *μερίζεσθαι* i. e. *divisum esse aut partitum*, idem hic valet ac *dissidere*, sive in varias factiones scissum esse; hebr. חָלַק 1 Reg. XVI, 21. *Βασιλεία* et *πόλις*, per meton. *cives* et *domestici*. Proverbium notissimum inter Hebraeos, quale illud *Ciceronianum*, (de amicitia) *Quae domus tam stabilis, quae tam firma civitas est, quae non odiis atque dissidiis funditus possit everti?* Qui sapiunt hoc agunt, ut res suas stabiliant, quod nisi concordia fieri non potest.

26. καὶ εἰ — ἡ βασιλεία αὐτοῦ;) *Quodsi igitur Satanas Satanam deturbat, ipse sibi adversatur; quomodo igitur consistere possit eius regnum?* Applicat Iesus id, quod dixerat com. 25. ad rem praesentem. *Si unus daemon expelleret alterum,* ἐφ' ἑαυτὸν ἐμερίσθη, *in contrarias factiones divisus esset. Satanas* h. l. est princeps Daemonorum cum omni societate sua, cum ceteris spiritibus malis. Is dividitur in factiones, quando ceterorum spirituum vim impedit et minuit; quod omnino fieret, si Satanas eiiceret alios Spiritus e corporibus. Si ergo hoc ita est, πῶς ἔν σταθήσεται ἡ βασιλεία αὐτοῦ; *quomodo consistet regnum eius?* quomodo salva potest esse societas omnis? Hac responsione Iesus ad absurdum deducit Iudaeos.

27. οἱ υἱοὶ ὑμῶν ἐν τίνι ἐκβάλλουσι;) *Cuius ope Vestrates eos eiiciunt?* Num et eos dicetis ope potentioris daemonis eiicere infirmiores? *Filii vestri,* i. e. *Discipuli vestri,* sive Vestrates, populares vestri, πολῖται ut LXX. habent Gen. XXIII, 11. hebr. בְּנֵי עַמִּכֶם. Nonnulli e Iudaeis, exorcismis usi, videbantur Daemonia eiicere, et morbos pellere, ex arte sua quaestum facientes. Eiusmodi exorcismi eventum suum saepe habuerunt, non quod vis ulla in syllabarum pronunciatione esset sita, sed propter adhibita simul medicamenta. Christi argumentum est tale: In pari caussa par iudicium fieri oportet. Creditis, discipulos vestros daemonia eiicere vi divina; cur de me idem non creditis? ὑμῶν ἔσονται κριταί) *Hi igitur ipsi calumniae vos convincent,* i. e. ipsorum factum sufficiet vobis convincendis atque condemnandis: ut infra v. 42. et 43. Haec refutatio desumta est ab aequitate.

28.

28. *εἰ δὲ — τοῦ θεοῦ*) *Quodsi vero adiuvante Deo eiicio Daemonia, pervenit ad vos regnum Dei*, facio ut regnum Dei inter vos instituatur, ut augeatur inter vos numerus eorum, qui Deum vere colant. *Ἐν πνεύματι θεοῦ, per potentiam divinam*, adiuvante Deo. Permutantur notiones spiritus et potentiae; quod enim uno in loco dictum est fieri spiritu, id in altero potentiae divinae tribuitur. Cf. Luc. XI, 20. 1 Petr. III, 18. *Regnum Dei* opponitur regno Satanae. De phrasi: *venit regnum Dei* vid. notata supra ad c. VI, 20. Conclusio pluribus constat propositionibus, quae addendae sunt, et ita cohaeret: Si per divinam omnipotentiam eiicio daemonia, patro miracula adiuvante Deo. Ex quo consequitur, me esse legatum divinum; si autem sum legatus divinus, credendum est mihi, quum nuncio vobis regnum Dei.

29. *ἢ πῶς — διαρπάσει;*) *Aut quomodo aliquis ingredi domum potentis alicuius, atque suppellectilem eius diripere potest?* (Hoc non potest) *nisi prius subegerit ipsum; ita demum domum eius spoliabit.* Simili rem illustrat Iesus. Si, quod omnes fatentur, qui vincit fortior est eo, qui vincitur, facile perspicietis, me longe esse potentiorem daemoniorum principe. *Τοῦ ἰσχυροῦ*, i. e. *δυνατοῦ*, sive ad copias et facultates, sive ad corporis robur referas, גִּבּוֹר Ies. XLIX, 24. Articulus h. l. habet significationem indefinitam — *Potentis alicuius.* *Σκεύη*, hebr. כֵּלִי denotat res et suppellectilem omnem.

30. *ὁ μὴ ὢν μετ' ἐμοῦ, κατ' ἐμοῦ ἐστι*) *(Etiam hic valet illud: Qui non est amicus, censetur inimicus.* Proverbium Iudaicum in utramque partem usurpatum; nam et dici solebat: *Qui non est contra nos, pro nobis est* Luc. IX, 50. Sunt enim proverbia proverbiis in speciem

contraria. Notandum est autem, in sententiis eiusmodi modo primae, modo secundae, modo tertiae personae pronomina usurpari ἀορίστως pro quovis homine. Sensus est: absurdissime suspicamini me a partibus diaboli stare, quem videtis aperte ab ipso dissidere, et bellum ipsi inferre. Ego, qui diabolum vinco, non possum cum eo iniisse pactum. καὶ ὁ μὴ συνάγων μετ' ἐμοῦ, σκορπίζει) *Quique me non adiuvat, ille mihi obstat.* Non male Erasmus in Paraphrasi ad h. l. παραφράζει. „Ego Dei partes sequor, non Beelzebub. Proinde, qui non est in castris meis, is hostis et adversarius est meus. Et qui me non adiuvat in colligendo, is adversatur dispergendo.„ Haec est applicatio illius proverbii.

31. διὰ τοῦτο) Referendum est hoc ad totam orationem quae praecessit, hoc modo: Quum tam manifestis rationibus constet, quae facio non Daemonum, sed Dei virtute fieri, videte quam gravem poenam in vos arcessatis, quum dicitis, ista vi Daemonum effici. Marc. III, 30. Videbat mentium inspector, agnoscere ipsos virtutem vere divinam, sed quidvis potius comminisci, quam ut plebem paterentur a suo magistro ad Christum transire, v. 25. πᾶσα ἁμαρτία καὶ βλασφημία ἀφεθήσεται τοῖς ἀνθρώποις) *Quodvis peccatum et convitium remittetur hominibus*, i. e. *remitti poterit*; nam verbum, quod actum denotat, interdum de potentia, s. quadam conditione, intelligendum. ἡ δὲ τοῦ πνεύματος — ἀνθρώποις) Sensus esse videtur: *Qui opera manifeste divina tanquam diabolica criminatur, is vix impetrabit veniam.* Πνεῦμα, sive ut Lucas habet τὸ ἅγιον πνεῦμα est *vis divina* in miraculis Christi conspicua, opposita malorum daemonum operationibus. Cf. Scholia nostra ad Gal. IV, 29. 1 Cor. X, 3. Eo sensu Christus supra v. 28. dixerat,

se

se ἐν πνεύματι θεοῦ, *vi divina*, non ope principis daemoniorum eiicere daemones malos. Πνεύματος autem hic dicitur, pro: κατὰ τὸ πνεύματος, sicut *pudor patris: erga* patrem, et *conviciari spiritum*, est dicere, id quod ope divina efficitur, effici ope diabolica, per fraudem magicam. Committebatur igitur hoc peccatum ab iis, qui opus, *ipsismet spectantibus* divina virtute patratum, a spiritu malo factum fuisse, malitiose dicebant. Attrocissimum fuisse hoc peccatum, facile patet. Qui enim tot tantisque miraculis, quae nonnisi divina virtute patrari poterant, obtrectabat, ille erat inemendabilis. Qua enim alia ratione ad mentem saniorem potuisset reduci?

32. καὶ ὃς — ἀυτῷ.) *Et Filio hominis si quis maledixerit, id illi poterit ignosci*, i. e. *Si quis mihi propter humilem meam conditionem externam obtrectaverit, veniam impetrare poterit.* Ἐιπεῖν λόγον κατά τινος, idem est ac βλασφημεῖν τινὰ, *contumeliose loqui de aliquo. Filius hominis* autem est Messias, qua est homo, et qua est aspectabilis inter homines. Iudaeorum convicia de filio hominis erant: esse eum fraudatorem, natum esse ex patre fabro lignario, ergo non esse legatum divinum; educatum esse eum Nazarethae, unde nihil boni venire possit; esse rebellem, qui tributa solvi prohibeat etc. Huius peccati facilior erat venia. Qui enim Christo non credebat, vel quia ipsius humilitate offendebatur, vel quia auctoritate Doctorum ab eo alienabatur, adhuc erat sanabilis, et poterat miraculis eo adduci, ut errorem suum agnosceret, ὃς δ' ἂν εἴπῃ κατὰ τοῦ πνεύματος — ἐν τῷ μέλλοντι.) *Qui autem opera divina* (Dei vim) *criminatur, is nunquam remissionem accipiet.* In antiquis Hebraeorum Monumentis saepe opponuntur עוֹלָם הַבָּא et עוֹלָם הַזֶּה, sed integra phra-

sin

sis significat: *nunquam*. In Codice Talmudico *Chasidim* extat historia de quodam aegroto, ad quem accesserit medicus, ut ei mederetur, eique dixerit: Si aquam biberis, eris in periculo; si item certum cibum ederis, eris itidem in ipsius vitae discrimine. Nihilominus aegrotus ille dixit filio suo: Da mihi cibum illum interdictum: Sin minus, *non condonabo tibi* לא בעולם הזה ולא בעולם הבא i. e. *nunquam tibi condonabo*. Significant nostra Matthaei verba nihil aliud quam quod Marcus c. III, 29. dicit: *οὐκ ἔχει ἄφεσιν εἰς τὸν αἰῶνα, nunquam habet remissionem*, nec est talibus colligendum, quod post hanc vitam quoque remissio quaedam futura sit. Vid. *Vorstii* Philolog. sacr. c. II. p. 41. s. edit. *Fischer*. Est igitur in his etiam verbis Christi *σφοδρότης*, cuius exemplum habuimus supra c. XI, 21. nec eiusmodi impetus pathetici sub leges sedatae orationis revocari debent. Alii cum *Chrysostomo* exponunt: *punietur graviter, et in hoc et in futuro seculo*. Sic etiam *Grotius*, *Michaelis* et plerique alii. Ad nostram sententiam proxime accedit *Doderlini*, Theologi Ienensis, interpretatio, in Th. Dogm. P. II. pag. 95. edit. 2dae. Populariter nempe dictum videtur, ut si quis graviter offensus negaverit, se cum adversario unquam in gratiam rediturum, quum hoc tantum velit, se commissi sceleris veniam aegre concessurum. Sensus verborum Iesu itaque esset: *Equidem quascunque iniurias tolerare vellem. Iede andere Sünde kann dem Menschen eher vergeben werden als diese*

33. *ἢ ποιήσατε — γινώσκεται)* *Ponite* (si ponatis) *arborem bonam, et fructus eius erit bonus, vel malam ponite et fructus edet malos: e fructu enim dignoscenda est arboris ratio* (s. indoles). Hoc vult dicere

cere Christus: Si negare non potestis bona esse, qua ego ad salutem hominum facio, fateamini oportet, me bonum et benignum esse. Sin autem malum me esse, et malo daemone agi putatis, ostendite quid mali fecerim, tali consortio dignum. Qualis enim arbor, talis fructus. Quodsi ex fructibus cognoscitur arbor, cuius sit indolis, utrum bona sit, an vero mala; ex dictis et factis meis facile intelligere poteritis, utrum ego sim bonus, an vero malus. Quales vero vos sitis arbores, satis proditis, quando opa diaboli me daemonem eiecisse, malitiose dicitis. Edite igitur fructus bonos, ut, vos bonas esse arbores, innotescat. Ποιήσατε. i. e. *ponite* vel *statuite*. Ita et Latini dicunt *fac*; pro quo Graeci dicerent *τίθετι*. Argumentatur Christus ab effectu ad caussam, et ostendit, calumnias eorum ne ad communem quidem hominum sensum cohaerere.

34. γεννήματα — ὄντες;) *Quomodo igitur vos viperina proles, possetis bene loqui, improbi quum sitis?* De phrasi γεννήματα ἐχιδνῶν, vid. supra c. III, 7. Sensus nostri loci erit: *Ex malis maioribus orti mali homines, a vobis ipsis documentum sumite, quam vera sit illa sententia. Nam quum intus mali sitis videmus etiam male esse, quae profamini* Pro subiectae materiae ratione, τὸ δύνασθαι intelligendum, non κατὰ τὴν φυσικὴν ἀκρίβειαν, sed κατὰ τὴν ἠθικὴν πλατύτητα. Ἀγαθὰ λαλεῖν *recte sentire et iudicare*, cuius contrarium h. l. est, βλασφημία. v. 31. cf. v 32. Hoc autem intelligendum est, non de uno aut altero actu, sed de eo, quod ἐπὶ πολὺ accidit, quod etiam subiecta ratio apertissime ostendit. ἐκ γὰρ τοῦ περισσεύματος τῆς καρδίας τὸ στόμα λαλεῖ) *Quae enim sunt in animo, os eloquitur.* περίσσευμα, *abundantia, copiae* (θησαυρὸς v. 35.) et περισσευμα τῆς καρδίας, quicquid in animi

quae

quasi penu reconditum est, *desideria, cogitationes, sensus animi.* Sicut ventriculus, quod in se abundat, evomit, ita et cor. Qualis animus, tales sunt sermones hominis.

35. Ὁ ἀγαθὸς — πονηρὰ) *Bonus homo e bono pectoris penu bona, malus autem e malo mala expromit.* Τῆς καρδίας post ἀγαθὸς θησαυροῦ, est interpretamentum, e commate praecedente, vel e loco parallelo Luc. VI, 45. petitum. Vid. *Griesbachius* ad h. l. Ἐκβάλλειν, *proferre, expromere*; προφέρειν, Luc. VI, 45. Utroque verbo utuntur LXX. pro hebr. הוֹצִיא. Καὶ *sed.*

36. λέγω δὲ — ῥῆμα ἀργὸν κρίσεως) *Mihi credite, homines rationem reddere oportebit aliquando de dictis et vocibus perniciosis, quas emiserint, omnibus.* Ῥῆμα ἀργὸν h. l. est *sermo damnosus et perniciosus*, qui aliis valde obest, et facit ut peccent. Codices nonnulli iuniores pro ἀργὸν habent πονηρὸν, haud dubie ex glossemate, quod vero vim vocis ἀργὸν bene exprimit. Sic etiam interpretes, Syrus et Hebraeus, a Sebast. Munstero editus, transtulerunt. Sic apud Xen. Cyrop. I, 3. 8. μὴ λυπτελῆ εἶναι est *perniciosum esse, exitium afferre;* et ap. Cic. off. I, 10. III, 13. *inutile* dicitur de eo, quod *detrimentosum* est. Hanc autem significationem h. l. tenendam esse, series orationis Iesu docet. Pharisaei enim tales voces emiserant, quibus vulgus leve facile adduci poterat, ut Iesum, non legatum divinum, sed magum esse crederet. (Vid. *Io. Frid Fischerus* de vitiis Lexic. N. T. Prolus. 25.) Docet igitur Christus, homines non tantum de factis, sed et de dictis et sermonibus perniciosis atque damnosis reddituros esse rationem atque iustas poenas daturos in illo iudicii die, et altera post mortem corporis vita.

37.

37. ἐκ γὰρ — καταδικασθήσῃ) *Quisque enim ex sermonibus suis convinci poterit, an fuerit bonus, an vero malus.* Καταδικάζεσθαι opponitur τῷ δικαιοῦσθαι ut hebr. יצדיק et יחרישו sibi opponuntur, Prov. XVII, 15. Illud est *condemnari*, hoc *absolvi*. Videtur esse proverbialiter dictum. Coram tribunalibus nempe auditur reus, et confessione eius nititur sententia iudicis, qui reum vel absolvit, vel damnat, et in ferenda sententia non tantum facta sed et verba, sermones, et propriam confessionem hominis rei respicit. Proverbium hoc Christus ad divinum iudicium refert, quasi dicat: Etiamsi facta alia non extarent, ex solis sermonibus facile constabit, probi an improbi sitis. Itaque καί, quod sequitur, vim habet disiunctivam.

38. τότε ἀπεκρίθησάν τινες) Non iidem qui Christum magicae artis accusaverant, sed alii, qui non accusantium, sed dubitantium speciem prae se ferebant. *Lucas:* (c. XI, 15.) ἕτεροι δὲ πειράζοντες. Διδάσκαλε, θέλομεν — ἰδεῖν) *Velimus a te aliquod prodigium edi.* Θέλομεν, *velimus*, seu *optamus*. Vid. *Raphelii* notas Xenophonteas ad h. l. Hunc sensum indicare voluisse videntur, qui hic scripserunt θέλωμεν. Σημεῖον, i. e. *signum* vel *documentum legationis divinae*, hic non miraculum quodcunque, quum plura quotidie ederet Iesus, sed tale indicat, quod Matth. XVI, 1. Marc. VIII, 11. et Luc. XI, 16. vocatur σημεῖον ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, h. e. eiusmodi, quod in coelo et circa res coelestes versaretur. Petebant signum de coelo eiusmodi, cum Moses manna dedit de coelo, Iosua stitit solem, Samuel tonitru et grandinem excitavit, Elias ignem et pluviam demisit. Pharisaei nimirum, quum viderent, populum miraculo, in coeco et muto edito, eo perductum, ut clamaret: *nonne iste est Davidis filius?*

v. 25. bonam hanc de Christo opinionem ex animi hominum abolere, vel saltem dubiam facere voluerunt postulatione signi huius generis, indicaturi hoc ipso, omnia ista, quae huc dum vidissent, non fufficere. Sed Pharisaei et hoc dicebant tentantes Iesum, ut occasionem reperirent illi obtrectandi. Si edidisset, dixissent fascinatione oculorum ea videri quae non sunt, nimiam distantiam impedire, quo minus distincte res videri possit etc. Fortassis etiam tale desiderabant miraculum, ex quo appareret, eum liberaturum esse Iudaeos a Romanorum potestate. Eiusmodi signum Christus edere nec debuit, nec voluit.

39. Γενεὰ μοιχαλίς, *adulterina soboles*, quae falso parentes iactat *Abrahamum*, *Isaacum*, *Iacobum*. Io. VIII, 39. 41. Ies. LVII, 3. καὶ σημεῖον — προφήτου) *Sed non dabitur ei aliud documentum* (divinae meae legationis) *nisi signum*, *quod est Ionas Propheta*. Sic enim ad verbum reddendum est, ex Hebraismo. Documentum legationis meae divinae erit hoc, quod mihi eventurum est aliquid simile ei quod Prophetae Ionae evenit. Non dicit Iesus, id quod evenit Ionae fuisse Ninivitis σημεῖον, s. fidei argumentum, quo et Ionam divinitus missum ut crederent, adducerentur, et ad obsequium sermonibus eius praestandum, permoverentur. Ninivitae enim non ipsi viderant id, quod Ionae evenerat. Ad frugem redierunt εἰς τὸ κήρυγμα Ἰωνᾶ, infra v. 41. Hoc unum dicit Iesus: Ex iis, quae *mihi* evenient, luculenter apparebit, a Deo me esse missum. Quid autem intelligendum sit, statim comm. 40. dicitur. καὶ pro ἀλλὰ. Petebant signum de coelo: promittitur autem signum ab inferis, nimirum resurrectio, quae omnium miraculorum maximum atque efficacissimum fuit. Non vindicabo vos in eam, quam expetitis libertatem, inquit Iesus; sed moriar, et tertio die re-

resurgam. Aliter totum hunc locum explicat D. *Paulus* in Commentar. τὸ σημεῖον non esse miraculum, (de quo v. 40.) sed τὸ κήρυγμα Iesu, existimat. Comma sequens parenthesi includendum, continere putat non ipsius Iesus verba, sed falsam explicationem sermonis Iesu. Quae coniectura, an probanda sit, alii iudicent.

40. ἐν τῇ κοιλίᾳ τοῦ κήτους) κῆτος alii per *piscem magnum* in genere verti volunt, alii per Balaenam; alii malunt *carchariam* canem, quem alias et *lamiam* vocant, alii rursus ingentem piscem, *Orcam*, quem *Theod. Hasaeus* in singulari *disquisitione de Leviathane Iobi et ceto Ionae* (Brem. 1723. 8.) ita describit, ut intelligatur, os eius, fauces, et guttur et ventrem tantae esse capacitatis, ut singula eorum vel pluribus hominibus capiendis paria sint. Belluam hanc marinam nomen *Orca* sortitam esse volunt a vasis olearii vel vinarii similitudine, quam referat. *Plin.* L. IX, cap. 6. Singularis est *Lessii* sententia, (vid. eius *vermischte Schriften*, 1782. 8.) in navim, cui nomen *magnus piscis*, singulari providentia Dei advectam, receptum esse Ionam, et tertio di expositum littori. Nec tamen prorsus nova est haec sententia. *Clericus* enim in Biblioth. Vet. et Nova Tom. XX. Part. II. refert, fuisse aliquem, qui suspicatus sit, omnem illam historiam Ionae ita capiendam esse, quod Propheta, in mare antea praecipitatus, tandem beneficio navis cuiusdam e fluctibus et vitae periculo evaserit, quam ipse deinde magni piscis nomine et habitu describat. In navis huius parte inferiore per triduum vinctum iacuisse, donec a navarcho expositus libertati suae vindicaretur. Vid. *Wolfii* cur. ad h. l. qui etiam refert, fuisse nonneminem, qui, quicquid hoc est, pro somnio Prophetico habuerit, quam sententiam etiam *Hermannus von der Hardt* variis

riis libellis, latine et germanice editis, et ante paucos annos *Henr. Adolph. Grimm*, Prof. Duisburg. ornare studuerunt. Aliam sententiam Viris doctis examinandam proposuit filius meus, *Ern. Frid. Carolus* in Scholiis in Vet. T. Partis VII. Vol. II. p. 354. qui alludi putat, ad mythum, fortasse Phoenicium, inter Graecos quoque pervulgatum, de Hercule a Marino monstro devorato, sed incolume inde egresso. Sive vera fuerit Ionae historia, sive somnium propheticum, sive denique fictio poëtica, nihil refert. Christum enim illustrandi caussa saepe fictionibus adeo vulgo creditis usum esse, patet ex iis, quae infra ad v. 43. 44. 45. dicentur. Hanc docendi rationem popularem persona doctoris ingenui non esse indignam, laudandam potius et imitandam, aequus et peritus harum rerum arbiter quivis facile concedet. ἐν τῇ καρδίᾳ τῆς γῆς) *intra terram*, in sepulcro. Hebraismus. Alludit Christus ad verba *Ionae*, qui se proiectum dicit בִּלְבַב יַמִּים, εἰς καρδίας θαλάσσης ut transferunt LXX. τρεῖς ἡμέρας καὶ τρεῖς νύκτας) Christus duas tantum noctes et unum diem in sepulcro latuit; solet autem dies quo sepultus est, et dies quo resurrexit connumerari, eodem modo, quo transfiguratio Christi Matth. XVII, 1. post sex dies, Luc. IX, 28. post octo dies contigisse narratur. Thalmud. Hierosolym. Schabbos: *Dies et nox constituunt* עונה *νυχθήμερον noctiduum; et pars* עונה *est sicut totum.* Plura exempla vid. ap. *Wetsten.* Non abhorruisse ab usu sermonis inter Iudaeos recepti, ut dies duo et noctes tres appellentur dies tres et noctes tres, abunde liquet ex eo, quod nunquam Apostolis controversia mota fuit a Iudaeis de spatio hoc dierum trium et noctium, quo se Christus in sepulcro mansurum esse praedixerat. Igitur vult Iesus: Sicuti Ionas triduum fuit in visceribus belluae im-

immanis, et tamen in vita conservatus est: ita etiam Messias per triduum erit in visceribus terrae, et tamen vitae reddetur.

41. ἄνδρες Νινευῖται) Ninivitae, quos ut profanos contemnitis. Illud ἄνδρες addere fere solent Graeci, Latini praetermittunt. Hebraei quoque addunt, sed primitivis, non derivativis; dicunt enim: Viri Ninive, sicut Viri Ierusalem. ἀναστήσονται — κατακρινοῦσιν αὐτήν) *Assurgent contra hanc nationem eamque condemnabunt*, i. e. *Surgent in iudicio divino, et declarabunt, vos merito damnatos, si ad ipsos conferamini.* Γενεὰ hic, ut v. 39. non est universa natio Iudaica, sed gens perversa Pharisaeorum. Ἀναστήσονται, *surgent*, pro simplici accipitur, atque refertur ad iudiciorum consuetudinem; soient enim assurgere, qui in publicis coetibus aliquid sunt dicturi. Surgent tanquam actores, vel testes, et reos peragent Iudaeos. Μετὰ, *adversus.* ὅτι μετενόησαν — Ἰωνᾶ) *Nam ad Ionae exhortationem ad frugem rediere.* Εἰς *propter;* nam in rariori illa significatione hic sumitur ut hebr. ל. καὶ ἰδοὺ — ὧδε) *Et tamen hic longe praestantior Iona est* καὶ ἰδοὺ, *et tamen*, ut supra c. VII, 4. πλεῖον. hebr. יתרון. Plus vobis praestitum est, quam illis in Iona. Multo praestantior est mea doctrina; illustriora sunt miracula a me edita. Quod igitur non redire vultis ad frugem, id indicio est, vos multo esse peiores et insanabiliores Ninivitis. Simile dicendi genus habuimus supra c. XI, 23. 24.

42. Βασίλισσα νότου — κατακρινεῖ αὐτήν) Regina australis traditur venisse ex Arabia, quae nobis quidem est versus Orientem, illis autem, qui in Palaestina sunt, versus meridiem est. Huius igitur reginae facta augebunt Iudaeorum culpam. Apparebit in illo die, illam multo melio-

liorem fuisse his hominibus. (v. 41.) ὅτι ἦλθεν — Σολομῶντος) *Venit enim e longinqua regione ad audiendam sapientiam Salomonis.* 1 Reg. X. Πέρατα τῆς γῆς, *termini terrae*, in sacris literis dicuntur *longinquae et procul remotae terrae*, hebr. קְצֵי אֶרֶץ Ps. XLVIII, 10. et קְצֵי הָאָרֶץ Ps. LXI, 3. et aliis locis. πλεῖον Σολομῶντος) Mulier delicata, inquit Christus, fama Salomonis excitata est, ut molestum iter, relicto throno suo susciperet, et illi pretiosa munera afferret: ego ad vos ultro veni, in urbibus vestris praedicavi, munera nulla postulavi, etc. nec tamen vultis mihi monenti locum dare.

43 — 45. ὅταν δὲ — τῇ πονηρᾷ) *Quando enim impurus daemon reliquit hominem, peragrat loca deserta, quaerens* (alium) *habitandi locum, nec tamen reperit. Tandem veterem sedem repetere constituit, et reversus reperit eam vacantem, scopis mundatam et ornatam. Tum vero assumtis pluribus sociis, se ipso adeo peioribus, tam firmiter cum his sedem ibi solet figere, ut conditio istius hominis longe fiat miserior quam fuerat antea. Hoc ipsum quoque huic nationi accidet.* Huius loci sensus, demta imagine hic esse videtur: *Nam contumacia et improbitas huius gentis crescit indies, et ad extremum non poterit sanari amplius.* Δὲ, h. l. significat *enim*, ut saepius. Sic cohaerent haec tria commata cum v. 41. et 42. Similitudo desumta est ab iis aegrotis, qui tum temporis daemoniaci dicebantur. Notandum est nempe, universa haec dicta esse ex opinione hominum tum viventium, et concludi κατ' ἄνθρωπον, sumi nempe id esse, quod homines esse credunt, et inde colligi aliquid, quod est iam per se verum. Putabant nempe Iudaei, morbos plane singulares

et

et gravissimos ortos esse a daemoniis, quia caussas morborum reperire non poterant, nec tamen morbos esse negabant. Ergo impurum daemonium (το ακαθαρτον πνευμα) egredi ex homine dicebatur, quando morbus cessabat. Ex eadem vulgi opinione redit daemonium, quum morbus denuo inchoat; daemonium cum septem (i. e. pluribus) aliis venit, quum morbi vis fit vehementior et crescit, ut fit cum tempore. Sic homines illis temporibus loquebantur. Iam Christus cum morbis corporis comparat morbos animi, quibus Iudaeorum maxima pars tum laborabat, ut patet ex verbis comm. 45. ουτως εσται τη γενεα ταυτη τη πονηρα. Quemadmodum nempe daemoniacus, cuius morbus, quum sanatus esse videretur, redit, in dies fit miserior, quoniam morbus eius in dies augetur; sic quoque (Iesus inquit) haec aetas hominum mala et perversa in dies fit peior et miserior. Isti homines a minoribus peccatis ad maiora progrediuntur. Iam me accusant, quod ope diaboli miracula patrem; mox me ut rebellem et fraudatorem interficient. Ceterum ανυδρους τοπους intellige loca deserta, in quibus nemo libenter habitet. Nam LXX. interpretes pro אֶרֶץ בְּלִי מָיִם Ps. LXIII, 2. צִיָּה Iob. XXX, 3. מִדְבָּר Ies. XLI, 19. et יְשִׁימוֹן saepe habent γη ανυδρος. Alludere videtur Christus ad expulsionem daemonum per exorcismos. Poterant quidem Iudaei exorcistae medicamentis adhibitis, lucida intervalla aliqua obsesso inducere, ita ut inhabitans daemon in tempus aliquod mitescere, nec hominem turbare videretur; sed mox rediit pristinum malum. Hic ergo Exorcistae arti suae ita consulere volebant, ut dicerent, Daemona in loca arida amandatum, locum habitandi non invenisse, rediisse ergo in pristinam suam mansionem, quam aptam sibi ac paratam

tam iam olim fuerat expertus. ἀνάπαυσιν) i. e. *habitandi locum*; ita enim Hebraei usurpant מָנוֹחַ. Ies. XXXIV, 4. Ps. CXXXII, 14. Hanc ἀνάπαυσιν, domum, (corpus hominis obsessi) daemonium rediens invenit σχολάζοντα, σεσαρωμένον, καὶ κεκοσμημένον *vacantem*, scopis mundatam, et ornatam; i. e. *possessionem non vacuam tantum, sed et paratam* Nihil est impedimenti, quo minus possit eam domum intrare. ἑπτὰ ἕτερα πνεύματα) Quicquid in suo genere ad planam mensuram pervenit, septenario numero significatur. καὶ γίνεται — τῶν πρώτων) τὰ ἔσχατα, sc. κακά. *Posterius malum longe fit gravius, quam fuerat antea.* Nos hodie diceremus: Si febris expulsa est, et sanatus valetudinem non curat diligenter, redit idem morbus, et recidiva febris multo est periculosior et insanabilior. ὅτως ἔσται καὶ τῇ γενεᾷ ταύτῃ τῇ πονηρᾷ) Eodem modo sese habet res cum mala hac natione (Iudaica) quam ad meliorem frugem perducturus eram. Sanare eam volui, et liberare ab ignorantiae et vitiositatis morbo. Sed respuit medicinam. Quia igitur miraculis meis et beneficiis se non promoveri patitur, longe peiori loco erit, quam si me nunquam audivisset, meaque miracula nunquam vidisset.

46. ἰδὲ, ἡ μήτηρ — ἀυτὲ) Nomina fratrum Christi legimus infra, c. XIII, 55. An consobrini, an vero germani fratres intelligendi sint, valde dubium est. Cf. ad c. XIII, 55. a nobis notanda. εἰςήκεισαν) habet terminationem plusquamperfecti, sed significationem imperfecti. ἔξω) *Foris.* Prae turba non poterant ad Iesum accedere. Luc. VIII, 19. Cum autem mater non solum, sed et fratres venissent, et omnino cum ipso colloqui expeterent, videntur de re magna et negotio urgente agere cum eo cupiisse, ni-

mi-

mirum audita Pharisaeorum calumnia, videntur Iesum de periculo monere, eique, ut se propere subduceret, suadere voluisse. Cf. Marc. III, 21. 22. et *Paulum* ad h. l.

48. Τίς ἐστιν ἡ μήτηρ μου) ostendens, se in mandato sibi officio nihil tribuere sanguinis propinquitati, sed voluntati divinae quam maxime obtemperantes, eos sibi esse carissimos.

49. Καὶ ἐκτείνας — ἀδελφοί μου) *Et demonstratis extensa manu discipulis, hi, inquit mihi sunt instar matris et fratrum.* Tam cari mihi sunt, ac mater et fratres. Hebraei solent haud raro omittere כ similitudinis, quod Alexandrini interdum supplent, ut 1 Sam. XXV, 16. *erant nobis murus*, חוֹמָה, ubi habent: ὡς τεῖχος. Cf. Deut. XIX, 4. et Ierem. XXVI, 18.

50. Ὅστις γὰρ — μήτηρ ἐστί) *Quisquis enim patris mei celsissimi voluntati obsequitur, is mihi aeque carus est ac* etc. Cf. supra c. VII, 21. VI, 9. Christus opponit patrem in coelis matri quae in terris erat, simulque indicat, se peculiari modo Dei filium esse.

CAP. XIII.

1. Ἀπὸ τῆς οἰκίας) Quae angustior erat, quam ut auditores capere posset, ut apparet supra c. XII, 46. ἐκάθητο) docentium more, ut supra V, 1.

2. εἰς τὸ πλοῖον) *Navem aliquam.* Nam articulus τὸ hic indefinite sumitur.

3. Ἐλάλησεν αὐτοῖς πολλά) *docuit eos multa.* Nam λαλεῖν τινι, saepe est *docere aliquem* Marc. cap. IV, 2. ἐδίδασκεν αὐτούς. ἐν παραβολαῖς) παραβολή, (παρὰ τὸ παραβάλλειν, quod inter alia quoque *comparare, unum*

cum altero conferre significat,) est *comparatio, collatio unius cum altero*, Hebraeis מָשָׁל, a radice מָשַׁל, quae non tantum *dominari*, sed et *comparare, alterum alteri simile dicere*, significat. Ps. XLIX, 13. les. XIV, 10. Cicero *collationem* dixit. Interdum itaque Parabola Scriptoribus N. T. est quaecunque comparatio et illustratio ex alia re ducta, vel etiam proverbium. Proprie autem *parabola* est fictae alicuius rei ad aliam significandam narratio; *fabula*. Duplex genus est parabolarum a Christo propositarum; unum, quod pertinet ad illustrandam morum doctrinam, et officia vitae continet; alterum, quod obscure significat regni divini indolem et fata futura, quorum intelligentia certa difficilior erat, quia non nisi intellectis aliis, aut a Iesu expositis, obtineri posset. Multa de duplici hoc parabolarum genere commentatus est *I. Iac Hess* in libro: *Ueber die Lehren, Thaten und Schicksale unsers Herrn*. Sect. VI. Ad usum praeticum parabolarum utilis est liber *I. L. Ewaldi*, cui titulus: *Der Blick Iesus auf Natur und Menschheit, oder Betrachtungen über die Gleichnisse unsers Herrn*. Lips. 1786. Adde: *Sammlung und Erklärung der parabolischen Erzählungen unsers Herrn, von G. L. Bauer*. Leipz. 1782. *Storr dissert. de parabolis Christi*, et alios. Ex earum parabolarum genere, quibus significantur regni divini natura et fata futura, sunt eae, quae iam sequuntur. Caeterum huiusmodi παραβολῶν, qualibus Christus usus fuit, apud Hebraeos et in Palaestina plurimus usus fuit, uti et Hieronymus, qui in Palaestina vixit, ad c. XVII. Matthaei notavit. De eodem Hebraeorum more etiam constare potest ex Talmudicis et Rabbinicis scriptis; in his enim non aliae modo, sed et tales, quae parabolis sacris perquam similes sunt, reperiuntur, e. c. de

di-

divite epulone et paupere, de operariis a patrefamilias in vineam vocatis etc. Similem huic, quae sequitur parabolam ex Talmude Hierosol. in *Kilaim* cap. I. attulit *Ligthfootus* in Opp. Posth. p. 42. Christus eam populo proposuit, sine addita explicatione, (Vid. notata ad v. 10.) discipulis suis vero sensum eius exposuit infra v. 18. sqq. Ἰδὲ — σπείρειν) *Ecce, abiit sator quidam ad serendum.* In participio ὁ σπείρων articulus est ἀόριστος, pro: σπείρων τις, respondens Hebraeorum יִּ, praefixo verbis et participiis; nam Hebraeos linguae penuria coegit pro verbalibus participia ponere.

4. 5. Ἃ μὲν sc. σπέρματα, s. σπαρέντα, *grana.* Ἄλλα δὲ — βάθος γῆς.) *Alia autem* grana *inciderunt in loca petrosa, ubi parum terrae habebant; et celeriter quidem progerminarunt, quoniam non habebant satis profundam terram.* τὰ πετρώδη, s. χωρία, vel μέρη. Εὐθέως: h. l. non significat *statim, subito*, sed *celeriter*, opinione citius, ut 3. Io. v. 14. et εὐθὺς Io. XIII, 32. Ἐξανέτειλε) Sic LXX. reddiderunt צָמַח, Gen. II, 9.

6. Ἡλίᾳ — ἐκαυματίσθη) *Sed per solis aestum torrefacta sunt.* In Palaestina seritur mense Novembri, ubi plerumque coelum nubibus est tectum. Crescit igitur fructus in locis lapidosis: sed excrescit, quando sol nubes dissipat. διὰ τὸ μὴ ἔχειν βίζαν) *Quia satis altas radices agere non poterant.* Hebraei saepe negant simpliciter, quod cum restrictione negandum est, e. g. Gen XLVIII, 10. ἐκαυματίσθη, *torrefacta sunt*, ut *Columella* loquitur. Nam τὸ καῦμα ardorem declarat, a quo deducitur καυματίζεσθαι, ardore exhauriri et torreri.

7. ἀνέβησαν αἱ ἄκανθαι) i. e. *excreverunt spinae.* Virgil. *Carduus et spinis surgit paliurus acutis.* Sic

LXX. Ies. XXXII, 13. vertunt hebr. verbum עֲלֵי־ eodem sensu.

8. ὁ μὲν sc. σπέρμα, *granum*, i. e. ἑκατονταπλασίονα, ut Lucas habet, c. VIII, 8. aliud semen ex iactis fert centum, sc. sui generis grana, vel ἑκατονταχῶν, ut loquitur Theophrastus. Quod de Sybaritano agro a *Varrone* proditum, de re rustica: a Plinio de Byzacio et Babylonia. *Herodotus* I, 193. de regione Babylonica inquit: Cereris fruges tam bene fert, ut semper reddat ad ducentena. Cumque suam etiam ipsa bonitatem superat, tunc fert ad trecentena. Quae *Niebuhr* de fertilitate Orientis tradit, sunt incerta, fatente ipso Viro integerrimo. Vid. eius descriptio Arabiae p. 151. sqq. *Herodotum* et nostrum locum putat loqui non de tritico, sed de *Holco*, i. e. *Dúrra, kleinen Mais, oder dem sogenannten türkischen Waizen.* Nec Arabes (quod ad plebem attinet) alio pane, nisi ex Dúrra confecto facile vescuntur, Triticum autem vendunt. Plura habet *Wetstenius.* Notandum autem est, h. l. sermonem esse de singulis granis, non de coris; unum granum reddidisse centum alia etc. Vid. *Michaelis* ad h. l. Quod hodie in Orientis regionibus agri minus fertiles sunt quam priscis illis temporibus, id tribuendum est pigritiae incolarum, qui in colendis agris sunt negligentiores. Sic *le Gentil* narrat (Voyages Tom. II.) in Philippinis insulis hodie nonnisi sexagena reddere agros, qui olim centena cum quinquagenis reddidissent.

9. ὁ ἔχων ὦτα, ἀκουέτω) Vide c. XI, 15.

10. ἐν παραβολαῖς) *Per parabolas* s. similitudines *obscure;* nempe sine addita explicatione. Αἱ παραβολαί, sive comparationes, similitudines, sunt vel *perfectae*, vel *imperfectae.* Perfectae sunt, quae προτάσει et ἀποδόσει con-

constant; imperfectae, quae alterutra solummodo, ubi non additur, quanam in re similitudo ista consistat. Tales parabolae habent aliquid aenigmaticum; et ex hoc genere erat ea, quam Iesus modo proposuerat. Mirantur igitur discipuli, et interrogant, cur populum per similitudines sine addita explicatione edoceat?

11. ὑμῖν — οὐρανῶν) *Vos intelligere potestis obscuros sermones de regno Dei.* Μυστήριον in se significat quamlibet rem occultam, arcanam, hominibus ignotam, hoc autem loco nominatim obscurum sermonem, qui eget explicatione, doctrinam hactenus incognitam. Μυστήρια τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν sunt parabolae, vel obscuri sermones, quibus describitur natura regni Dei, coetus christiani. Istas parabolas, (inquit Iesus discipulis suis) ὑμῖν δέδοται γνῶναι, *vos potestis intelligere.* Δίδωμι inter alia significat, *concedo, facultatem tribuo* Cur autem intelligere poterant? Quia erant discipuli interioris admissionis, ἐσωτερικοί, qui doctorem interrogare, et eandem rem saepius audire poterant. Ἐκείνοις δὲ οὐ δέδοται, *illi autem non possunt intelligere.* Qui hic dicuntur ἐκείνοι, eos Marcus c. IV, 11. vocat τοὺς ἔξω Sunt autem *Exoterici, extranei,* qui non sunt in alicuius magistri schola. Tales erant omnes praeter discipulos Iudaei, qui Christum non semper sequebantur, sed modo eum curiosi adibant, audiebantque, modo domum redibant. Hi non poterant intelligere parabolas de regno Dei, quia non erant in schola magistri, nec poterant eandem rem saepius audire.

12. ὅστις γὰρ — ἀπ' αὐτοῦ) *Qui enim habet,* (et recte utitur acceptis) *ei plus dabitur, et ipse ditescet; qui autem parum habet, ei etiam exiguum quod habet auferetur.* Est proverbium, quod ad varias res ac-

com-

commodari potest. Proprie dicitur de divitibus et pauperibus. Divites enim facile opes augere possunt; pauperes vero, qui pauca habent, nec paucis recte utuntur, facile ad ultimam egestatem rediguntur. *Habere* hic dicitur, qui abundat re aliqua: *nihil vere habere*, hyperbolice, pauca admodum possidens, *pauper*. Apud *Demosth. et Aristophanem* (in *Pluto* 596.) ἔχειν et πλουτεῖν ut Synonyma coniunguntur. Contra μὴ ἔχειν, aut μηδὲν ἔχειν *pauperem esse*, apud *Aristophan. Plut* 552 πτωχῷ μὲν βίος ὃν σὺ λέγεις ζῆν ἔστι μηδὲν ἔχοντα. Sic etiam nos de eo, cui est curta suppellex, dicere solemus: *Er hat nichts*. Iam si hoc proverbium ad praesentem rem applicatur, sensus est: *Qui enim fundamenta religionis bene iecit, is indies maiores faciet*, vel facere potest, *progressus*. Ἔχειν est *habere aliquid cognitionis;* nam de religionis cognitione est sermo. Is igitur, qui attento animo audit initia doctrinae, qui audita intelligit, iisque convenienter vivit, is in cognitione veri magis magisque proficiet. Περισσευθήσεται, *ditescet datis. Qui autem vix primis labris degustavit doctrinam, is facile pauculorum, quae didicit, oblivisci potest.* Ὅστις ὀλίγα ἔχει, in applicatione proverbii est *tiro*, qui paucula et fere nihil didicit. *Ab eo* igitur *auferetur quod didicit;* paucula illa e memoria elabentur, si non audierit probo animo. Haec proverbialis sententia infra c. XXV, 29. sensu paululum diverso usurpatur.

13. διὰ τοῦτο — συνιᾶσι) *Propterea per fabulas* (obscure) *loquor, quoniam, quum vident, non vident, et quum audiunt, non audiunt, neque intelligunt.* Est etiam haec locutio proverbialis, de iis, qui quae vident et audiunt, non capiunt. Quum simul non possint consistere, βλέποντες εἶναι, et tamen μὴ βλέπειν, facile ap-

apparet, voces diversa significare. Ergo vox βλέπειν semel quidem proprie, deinde vero figurate est accipienda. *Vident, sed non recte audiunt*, i. e. ut statim additur: *ἐ συνιᾶσι, non capiunt.* Sciunt Scriptores quoque profani, esse etiam τῆς διανοίας ὄμματα, *mentis oculos.* Possis etiam vertere: *Quoniam, quum videre videantur, non vident; et quum audire videantur, non audiunt. Eurip* Bacch. v. 332. καὶ Φρονᾶν ἀδὲν Φρονεῖς, *et sapiens nihil sapis.* Sensus igitur nostri loci est: *Ideo in parabolis*, (obscure) *ad illos loquor, quia, quum videant* (miracula) *tantundem est ac si non viderent; quum audiant* (doctrinam meam) *tantundem est, ac si nec audirent, nec intelligerent.* Fusius explicatur, quod com. 12. dictum erat. Non contumacia his hominibus exprobratur; qui enim sermonem allegoricum non intelligit, propterea nondum est contumax; sed simpliciter hic describitur ignorantia et imbecillitas, cui attemperanda sit ratio docendi, ut nec plane nescii maneant, nec doceantur ea, quae capere nequeant.

14. καὶ ἀναπληροῦται — ἡ λέγουσα) *Et eventum habet in iis effatum Iesaiae, quod huius est argumenti.* Locus Prophetae extat Ies. VI, 9. 10. Nemo dubitabit, haec verba a Iesaia dicta esse Iudaeis ista aetate viventibus, et tum temporis eventum habuisse. Dicit igitur Iesus, nunc idem accidere, quod tempore Iesaiae accidit. Iudaeos sui temporis ingenium maiorem suorum referre. Ἀκοῇ — ἴδητε) *Audietis, neque tamen intelligetis, videbitis, neque tamen perspicietis.* Nomen ἀκοῇ verbo ἀκούσετε est additum, ut verbum infinitum שָׁמוֹעַ, quod in textu Hebraeo est, repraesentetur. Ceterum Iesaias utitur verbis imperativis, LXX autem, quos

quos Matthaeus sequitur, partim indicativo, partim subiunctivo. Sed eodem res recidit. Si enim dicam: *Audite auribus, quantum lubet, nihil intelligetis; et intendite oculorum aciem, nihil conspicietis tamen;* idem valebit ac si dicam: Audietis quidem, sed ita ut nihil intelligatis, intendetis oculorum aciem, sed ita ut conspiciatis nihil. Cur autem nihil intelligant, statim dicitur.

15. Ἐπαχύνθη — τάτε) *Stupidum est huius populi ingenium.* Παχύνεσθαι, hebr. הַשְׁמֵן, proprie significat *pinguem esse,* deinde vero *stupidum, tardi, hebetis ingenii esse.* Sic etiam Latini dicunt: *Pingui Minerva; pingue ingenium.* Pinguedinem enim esse signum stupiditatis, pervicaciae, torporis, et animi ab omni sensu alieni, communis fere Veterum sententia fuit. Καρδία *mentem, ingenium,* νοῦν, διάνοιαν, non mentem et animum simul indicat. Hoc autem Iudaeorum vitium mentis, haec stupiditas oriebatur (v. 13.) e segnitie et negligentia audiendi doctrinam, et perpendendi caussas miraculorum Christi. Hebraeum verbum הַשְׁמֵן *Kimchi* et plerique Hebraeorum magistri ad infinitivum referunt, ita scilicet, ut subaudiatur particula עַל vel מִן, vel aliqua similis, quasi dicas διὰ τὸ παχῦνει τὴν καρδίαν τῦ λαῦ τάτε: notum enim esse, aiunt, in eiusmodi usu verba transitiva et passiva promiscue usurpari, ut mox ἐπιστρέψωσι. Sed recte הַשְׁמֵן habetur pro imperativo, et verba הַשְׁמֵן לֵב־הָעָם הַזֶּה vertuntur: *Ostende Iudaeis, mentes eorum esse pingues et obesas.* Nam in omnibus linguis veteribus, atque adeo in Hebraea, *facere aliquid* dicitur saepenumero is, qui *docet* vel *narrat, aliquid*

quid esse vel fieri. Ier. I, 10. coll. v. 9. c. XXXI, 28, καὶ τοῖς ὠσὶ — ἐκάμμυσαν) i. e. *aures et oculi eorum hebetati sunt.* βαρέως ἤκουσαν, *graviter audiunt.* Hos vocant Graeci βαρηκόους, Latini surdastros. καμμύω per Syncopen pro καταμύω, quod Wetstenius pluribus exemplis ostendit. Apud *Hesychium* et *Suidam* explicatur per μυντίζεσθαι et μυωπάζειν, quod posterius legitur 2 Petr. I, 9. *Oculos sibi occlusere, aut sugillavere, conniverunt.* De mentis auribus et oculis sermonem esse, facile patet. Totius biennii praedicatione nihilo facti erant meliores. μήποτε — ἰάσωμαι αὐτούς) *Adeo ut nec videant, nec audiant, nec intelligant, ad frugemque redeant atque adeo ego eos sanare possim.* Μήποτε h. l. est hebraicum פֶּן, *ne.* Τῇ καρδίᾳ (i. e. νῷ) συνιέναι dicitur is, qui mente assequitur et percipit vim atque veritatem doctrinae sibi propositae. Verbum ἰᾶσθαι in genere notat *iuvare*, seu *malo liberare*, et a Graecis profanis non tantum ad corpus, sed etiam ad animum transfertur. *David Kimchi* aliique exposuerunt de peccatorum venia. Marcus etiam pro eodem posuit: καὶ ἀφεθῇ αὐτοῖς τὰ ἁμαρτήματα. Quum Iesus dicit, se propter stupiditatem populi obscure et *per parabolas* (v. 13.) proponere naturam regni divini, mirum videri posset rem non satis considerantibus, cur non potius claris et perspicuis verbis eum instituerit? Nam quo quis est stupidior, eo maior perspicuitas in eo erudiendo requiritur. Sed Christus sapientissimas habuit caussas, cur hac potissimum ratione populum instruendi uteretur. Ex historia nempe constat, Iudaeos in ea fuisse opinione, Messiam fore regem splendidum. Si igitur audivissent a Iesu, regnum Dei nihil aliud esse nisi societatem religiosam, quam nos eccle-

siam

siam dicimus, et membrum regni divini esse, nihil esse aliud nisi cultorem Dei, prorsus eum sprevissent, nec eius sermonibus praebuissent aures. Nec tamen Iesus prorsus de natura vera regni divini tacere voluit, quia attentio excitanda erat ad rem maximi momenti, et quia spes erat, fore, ut multi auditorum post resurrectionem eius et exaltationem in coelos, ex ipso eventu cognoscerent, fuisse ab ipso praevisa fata religionis suae. Nam parabolae de regno Dei sunt simul propheticae.

16. Ὑμῶν δὲ — ὅτι ἀκούει) Ex Hebraeorum loquendi usu ipsa corporis membra sensuumque instrumenta poni solent per synecdochen pro toto homine, ut 2 Reg II, 5. coll. v. 9. Iob. XXIX, 11. Deut. III, 21. Igitur sensus loci nostri est: *Vos autem beati, qui videtis, quae ob oculos sunt, et auditis quae vobis traduntur*, i. e. qui ita videtis et auditis, vel discitis, ut animo percipiatis, et intelligere possitis vobis tradita. Quid hoc sibi velit, id intelligitur e contrario, v. 15.

17. πολλοὶ προφῆται καὶ δίκαιοι) Non praecise sermo est h. l. de uno alterove Propheta proprie sic dicto, sed in universum de veri honestique amicis, Dei veri cultoribus. Ἐπεθύμησαν ἰδεῖν, *cupiebant videre*, i. e. eo usque vivere optabant, dum illa viderent. Καὶ οὐκ εἶδον) Non ista omnia, neque tam clare intellexerunt. Hebr. XI, 13. 1 Petr. I, 10. 11. imo ne angeli quidem, ut a Petro ibidem significari videtur.

18. ἀκούσατε τὴν παραβολήν) *accipite* sensum parabolae. Cf. Marc. IV, 15. et Luc. VIII, 11. sqq. τῷ σπείροντος, pro περὶ τοῦ σπείροντος.

19. παντὸς ἀκούοντος — βασιλείας) *Quoties aliquis audit doctrinam de regno* (coelorum) i. e. doctrinam salutarem. Ὁ λόγος τῆς βασιλείας est *institutio de regno*

no Dei, doctrina religionis. τῆς βασιλείας pro περὶ τ. βασ, Matth. IV, 23. Haec comparatur cum semine. Luc. VIII, 11. Docet Iesus hac parabola, se auctorem esse novae et melioris religionis, cuius semina iam tum sparserat, et quam Apostoli propagaturi erant; varios huius religionis explicat effectus, praecipue inter Iudaeos; docet, quaenam praecipua futura sint impedimenta eius, quid vitare, quid facere debeant ii, qui felicitatis cultoribus Messiae promissae participes fieri cupiant. Παντὸς ἀκούοντος, ad verbum: *omni audiente.* Sed constat huiusmodi casus absolutos in particulam *quum* resolvi solere; et oratio ipsa, quod ad subiectum attinet, potius indefinita est, quam universalis, ut sit sensus: *Quoties aliquis audit.* Optime λόγος semini comparatur; nam et latine sermo a serendo dici creditur. Etiam *Plutarchus* (de puer. educ. c. IV, §. 4.) τὸν λόγον vocat semen. μὴ συνιέντος) i. e. μὴ προσεχόντος, sc. *animum.* *Nec attendit.* Ita in Ps. XLI, 1. ὁ συνιῶν ἐπὶ πτωχὸν. ἔρχεται — καρδίᾳ αὐτῆς) *Malus ille eripit id quod inseminatum erat animo eius,* doctrinam ipsi propositam. Ἔρχεται ex Hebraismo redundat. Aufertur vel eripitur cognitio, quando in oblivionem venit, vel quando sic agimus, quasi veritatum nobis traditarum essemus obliti. Dicitur *Diabolus* impedire fructum doctrinae verae, ut ne homines serventur. Quomodo autem impediat, non dicitur. Ergo hoc inprimis tenendum est, institutionem fieri irritam negligentia, quando homo non satis attendit doctrinis religionis. Hoc vitio laborabant Iudaeorum permulti. Vana enim opinione de splendidissimo regno Messiae capti, ea tantum audire gestiebant, quae vanam spem terrenorum commodorum alerent, doctrinam contra coelestem de via ad veram huius et futurae vitae felicitatem obli-

oblivioni tradebant. Quod avibus in parabolae explicatione respondet malus daemon, apud Iudaeos novum non erat, qui soliti daemonas appellare aves. Patet ex libro *Zoar* et de morte Mosis. ἔτός ἐστιν, ὁ παρὰ τὴν ὁδὸν σπαρείς) i. e. *Qui talis est*, μεταφορικῶς dici potest, *iuxta viam consitus*. Homo satus, (σπαρείς) hic dicitur eadem ratione, qua satum agrum vocamus, qui semen excepit. Germanice: *der an dem Weg besäet ist*. Homo enim *agro* comparatur, *non semini*.

20. ὁ δὲ ἐπὶ—λαμβάνων αὐτὸν) *Qui autem super saxosa consitus est, significat eum, qui doctrinam auditam statim libenter acceptat*, i. e. ei fidem habet. Ὁ δὲ, sc. σπαρείς. ἔτός ἐστιν, *illum significat*. μετὰ χαρᾶς, i. e. *libenter*, Hebr. X, 34. λαμβάνειν, seu δέχεσθαι, *acceptare*. Videmus hinc, vix fieri posse, ut, qui ad verbum Dei diligenter advertat, eidem non adhibeat assensum.

21. οὐκ ἔχει δὲ ῥίζαν ἐν ἑαυτῷ) i. e. *eandem doctrinam non patitur radices in animo agere*. Ἐν ἑαυτῷ, hebr. בלבו, Exod. IV, 14. Non diligenter eandem expendit, eiusque praestantiam mente assequitur. Non est in ipso bene meditatum, rebus omnibus expensis, propositum summi boni adipiscendi, spretis rebus aliis. Hoc ipsum στερέωμα τῆς πίστεως Paullus vocare videtur Col. II, 5. et qui id consecuti sunt, ἐῤῥιζωμένους ἐν ἀγάπῃ Ephes. III, 18. Eadem similitudine usus Cicero dixit: *virtutem altissimis defixam radicibus*. πρόσκαιρός ἐστι) *temporarius, instabilis est*, sibi non constans, quemadmodum *amicitiae* vocantur *temporariae*. Senec. Epist. IX. *temporaria liberalitas*. Ad tempus tantum religioni adhaeret. Γενομένης δὲ — σκανδαλίζεται) *Orta enim cala-*

mi-

mitate et vexatione ob religionis professionem, statim offenditur, ab eaque desciscit. Repente religionem abiicit, ut repente admiserat. Grotius h. l. θλῖψιν pro *privata*, διωγμὸν pro *publica vexatione* accipiendum arbitratur. In verbo σκανδαλίζεται est hic μετάληψις, quae ex antecedenti consequens significat. Nam ἐν τῷ σκανδαλίζεσθαι vult intelligi τὸ ἀφίσασθαι, quod Lucas expressit, sicut qui viae salebris offenditur, aliam sibi viam eligit. Aliud hominum genus describitur, qui religionis doctrinae fidem essent habituri, sed metu calamitatum et vexationum propter eam perferendarum eam abnegaturi. Hoc a multis esse factum, historia teste scimus.

22. Ὁ δὲ — ἀκάρπος γίνεται) *Consitus autem inter spinas, significat illum, qui audit doctrinam.* Vide v. 20. Repete ἐκ κοινοῦ. Καὶ μετὰ χαρᾶς λαμβάνων: aut ut supra infraque dicitur συνιὼν. Καὶ ἡ μέριμνα — ἄκαρπος γίνεται) *Sed in quo cura rerum terrenarum et fallaces divitiae suffocant doctrinam, ita ut expers fructus sit.* In verbis: καὶ ἡ μέριμνα illud καὶ Hebraeo more positum est vice relativi: *Sed in quo.* μέριμνα τοῦ αἰῶνος τούτου est studium earum rerum, quae in hac vita splendidissimae videntur, in quo genere excellit honorum et gloriae cupido. Αἰών, hebr. עוֹלָם varia significat e. c. *aeternitatem*, *vitam hominis*, *tempus humanae vitae*, aut simpliciter *tempus*. Hic autem, ut alibi, significat *mundum*, κόσμον, *et res quae in mundo sunt, res terrenas.* Pro divitiis autem sapienter hic posuit Matthaeus ἀπάτην τοῦ πλούτου, ostendens, esse quidem divitias in rerum mediarum numero, sed plerumque inescari homines earum dulcedine, et a vera pietate abduci. Nam ἀπατᾶν significat *extra viam ducere*, vel facere ut aliquis a via aberret. Igitur ἡ ἀπάτη τοῦ πλούτου sunt *divitiae*

tiae fallaces, et deceptrices hominum. Ἄκαρπος, *fructus* (maturi) *expers*, pro quo Lucas dixit: ἐ τελεσφορῆσι, i. e. ad messem usque non perferunt frugem. Isti quidem in eo sunt dissimiles prioribus, quod et doctrinam satis intelligunt, et ab ea non subito et omnino deficiunt, non tamen in minori versantur periculo, quia a priori studio paullatim remittentes, ipsi non sentiunt, res suas in deterius labi; quo fit ut tandem securi dormiant, et sic communi cum reliquis exitio involvantur.

23. ἐπὶ τὴν γῆν τὴν καλὴν) Plane simili modo *Philo*, libro de *praemiis* ἀρετώσαν χώραν vocat τὴν λογικὴν ψυχὴν, quae a Deo sit consita. ὃς δὴ καρποφορεῖ) *Qui videlicet constanter fert fructum*, τελεσφορεῖ. Lucas hic dicit: καρποφοροῦσιν ἐν ὑπομονῇ. De uno genere hominum loquitur Christus, cuius postea varias species enumerat. ὁ μὲν ἑκατὸν, ὁ δὲ ἑξήκοντα, ὁ δὲ τριάκοντα) Significatur fructuum diversitas pro vario soli ingenio et culturae industria. Centuplus autem fructus pro summa ubertatis mensura ponitur. Docet igitur hac parabola Christus, ut quis fiat particeps beneficiorum membris regni Dei, vel cultoribus Messiae promissorum, opus esse, ut diligenter doctrinam religionis ediscat, in animum admittat, memoria teneat, atque praeceptis religionis constanter obsequium praestet, ita ut indies sapientior et melior fiat.

24. ὡμοιώθη ἡ βασιλέια τῶν οὐρανῶν ἀνθρώπῳ σπείροντι) Haec phrasis non ita intelligenda est, ac si regnum divinum cum satore compararetur, sed sensus est: simile quiddam accidit regno coelorum, ecclesiae videlicet, sive quum praedicatur Evangelium, atque quum quispiam agrum etc. Hanc explicationem confirmat Marcus, cap. IV, 26. Ἀνθρώπῳ hic est *alicui*, more Hebraeo. Explica-

tio-

tionem parabolae vide infra com. 36. seqq. quam anticipare nolumus.

25. ἐν δὲ τῷ καθεύδειν τοὺς ἀνθρώπους) ἀνθρώπους hic indefinitum est, non universale, quasi dicas: *quum dormiretur*, i. e. *nocturno tempore*. Cf. Iob. XXXIII, 15. Hoc autem nihil est aliud quam descriptio opportunitatis. ζιζάνια) Hebraei vocant זוּנִין quam dicunt esse vocem Arabicam, et significare triticum adulterinum seu viciam. *Wetst.* Vid. *Goezius* ad. h. l. Sed est potius *lolium temulentum*, *Lolch*, *Tollkorn*, *Tobkraut*, *Schwindelhafer*, *Sommertrespe*. Lolium aliquam similitudinem habet cum tritico, et hanc habet vim, ut inebriet, et cibis mixtum valde noceat valetudini. Inest etiam lolio hoc vitium, ut caliginem oculis inducat. Ovid. Fastor. I, v. 691. *Et careant loliis oculos vitiantibus agri.* SERVIUS in Eclog. 5. *Qui lolium manducant, coecitatem patiuntur.* Ἀνὰ μέσον, *inter*, hebr. בְּתוֹךְ.

29. Ὅτε δὲ — ζιζάνια) *Ubi vero efflorvit herba*, (s. germen), *fructumque edidit; tunc lolium quoque conspectum est.* Βλαστάνειν de herba cum e seminibus eiecta surgit, adeoque pro *crescere*, *efflorescere* usurpatur. Καρπὸν ποιεῖν h. l. est descriptio non messis, sed eius temporis, quo apparere sata incipiunt.

27. προσελθόντες δὲ οἱ δοῦλοι) Haec allocutio non habet in Christi explicatione ullam specialem ἀνταπόδοσιν. Nam in parabolis multa ad contextum narrationis adhibentur, non omnia ad vivum resecanda. οὐχὶ καλὸν σπέρμα ἔσπειρας ἐν τῷ ἀγρῷ) Hebraismus, pro quo Latini dicerent: *Certe tu probum semen in agro severas.*

28. Ἐχθρὸς — ἐποίησεν) *Hoc homo quidam mihi infensus fecit.* Ἐχθρὸς ἄνθρωπος; pro ἐχθρός τις.

Θέ-

Θέλεις — αὐτὰ) *Visne ut illud* (lolium) *evellamus et colligamus.* Ἀπελθόντες pleonastice positum est. Συλλέγειν h. l. est *evellere et colligere*, ut hebr. אֲסַף Deut. XXVIII, 38.

29. Caussa, cur paterfamilias lolium extirpari nolit, haec est, quia radices lolii et tritici ita inter se implicatae et nexae sunt, ut lolium evelli non possit, nisi triticum simul extrahatur.

30. Δήσατε αὐτὰ εἰς δεσμὰς) *ligate ea in fasciculos.* Exod. XII, 22. Πρὸς τὸ κατακαῦσαι αὐτὰ) Comburi iussit Paterfamilias lolium, ne tritico immixtum cerebrum turbaret, et valetudini noceret, vel fimo iniectum in agros iterum coniiceretur.

31. Ὁμοία ἐστὶν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν κόκκῳ σινάπεως) *Simile est regnum Dei* (similis est ecclesia) *grano sinapis. Sinapi* planta longe est alia, quam in nostris oris: nam post multos demum annos fructum profert, et in maximae arboris altitudinem excrescit. Hieros. Peah, fol. 20. 2. *R. Simeon, ben Calaphta dixit: Caulis sinapis erat mihi in agro meo, in quam ego scandere solitus sum, ita ut scandere solent in ficum.*

32. ὃ μικρότερον — σπερμάτων) *Quod minimum est omnium seminum.* Μικρότερον, pro μικρότατον, sive μικρότερον ὑπέρ τι τῶν ἄλλων σπερμάτων. Hinc in adagium vulgare abiit: *Pro quantitate grani sinapis; pro quantitate guttulae sinapis*, frequentissime apud *Rabbinos* rem vel quantitatem minutissimam innuentes. ὅταν δὲ — κλάδοις αὐτῆς) *Ubi vero adolevit, maximum est olerum, atque in arboris magnitudinem excrescit, ut et aves sub eius ramis commorari soleant* Κατασκηνῶν non est *nidulari*, sed *commorari*, ha-

habitare, *versari*, *quiescere*. In hac parabola Iesus solam παράστασιν protulit, ἀνταπόδοσιν vero omisit. Plena et omnibus partibus absoluta comparatio foret, si ita dixisset: Quemadmodum granum sinapis parvum quidem est, et procera tamen planta ex eo provenit: ita regni Dei, i. e. ecclesiae, parva quidem sunt initia, sed a parvis initiis mox progressus fiet ad maxima.

33. Ὁμοία ἐστιν — ὅλον) *Ita se res habet cum doctrina salutari* (et regno Messiae amplificando,) *ac si mulier quaedam fermentum commisceat cum tribus Satis farinae, donec sit totum fermentatum.* Ἐνέκρυψε respondet hebraico ענן, quod non tantum *tortam vel placentam formare* sed etiam *depsere* significat. Ezech. IV, 12. Vid. *Alb Schultens.* ad Iob. XXX, 25. Unde LXX. עגה vertunt ἐγκρυφίαν. εἰς ἀλεύρου σάτα τρία) i. e. *in Epham farinae;* nam tria sata constituunt unam Epham. Satum autem (סאה, chaldaice סאתא, unde σάτον,) continet duplum Hin, sex cabos, viginti quatuor Login, centum quadraginta quatuor ova. *Alphes.* in *Pesach* c. 5. *Kimchi* in *Mictol.* Ut paululum fermenti totam massam fermentat, ut ex parvo semine sinapis ingens arbor crescit: ita doctrina Evangelii ex parvis initiis maximum incrementum capiet, seque longe lateque diffundet. De sapientissimo consilio, quo Iesus has aliasque similes parabolas proposuit, legi possunt quae *Morus* observavit in Commentat. *de caussis allegoriae explicandae*, in Dissertatt. Theolog. et Philolog. p. 392. Quum nempe Iesus auditores imperitos haberet, quos nihilo minus admonere vellet, ex altera parte de lento suo disciplinae progressu, ex altera, de numerosissima sectatorum multitudine certissime exspectanda; neque vero posse hoc

sine circuitione semper proloqui, ne per illa bonas mentes deprimeret, levesque plane abigeret, per haec iactator videretur, qui incredibilia diceret: proposuit quasdam similitudines, quibus olim in memoriam revocatis intellecturi essent, non mirum esse, si res ita potissimum se haberet; eum enim praedixisse. – Huiusmodi igitur sermones ab iis demum plane intellecti sunt, qui eventum cognoverunt, et vicissitudines coetus christiani viderunt. Hi autem, quum eventum dictis respondere cognoscerent, facile convinci potuerunt de auctoritate, fide, divinaque legatione Christi, qui haec tam accurate adumbrata praedixerat.

34. καὶ χωρὶς — αὐτοῖς) Nempe de fatis suae religionis. Nam ad ea praecipue restringenda est haec sententia.

35. ὅτως — προφήτου) *Ita ut vere de se dicere posset Iesus, quod olim de se dixit Propheta.* Ὅτως et ἵνα non semper caussam, sed saepe eventum indicant. Locum ex Ps. LXXVIII, 2. qui inscribitur *Asapho*, desumtum esse, dubio caret. Perpauci, iique iuniores Codd. *Iesaiae* nomen exhibent, et tales iam Hieronymi aetate extiterunt. Is enim comment. in Ps. LXXVIII. testatur, multos Evangeliorum codices illud Prophetae nomen exhibere, et Porphyrium quoque hoc obiecisse, ut Evangelistae fidem et peritiam suspectam redderet. Sed nec antiqua versio latina, quam hodie *Italam* vocamus, nec *Syriaca* exhibuit hoc nomen, quod luculento argumento est, in illis quoque Codd. non fuisse lectum, ex quibus antiquissimae illae versiones confectae fuerunt. *Asaphus* 2 Chron. XXIX, 30. vocatur הַחוֹזֶה, i. e. נָבִיא, *Prophetа*, *vates*. Dicti sunt autem נְבִיאִים non tantum ii, qui futura praedicebant, et legati Dei extraordinarii ad homines erant, sed interdum etiam omnes ii, qui laudes Dei car-

carminibus celebrabant, vel carmina sacra conficiebant, *Poëtae* et *cantores*, *heilige Sänger*, *heilige Dichter*. Exod. XV, 20. 1 Sam. X, 10. 11. Sic etiam cantores a Davide constituti, נְבִיאִים dicuntur 1 Chron. XXV, 1. 2. Ἀνοίξω — κόσμε) *Per similitudines loquar*, *effabor quae inde ab orbe condito obscura* (ignota) *fuerunt*. Ἀνόγειν τόμε ἀντῇ interdum, ut hic est *loqui*, et quod amplius est, *libere loqui*. Ἐρεύξομαι, *docebo*, hebr. אַבִּיעָה. Verbum autem הַבִּיעַ, quod proprie de fontibus aquas scaturientibus usurpatur, eleganter transfertur ad eos, qui *verba faciunt*, *canunt*, *docent*. Verbo ἐρεύξομαι pro Hebraeo אַבִּיעָה utuntur LXX. etiam Ps. XIX, 3. et aliis locis, quanquam hic posuerunt φθέγξομαι, quod sensum bene exprimit. Κεκρυμμένα ἀπὸ καταβολῆς κόσμε) *Quae ignota erant ab exordio mundi*. Participium κεκρυμμένα positum hic est vice nominis ἀινίγματα, quia quod sequitur ἀπὸ καταβολῆς κόσμε cum participio cohaeret. Ita Paulus hoc ipsum, de quo hic agit Christus, vocat μυστήριον χρόνοις αἰωνίοις σεσιγημένον, Rom. XVI, 25. Cf. Col. I, 26. 1 Cor. II, 7. *Parabolae* aut *problemata* in Psalmo isto laudata non sunt istiusmodi, de quibus apud Matthaeum agitur. Asaphus enim מָשָׁלִים et חִידוֹת vocat antiquissimorum temporum historias, quas convertebat ad hortandos populares suos, ut sibi caverent ab imitandis pessimis maiorum suorum moribus. Sed parabolae Christi respiciebant futura, hactenus obscura et omnibus ignota. Ergo locus Psalmi non affertur a Mattheo ut vaticinium, sed hoc tantum dicitur: Iesum docendi genere usum esse, simili ei, quo olim usus erat divinus vates, sc. similitudinibus novis et insolentibus, nunquam antea auditis.

36. Φράσον) i. e. *declara et explica*; est enim Φράζειν h. l. diversum a λέγειν, vel λαλεῖν, unde Φράσις Graecis dicitur, qui Latinis stilus. In Glossario Hesychiano: Φράσον. εἰπὲ, λέξον, ἑρμήνευσον. *Origenes* ad Io. IV, 36. haec Matthaei verba ita laudat: Διασάφησον ἡμῖν τ. παρ. In versione τῶν ὁ hebraica verba הַבִּין et הוֹדִיעֵנִי ipso verbo Graeco Φράζειν explicata leguntur, Iob. VI, 24. XII, 8. Verba igitur Φράσον ἡμῖν τὴν παραβολήν, omnino vertenda sunt ita: *Explica nobis vim et sententiam similitudinis.* Vid. *Fischerus*, prolus. 28. Τῶν ζιζανίων τῆ ἀγρῆ, *de zizaniis, quae in illo agro sata fuisse dixisti.* Est enim articuli τῆ vis h. l. ὠναφορική.

37. ὁ σπείρων — τῆ ἀνθρώπῳ) *Homine, qui sparsit bonum semen in agro suo, significatur Messias.* Describit se Iesus tanquam auctorem novae et numerosissimae societatis hominum, qui religionem suam professuri essent. Docet autem hac parabola, numerosissimam quidem sectatorum multitudinem, in toto orbe terrarum diffusam, se esse habiturum, sed in hac societate semper malos cum bonis fore mixtos, illo demum extremi iudicii die separandos, ut illi aeterna felicitate fruantur, hi autem iustissime puniantur.

38. ὁ δὲ ἀγρὸς, ἔστιν ὁ κόσμος) Ὁ κόσμος, *orbis terrarum.* Ἔστιν — εἰσι — *significat* — *significant* — hebr. הוּא et הֵם ut Gen. XL, 18. Docet igitur Iesus, non tantum in Palaestina, sed in universo Romano imperio, et in omni terrarum orbe fore olim numerosissimam sectatorum suorum multitudinem. Τὸ καλὸν σπέρμα h. l. sunt fruges e bonis seminibus enatae, et his nunc similes esse dicuntur: οἱ υἱοὶ τῆς βασιλείας, sc. τῶν ἐρανῶν. Hebraismus. *Subditi vel cives regni Messiani, Christia-*

stiani boni et veri. Hi autem procul dubio *filii regni* dicuntur ideo, quod in regno coelesti aliquando versaturi sint, quodque ibi versandi potestatem ac ius habeant. Vid. supra c. VIII, 12. τὰ δὲ ζιζάνια — πονηροῦ) *Lolium autem significat diabolo similes*, (improbos) Ὁ πονηρὸς procul dubio h. l. est *diabolus*, v. 39. et οἱ υἱοὶ τοῦ πονηροῦ, sunt ii, qui 1 Io. III, 10. vocantur τὰ τέκνα τοῦ διαβόλου, improbi, qui diabolum imitantur, atque faciunt quod ipsi gratum est. Cf. infra v. 41.

39. Ὁ δὲ ἐχθρὸς — ὁ διάβολος) *Inimicus autem, sator eius* (lolii) *significat diabolum.* Satanas, diabolus sistetur ut maxime contrarius consiliis, voluntati et institutis Dei et Christi. Ad eum saepe refertur etiam quicquid impedit religionis christianae scientiam, exercitium et progressum. Sed nuspiam excluduntur caussae aliae, e. c. negligentia, cupiditates pravae, mala exempla etc. Nec dicitur uspiam, quomodo Satanas id agat, quod ei adscribitur. Ergo modus certo definiri nequit, nec opus est ut definiatur, quum non sit modus alius resistendi diabolo, quam qui est resistendi vitiis, pravis cupiditatibus, aliisque peccatorum illecebris. συντέλεια τοῦ αἰῶνος) *Finis huius mundi*, tempus iudicii universalis. Οἱ δὲ θερισταὶ ἄγγελοί εἰσιν) Deus, eiusque filius spectatur ut summus Rex, more Hebraeorum et Orientalium Regum magno satellitum comitatu splendidissime stipatus, ubi in publicum prodiit. Hi eius comites, legati, ministri, amici, dicuntur ἄγγελοι, Dan. VII, 10. Iob. I, 6. Saepe etiam hoc nomen transfertur ad res eas, quibus Deus utitur tanquam voluntatis suae ministris. Ps. LXXVIII, 49. LIV, 4. XXXIV, 8. 1 Reg. XIX, 5.

40. ὥσπερ — αἰῶνος τούτου) Συλλέγεται, *colligi solent* tempore messis. Eleganter docet Iesus, malos homines

mines sapientissimo Dei consilio nunc tolerari, tum ut illis spatium poenitentiae concedatur, tum quia in hac vita puniri non possunt, quin etiam innocentes illis permixti communi calamitati involvantur, tum quia bonorum Christianorum virtus et patientia est exercenda. Interim non prohibentur quidem magistratus facinorosos punire; saepe enim scelera non aliter nisi vi et poenis coërceri possunt. Minime tamen est dubitandum, quin lenitas ac patientia divina, aliqua saltem ratione, hominibus omnibus, atque inter ceteros etiam magistratibus et ecclesiae propositis imitanda proponatur.

41. καὶ συλλέξουσι — ἀνομίαν) *Et colligent ex regno eius omnes perniciosos et improbos.* Σκάνδαλον proprie significat *offendiculum, impedimentum*, ad quod aliquis impingit, ita ut ipsi grave ac molestum sit. Deinde vero translate σκάνδαλον dicitur quaevis res, quae, dum ab aliquo proficiscitur, alii molesta est, atque adeo displicet; idemque quae alteri praebet perniciei occasionem, ipse denique homo, qui tale quid facit, quod alteri molestum, aut perniciei est occasio. Harum significationum postrema est huius loci. Σκάνδαλα igitur h. l. sunt homines perniciosi, inprimis prava docentes, quales erant falsi doctores in Epistolis Petri et Iudae notati, qui sub specie libertatis christianae docebant, ἀδιάφορα esse ea, quae naturali honestati repugnant. Cum his coniunguntur οἱ ποιοῦντες τὴν ἀνομίαν, *homines improbi*, vitiis dediti. Hos igitur angeli separabunt a probis et piis, ut nullum amplius cum iis consortium locum habeat, quanquam in his terris mixti vixerant. Συλλέξουσι, *collectos secernent.* Nam συλλέγειν sequente ἐκ est verbum syllepticum, vel sensu praegnante idem valet quod ἀφορίζειν, Matth. XXV, 32. In hac sententia exornanda Iesus respexisse videtur ad

Io-

loquendi consuetudinem Iudaeorum, qui existimabant, Deum, adeoque etiam Messiam, in caussis solennibus uti ministerio angelorum. Cf. notata ad Act. VII, 53. et Gal. III, 19.

42. καὶ βαλοῦσιν — τῶν ὀδόντων.) *Et iniicient fornaci ardenti, ubi fletus erit stridorque dentium.* Cf. supra c. VIII, 12. Ἡ κάμινος τοῦ πυρός, *fornax urens*, per Hebraismum altero substantivo posito loco ad ect vi, ut Ps. XXI, 10. Simul autem allud tur ad supplicium vivicomburii, quod in Oriente erat usitatum. Dan. III, 10. ubi *Theodotion* vertit εἰς τὴν κάμινον τοῦ πυρός. Sic quoque LXX. ad v. 11. ex Chisiano cod ce. Cf. supra c. III, 12. Sensus est: Tum exquisitissimis poenis afficientur mali. Has enim comminationes proprie intelligi non posse, facile patet. Flagitiosis enim in altero illo seculo non amplius erit σάρξ καὶ αἷμα, ut adeo neque uri, neque dentibus frendere possint.

43. Τότε — πατρὸς αὐτῶν.) *Tunc probi tanquam sol elucebunt in regno patris sui* i. e. *tunc boni Christiani maxima fruentur gloria et felicitate.* Dan. XII, 2. 3. *Paulus* etiam gloriam eorum, qui inter iustos maxime excellunt, soli comparare videtur 1 Cor. XV, 41. Non opus est verba: ἐκλάμπειν ὡς ἥλιον, proprie interpretari de splendore corporis, qualis est solis, et, ut huic splendori locus sit, aetherium corpus adsciscere. Nam vel eminentior dignitas intelligitur, ut sexcenties aliquis *praefulgere* dicitur, vel inter ceteros solis instar esse, veluti in citato Danielis loco. Sed potest etiam, ut diximus, is, qui iubar solare sparsurus dicitur, intelligi summae et exquisitae felicitatis particeps. Nam omnis illa futura felicitas, significata verbo splendoris quoque notionem exprimente, saepissime dicitur δόξα, et gaudia illius δεδοξασμένα,

prae-

praestantissima, summa. Rom. VIII, 18. 1 Petr. I, 8. ὁ ἔχων ὦτα ἀκούειν, ἀκουέτω) Clausula haec ad praecedentia est referenda. Hoc nimirum dicit Christus: Advertite animum ad exitum, cui pii atque impii destinantur; id vobis adversus praesentis aevi molestias erit solatium. Ceterum cf. dicta ad v. 33.

44. ὁμοία — ἐν τῷ ἀγρῷ) *Comparatum est cum beneficiis et bonis religionis, quasi cum thesauro etc.* Ἡ βασιλεία τ. ἐρ. h. l. significat beneficia religionis. Solebant et avari, et qui invasionem hostilem metuebant, aurum suum in terra defodere, quod prolixe ostendit *Wetstenius.* Dubium est ius repertorum thesaurorum. Discimus autem ex hoc loco, apud Iudaeos iuris fuisse, ut thesaurus repertus addiceretur emtori agri, non venditori. Quod etiam patet ex *Bava Mezia* apud *Wetst.* ὃν εὑρὼν — ἐκεῖνον) *Quem quis absconditum offendens, tacite abiit venditum omnes suas opes, ut emere posset istum agrum.* Ἄνθρωπος per Hebraismum (אִישׁ) hic positum est pro τις. Εὑρὼν ἔκρυψε, i. e. inventum rursus ingesta terra obtexit, ne videlicet quis ipsum, re patefacta, anteverteret. Fuit enim thesaurus iam occultus et absconditus; hunc autem alius inventum celavit, ne aliis innotesceret. Hoc vero non attenditur in applicatione. καὶ ἀπὸ τῆς χαρᾶς αὐτοῦ ὑπάγει) ἀπὸ. *prae;* in quo dicendi genere libentius Graeci utuntur praepositione ὑπὸ, quanquam ita etiam interdum loquitur Thucydides. ἀπὸ τῆς χαρᾶς αὐτοῦ, i. e. prae gaudio de eo thesauro reperto. Ita qui semel degustavit bona illa, quae offert nobis religio, gaudium illud, quod oritur ex Dei veritatumque saluberrimarum cognitione, animi tranquillitatem, laetitiam ob spem certissimam aeternae felicitatis etc. is omnibus aliis rebus posthabitis, unice huius religionis studio se addicet.

45.

45. 46. In hac, ut in praecedenti parabola laudat Iesus eximiam religionis suae praestantiam, et cum ea coniunctam felicitatem, quae tanta sit, ut, qui eam semel degustavit, eam studiosissime, missis ac abdicatis omnibus caducis huius vitae commodis et voluptatibus, sit quaesiturus.

47. Ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν nunc est *societas christiana*. Haec similis est reti, quod in undas demissum varii generis pisces capiat. σαγήνῃ) Hesych. σαγήνη, πλέγμα τί ἐκ καλάμων εἰς θήραν ἰχθύων. *Ulpianus* appellat *everriculum*, quod Graece σαγήνη dicitur. ἐκ παντὸς γένους) *cuiusvis generis*, nimirum *pisces*.

48. σαπρὰ) quisquiliae piscium; quod genus, ut servatu indignum, videmus a piscatoribus abiici.

49. οὕτως ἔσται) Idem ἐπιμύθιον, quod in comparatione lolii et frumenti, supra v. 40—43.

51. ταῦτα πάντα) i. e. has omnes parabolas, quamvis duas posteriores ipsis non explicasset.

52. διὰ τοῦτο) Quandoquidem video, vos eousque profecisse, ut per vos possitis quae dico, percipere, iam vos admoneo, ut reipsa verorum doctorum munere defungamini, γραμματεὺς μαθητευθεὶς εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν) Pro εἰς τὴν βασιλέιαν alii legunt τῇ βασιλείᾳ, quam lectionem Griesbachius praefert. Doctor bene paratus atque eruditus ad tradenda praecepta regni coelestis. Apostoli, qui postquam se in disciplinam Christo tradidissent, ab ipso in numerum Doctorum adsciti sunt, opponuntur τοῖς γραμματεῦσιν, Doctoribus Iudaicis, quorum superbia tanta erat, ut Christum venire, et ab ipso discere nollent. Hos suos discipulos et novae religionis doctores instar boni patrisfamilias ἐκ θησαυροῦ αὐτῶν τὰ καινὰ καὶ παλαιὰ proferre vult. Nam ἐκβάλλειν h. l. ut saepe est *depromere*, προφέρειν. Θησαυρὸς *promtuarium* notat,

tat, vel locum, in quo asservantur, quae familiae alendae inserviunt. Καινὰ vero καὶ παλαιὰ sc. βρώματα, s. ὀψώνια sunt quaecunque ad victum spectant. Quemadmodum igitur paterfamilias non semper eosdem cibos apponit familiae, sed modo cibos pridianos et semesos, modo carnes recens coctas etc. ita etiam religionis doctor variarum rerum cognitione instructus esse debet, ut auditorum variis necessitatibus et commodis inservire possit. Ἐκ θησαυροῦ αὐτοῦ, *ex animo suo*, in quo tanquam in promptuario variarum rerum cognitio est recondita. Sunt qui τὰ καινὰ καὶ παλαια ad doctrinam recentiorem Christi, et ad veterem V. T. doctrinam referant. Sed referenda esse videntur unice ad varios modos tradendi doctrinam coelestem, vel ad cuiusvis generis doctrinas. Sic etiam Arabes *vetus et novum* simpliciter ponunt ad exprimendam universalitatem. Monet igitur discipulos, ut in docendo exemplum eius imitentur, qui modo per parabolas, modo claris et perspicuis verbis instruere solebat populum. Sic etiam prudens doctor captui et necessitatibus auditorum se accommodare et omnibus omnia fieri debet.

53. μετῆρεν) יִשָּׂא רַגְלָיו ut Gen. XXIX, 1. *abiit.* Gen. XII, 8. de Abrahamo: וַיַּעְתֵּק מִשָּׁם, ubi Aquila vertit: καὶ μετῆρεν ἐκεῖθεν, LXX. ἀπέστη.

54. πατρίδα) sc. χώραν, vel πόλιν. Nazaretham intelligi, ne dubium quidem est. Nam quum duas alias etiam patrias habuerit, unam ortus, nimirum Bethlehem; alteram habitationis, nempe Capharnaum, nec unquam legatur in Bethlehem venisse, sequitur haec de Nazareth esse accipienda. Patria autem recte vocatur ex longo parentum incolatu. Πόθεν τούτῳ ἡ σοφία αὕτη;) *Unde isti tanta sapientia?* Τούτῳ h. l. et v. 56. contemtus caussa dictum

dictum est, Sic יַיִן verterunt LXX. 1 Sam. X, 27, subiunctis his verbis: καὶ ἠτίμησαν αὐτόν. Sic ἔτος etiam apud Profanos occurrit. Vid. *Markland* ad *Lys.* p. 601. καὶ αἱ δυνάμεις;) *Tantaque miraculorum patrandorum virtus?* Δύναμις, חַיִל, per meton. effecti saepe est *miraculum*, res quae nonnisi adiutrice potentia divina effici possit.

55. ὁ τοῦ τέκτονος υἱός;) Marc. VI, 3. ὁ τέκτων *absolute.* Iosephum fuisse fabrum lignarium, scriptor vetustissimus *Iustinus* tradit. Credibile est Christum Iosepho adfuisse in fabrili opere, et, ut *Iustinus* ait, aratra fecisse et iuga; nam a plebe Nazarethana, in cuius conspectu adoleverat, τέκτων vocatur apud Marcum; et mos sane laudabilis inter Hebraeos fuit, ut illi etiam, qui sapientiae studiis operam dabant, opificium aliquod addiscerent. οὐχὶ ἡ μήτηρ αὐτοῦ λέγεται Μαριάμ) Etiam in matre offendebantur, quam χερνήτιδα fuisse, i. e. aut netricem, aut alio manuum labore victum parantem, Christianis *Celsus* obiicit. καὶ οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ Ἰάκωβος, καὶ Ἰωσῆς, καὶ Σίμων, καὶ Ἰούδας:) Ex Iosepho et Maria natos esse hos, iam olim statuit *Helvidius*, adversus quem integrum librum scripsit *Hieronymus.* In eam sententiam etiam recentiores nonnulli concesserunt. *Herderus* edidit *Briefe zweener Brüder Iesu in unserm Kanon*, cui libro praemissa est disputatio satis longa, in qua argumentis non spernendis ostenditur, intelligendos esse fratres Iesu germanos. Hanc veterum et recentiorum nonnullorum sententiam acriter impugnarunt veteres ecclesiae doctores, quia existimabant, Mariam, quae quondam omnipotentiae divinae vi Iesum edidisset, e Iosepho alios liberos parere non potuisse; cui persuasioni omnino aliquid superstitionis inest. Ceterum

rum nihil certi in hac re est, nec ullus occurrit locus in N. T. e quo aliquid certi erui possit. *Epiphanius*, quem Graeci sequuntur, fuisse hos omnes filios Iosephi ex priori matrimonio contendit. Sed docet nos *Origenes*, famam hanc initium sumsisse ex libris, qui falso Petri et Iacobi nomen praeferebant. Intelligendos esse *comprivignos*, quos Iosephus ex alia quadam marita susceperit, putat etiam *Vorstius*, (Philolog. s. p. 71. s.) hoc potissimum argumento ductus, quod Mariam, matrem Iesu subinde comitati sint, ut hic, Matth. XII, 46. Io. II, 12. Credibile esse, addit, Iosephum tum temporis iam fuisse defunctum, et curam rei familiaris fuisse tunc penes Mariam. Aliis placet Hieronymi sententia, qui *consobrinos* Domini arbitratus est fuisse eos, qui hic et supra c. XII, 46. *fratres* vocantur. Nam *Iacobus* et *Ioses* erant filii Mariae infr. XXVII, 56. quae erat Cleophae uxor, et matris Domini soror. Io. XIX, 25. *Fratres* vocantur consobrini, loquendi genere etiam Graecis et Romanis noto. An vero hic loquendi usus hoc etiam loco sit tenendus, non satis certum esse videtur.

56. *πόθεν οὖν τούτῳ ταῦτα πάντα;*) Quum neque antehac Nazaretha abfuerit, neque domi a suis potuerit ista discere, ut quorum nemo sit litteris supra plebem imbutus.

57. *καὶ ἐσκανδαλίζοντο ἐν αὐτῷ*) *Et contemnebant eum.* Humilitas generis et familiae eius ipsis impedimento fuit, quo minus eum pro divino doctore agnoscerent. Cf. notata supra ad v. 41. de voce *σκάνδαλον*. *Οὐκ ἔστι — ἰδίᾳ αὐτοῦ*) *Nuspiam doctor magis contemnitur, quam in patria sua et inter suos.* Adagium celebre inter Iudaeos, quod cum comparatione intelligendum est; quasi dicas: nusquam magis, quam inter populares suos contemni viros eximios, quales in primis sunt Prophetae. Sententiae huic persimiles reperiuntur apud profanos, quos lau-

laudat Wetstenius. Caussae autem huius contemtus praecipuae sunt: recordatio educationis, aemulatio et invidia, perversa plerorumque cogitandi ratio, qua exotica et peregrina praeferunt domesticis.

58. *καὶ οὐκ ἐποίησεν — ἀπιστίαν αὐτῶν*) *Et non multa ibi miracula patravit ob eorum levitatem.* Marcus c. VI, 5. *οὐκ ἠδύνατο ἐκεῖ ἐδεμίαν δύναμιν ποιῆσαι*, addit tamen, paucos aegrotos a Iesu fuisse sanatos. Caussa, cur Iesus *pauca* miracula apud Nazarethanos fecerit, vel facere *potuerit*, ἡ ἀπιστία αὐτῶν fuisse dicitur, i. e. *levitas*, quae in eo erat posita, quod carebant plena gravique fiducia, cuius ea esset natura, ut confiderent, Iesum posse efficere, quae aliorum hominum vires excederent. Eodem sensu vox *ἀπιστία* occurrit infra c. XVII, 20. Caeterum ex hoc loco multi, iique gravissimi interpretes concluserunt, Iesum sibi eam dixisse legem, ut miracula nonnisi in gratiam faceret eorum, qui fidem haberent. Qua sententia adversarii religionis haud pauci ita abusi sunt, ut suspectam reddere veritatem miraculorum Christi conarentur. Constat enim per vim imaginatricem miros effectus multos, qui tamen potentiarum naturae limites non excedant, produci posse. Unde post POMPONATIUM (de Incantam. c. V.) multi, nostra etiam aetate suspicati sunt, fidem a Christo requisitam ab aegrotis curandis, nihil aliud fuisse, quam facultatem imaginatricem vehementius excitatam atque agitatam, quae iuxta cum virtute exhalationum medicarum, ex corpore Iesu prodeuntium, restituendis corporibus male dispositis inserviverit. Et negari quidem nequit, Christum ab omnibus aegrotis curandis fidem, vel fiduciam postulasse; sed nullo modo demonstrari potest, exhalationes medicas ex corpore eius prodiisse. Ipse constanter affirmavit, se virtute divina adiutum

iutum, miracula patrare, (vid. supra c. XII, 28. et apud Ioannem saepe) eo praecipue consilio, ut se a Patre suo vere missum esse, ostenderet, et infideles ad attentionem excitaret, atque ad fidem adduceret. Caussa, cur Christus apud Nazarethanos pauca miracula facere potuit, haec fuit, quod homines praeiudiciis occupati atque ἄπιστοι faciendorum miraculorum occasionem ei vel nullam vel raram offerrent. Nazareni enim non facturos operae pretium se putarunt, si, ut ab aliis magno ambitu factum, aegrotos suos deportarent ad Iesum, quem nossent humili loco natum, nec ulla humana manuductione ad sublimioris sapientiae studia institutum. Is igitur occasione destitutus, contemtus atque repudiatus a plerisque, multa miracula facere non potuit, paucis tantum, in quos per occasionem incidisset, manuum facta impositione, sanitati restitutis. Vid. GOTTFR. OLEARIUS in h. l.

CAP. XIV.

1. Ἐν ἐκείνῳ τῷ καιρῷ) Sero Herodi Iesus innotuit, quia raro Tyrannis dicuntur, quae audire eos non iuvat. ὁ τετράρχης proprie est is, qui quartae parti, τετρᾶρχία alicuius regionis praeest. Sed usus loquendi hoc nomen iis etiam addixit, qui tertiae vel dimidiae alicuius terrae parti imperarent. Origo nominis ex Galatia, cuius tres partes singulae quatuor habebant principes. *Strabo* XIV. Inde ad alios, gentis alicuius parti imperantes, nomen transiit. HORAT. Serm. Lib. I. Sat. III, v. 12. 13. *Modo reges atque tetrarchas, omnia magna loquens* Trium Herodum in N. T. fit mentio: is, de quo h. l. sermo est, vocatus est cognomine *Antipas*, et fuit filius *Herodis M.* Feruntur duo versus, distinguentes illos tres Herodes, quorum

rum in N. T. fit mentio: Herodes *Magnus* pueros, *Antipa* Ioannem, Teque Iacobe *Agrippa* necat, Petrum et capit idem. Antipas Galilaeae et Peraeae praefuit. Ἤκουσεν τὴν ἀκοὴν Ἰησοῦ, *percepit famam de Iesu.* Ἀκοὴ apud optimos scriptores Graecos interdum significat *famam*, ut *Pfochenius* ex Thucydide ostendit.

2. τοῖς παισὶν αὐτοῦ) i. e. servis, vel famulis, *ministris.* Aulae mancipiis haec dixit liberius, non asseverans, sed dubitans, an, quod quidam dicebant, Ioannem revixisse, verum esset. αὐτὸς ἠγέρθη ἀπὸ τῶν νεκρῶν) Inter Hebraeos antiquitus fuerunt, qui transitionem in alia corpora docerent, vel animarum μετενσωμάτωσιν, quod *Grotius* pluribus ostendit. Vulgi igitur fuit opinio, Ioannis animam aut novum assumsisse corpus, aut etiam rediisse in corpus illud, quod a discipulis erat sepultum. Herodes, ut pater ipsius divitesque tantum non omnes, Sadducaeus erat, quod etiam colligitur ex Marci VIII, 15. et Matth. XVI, 6. Nunc autem conscientiae stimulis professus atque anxius, dubitat, annon verum esset, quod vulgo putabatur, Ioannem a mortuis rediisse? Dubitari enim non debet, quin sanctissimi et innocentissimi viri per scelus trucidati imago noctu diuque Herodis animo oberraverit. Vix alii sunt magis creduli atque superstitiosi, quam illi, qui ea, quae Deus revelavit, credere nolunt, fabulis de portentis Thessalicis fidem habent, et omni doctrinae vento agitantur. διὰ τοῦτο) Scilicet quia Deus eo modo testatam velit Ioannis innocentiam et Herodis sceleratum facinus. αἱ δυνάμεις ἐνεργοῦσιν ἐν αὐτῷ) Dona miraculorum effectricia vim suam exserunt in eo. Est in eo virtus miraculorum patrandorum.

3. ὁ γὰρ Ἡρῴδης — φυλακῇ) *Nam Herodes Ioannem vinctum carceri iniecerat.* Est hic ὕστερον πρό-

τερον

τερον. Haec enim antea contigerant, et ab Evangelista, quoniam mentionem mortui Baptistae fecerat, commodissime sunt hic veluti per digressionem et parenthesin inserta, v. 3—12. inde postea ad intermissam narrationem redit. Ponitur igitur Aor. ἔδησεν vice plusquamperfecti. Sic Matth. XXVI, 48. ἔδωκε, ubi Marcus c. XIV, 44. δεδώκει. Videtur Ioannes ab ipso Herode accersitus, et de matrimonio cum Herodiade uxore fratris sui Philippi, quam abduxerat, et repudiata uxore sua, Aretae Arabum regis filia, sibi matrimonio iunxerat, rogatus fuisse, ut invidiam, quam incestae nuptiae principi apud populum creaverant, placaret, factumque excusaret. Ioseph. Antiqq. L. XVIII, c. 7. διὰ Ἡρωδιάδα) *In eius gratiam.* Aliam caussam affert *Iosephus* Lib. XVIII. Antiquitt. c 5. §. 2. Herodem nimirum veritum esse, ne tanta Ioannis autoritas apud populum subditos ad defectionem impelleret. Sed fuerunt sine dubio duae caussae, quibus commotus Herodes Ioannem in vincula coniici necarique iusserit, *exprobratio* nempe *incestus*, et metus rebellionis a plebe imminentis; ita ut alteram Matthaeus, alteram Iosephus tradiderit, adeoque neuter ab altero discrepare, sed uterque diversum in narrando consilium spectasse censendus sit. τὴν γυναῖκα Φιλίππου) Quae uxor Philippi fuerat, quamque abduxerat Herodes. *Iosephus* (Lib. XVIII. Antiquitt. c. 7.) fratrem illius Herodis Tetrarchae, qui Herodiadem deinde duxit, non Philippum, sed Herodem vocat. Sed dubium non est, quin Philippus idem sit, qui Iosepho l. c. dicitur *Herodes*. Scilicet inter filios Herodis M. duo fuerunt *Philippi* nomine insigniti; quorum alter constitutus est Tetrarcha Trachonitidis, alter famae paullo obscurioris, privatus vitam transegit, cuius h. l. Matthaeus mentionem facit. Auctore enim Iosepho et aliis, satis constat, multos Herodis M. filios,

filios, etsi suo quisque nomine proprio, quo ab aliis distingueretur, insigniti fuerint, tamen Herodis nomen quasi commune quoddam habuisse, adeo ut nunc proprio, nunc communi a Scriptoribus appellentur. Ioseph. Antiquitt. L. XVIII, c. 4. 5. Quare non opus esse videtur, ut φιλίππε vox in Matthaei textu deleatur. Expuncta est a nonnullis eo fortasse consilio, ne hoc loco narrata, perperam de Philippo Ituraeae et Trachonitidis tetrarcha Luc. III, 1. commemorato acciperentur.

4. ἔλεγε γὰρ αὐτῷ ὁ Ἰωάννης) Forte rogatus de sua sententia super hac re. Nam dixit ipsi Herodi; non in deserto ad populum de hac re sermones habuit; quae res ad seditionem spectasset, et subditos in principem concitasset. οὐκ ἔξεστί σοι ἔχειν αὐτήν) *Nefas est tibi*, utpote circumciso, ac proinde obligato ad observationem legis, per Mosen datae, *habere eam in matrimonio*. Nam ἔχειν significat hic: *habere in matrimonio*, quod expressit Syrus. In abducenda Herodiade duplex fuit Herodis Tetrarchae peccatum. Nam viventi marito uxorem, non ab ipso dimissam, abduxit, quod erat raptus atque adulterium, hoc insigniore iniuria, quod in fratrem committebatur. Accedebat adulterio crimen incesti ex lege Mosis, *Levit.* XVIII, 16. Nam ea lex unam duntaxat habebat exceptionem, si maritus mortuus esset illiberis. Herodiadis autem maritus et vivebat eo tempore, et filiam ex ipsa habebat, Salomen, cuius hic fit mentio. Accedit, quod Herodes uxorem, Aretae Arabum regis filiam expulit, sicque bello, quo multa Iudaeorum millia caesa sunt, occasionem praebuit.

5. θέλων) *Quam cuperet*, non definita voluntate, sed ambiguus animi, instinctu Herodiadis, (Marc. VI, 19. 20.) vel: *etsi in animo haberet*. ὅτι ὡς — εἶχον) *Nam ut vatem eum reverebantur*. Marc. XI, 32. Luc. XX, 6.

Ἔχειν h. l. est *putare*, *existimare*, quo sensu etiam Latini verbum *habere* frequenter usurpant.

6. Γενεσίων δὲ ἀγομένων τῷ Ἡρῴδῃ) *Cum autem natalitia Herodis peragerentur, vel celebrarentur.* In voce γενεσίων subintellige ἡμερῶν. Disputarunt eruditi, utrum per γενέσια *dies recepti imperii*, an *dies natalis* intelligatur; sed posterior sententia est praeferenda. Eo enim sensu vox γενέσιος est apud *Philonem* de mundi opif. et γενέσιος ἡμέρα apud *Iosephum* Lib. XII. Antiquitt. c. 4. Vide *Loesnerum* ad h. l. Ἄγειν ἑορτὴν vel ἡμέραν etiam apud Profanos saepe sic occurrit, ut significet, *celebrare* festum vel diem. Ceterum apparet ex sequentibus, festum hoc celebratum esse *Machaerunte*, ubi Ioannes, teste Iosepho, erat incarceratus. Regia Herodis erat *Tiberias* Ἡ θυγάτηρ τῆς Ἡρωδιάδος, *Salome* quam Herodias priori marito pepererat. ὠρχήσατο) Non rudi illo atque incomposito saltandi genere, quod in publicis gaudiis matronis virginibusque Iudaeis antiquitus fuit usurpatum, sed *motibus Ionicis*, qui mos a finitimis regnis in aulam Iudaicam pervaserat. ἐν μέσῳ) *Inspectantibus convivis*, ut recte interpretatur Syrus.

7. Μεθ' ὅρκου ὡμολόγησεν) *iurato promisit.* Nam ὁμολογεῖν h. l. est *spondere*, *promittere.* Sic LXX. Ierem. XLIV, 25. verterunt נדר.

8. Προβιβασθεῖσα) subornata, vel impulsa, edocta, instructa a matre. Plena phrasis est, quae apud *Xenophontem* extat Lib. I. Memorab. λόγῳ προβιβάζειν, i. e. verbis inducere ad aliquid faciendum.

9. Καὶ ἐλυπήθη ὁ βασιλεύς, *et contristatus est Rex.* Βασιλεύς hic vocatur, qui supra v. 1. Tetrarcha vocatus erat. Nam tetrarchae nomen non minus, quam po-

potestas nomini et potestati regiae propemodum par fuit. Unde veteres Grammatici nomen τετράρχης interpretati sunt nomine βατιλεύς. *Hesychius*: Τετράρχαι βατιλεῖς. Multae caussae fuerunt, cur Herodem poenituerit promissi. Una ex his sine dubio erat, quod metueret, et iure metueret populum, qui proelii adversus Aretam, Arabiae regem, prioris coniugis a se repulsae patrem commissi infelicem exitum ad ultionem Ioannis occisi paullo post retulit. διὰ δὲ τὰς ὅρκους) Erant et caussae aliae; sed haec quoque 'species arrepta est, infirmissima alioqui per se. Nam iuramenti verba generaliter enuntiata ita sunt interpretanda, ut illiciti nihil comprehendant. καὶ τὰς συνανακειμένους) Qui, ut mos est aulae, captantes *Herodiadis* gratiam, labantem Herodis animum impellebant.

10. Πέμψας ἀπεκεφάλισε) *Misit, per quem decollaret.* Ita enim Hebraismi vis recte exprimitur, ut supra c. II, 16. Elogium Ioannis Baptistae memorabile extat apud Iosephum, Antiqq. L. XVIII, c. 5.

12. καὶ προσελθόντες — αὐτὸν) *Discipuli deinde cadaver eius sublatum sepelierunt.* Pro σῶμα nonnulli codd. habent πτῶμα, quod sine dubio glossema est, e Marc. VI, 29. petitum, et in similibus locis aliquoties recurrens. Pro hebr. נִבְלָתוֹ σῶμα habent LXX. 1 Reg. XIII, 29.

13. Καὶ ἀκούσας ὁ Ἰησοῦς) i. e. ἀκούσας ἦν, subint. τοῦτο, Ioannem fidelicet fuisse interemtum. Redit enim Evangelista ad narrationem abruptam iam inde a v. 3. ἀνεχώρησεν ἐκεῖθεν) Ex locis Galilaeae frequentioribus in solitudinem secessit, ut insidias Herodis effugeret; is enim eum videre cupiebat, Luc. IX, 9. Populus Herodi propter interemtum Ioannem iratus, ad seditionem pronus fuisse

videtur. Κατ' ἰδίαν, sc χώραν. Πεζῇ) *itinere pedestri*, non navibus sequebantur. Πεζῇ opponi navigationi, a verbo πεζεύειν apparet. Loca e Philone *Loesnerus* habet.

14. ἐσπλαγχνίσθη) Hebr. רָחַם, intima misericordia tactus est. ἐπ' αὐτὸς) Multi Codd. habent ἐπ' αὐτοῖς. Utroque modo, cum ἐπὶ τινὶ et ἐπί τινα, verbum hoc in N. T. construitur.

15. ὀψίας δὲ γενομένης) *Adventate vespera*, ut γενομένης sit pro παραγενομένης. Quum infra v. 23. post cibum sumtum et secessum Christi iterum legamus ὀψίας δὲ γενομένης, negari non potest, duas fuisse ὀψίας Hebraeis, h. e. עַרְבַּיִם, et hic de priori vespera esse sermonem. Rabbini illud בֵּין עַרְבַּיִם ita interpretantur, ut secundum ipsos ὀψία prior incipiat, simul atque sol a meridie ad occasum coepit vergere, maiore diei parte exacta, nobis hora tertia; posterior autem a sole occaso, nobis hora sexta. Ἔρημός ἐστιν ὁ τόπος) *In deserto versamur.* Ἔρημος τόπος locus est non tam desertus, quam potius incultus, graminosus (v. 19.) adeoque pascuis aptus. Vid. ad Matth. III, 1. Sed panes tot hominibus satiandis non reperiebantur in tali loco. Quodsi etiam, ut verisimile est, nonnulli cibos secum gestaverant, non tamen habebant, quantum satis esset. ἡ ὥρα ἤδη παρῆλθεν) Prandii tempus scilicet, vel: *dies fere praeteriit.* Marc. VI, 35. vel etiam: *iam adest tempus* populum dimittendi. Sic παρελθεῖν usurpatur Act. XXIV, 7. Luc. XII, 37. et apud probatissimos auctores graecos.

19. ἀνακλιθῆναι ἐπὶ τοῦς χόρτους) i. e. κατακλιθῆναι, accumbere super gramina, vel per herbam, ut saepe Poëtae. καὶ λαβών) Deest καὶ in multis Codd. ut et in Vers.

et

et Patr. quibusdam. ἀναβλέψας εἰς τὸν οὐρανὸν) *suspiciens in coelum.* Aoristus pro praesenti ἀναβλέπων, significatur enim precantis gestus, secus quam supra c. XI, 5. et ἀνὰ h. l. idem valet quod ἄνω, sursum. εὐλόγησε) Saepe εὐλογεῖν, ut Hebr. בָּרַךְ nihil aliud notat quam εὐχαριστεῖν, *gratias agere.* Lucas addit αὐτὰς sc. ἄρτας (c. IX, 16.) ut 1 Sam. IX, 13. εὐλογεῖ τὴν θυσίαν, ubi εὐλογεῖν est *bene ominari.* Κλάσας, respicit ad panes Hebraeorum, qui, ad modum placentarum, tenues erant, iidemque duri, ut non scindi sed frangi deberent. Vid. *Paul Lucas's dritte Reise nach der Levante,* Tom. I, p. 191. *Niebuhrs Reisebeschreibung von Arab.* p. 51. 52.

20. καὶ ἔφαγον — ἐχορτάσθησαν) *Et omnes ad satietatem comederunt.* Duo haec verba saepius iunguntur, ut Deut. VI, 11. cap. VIII, 10. 12. aliisque locis, ita ut posterius exprimat adverbium, *satis, abunde*, vel ἔφαγον redundet. τὸ περισσεῦον) sc. μέρος, יוֹתֵר. δώδεκα κοφίνους) κόφινος, *corbis.* Ex Iuvenale, Martiale et aliis constat, Iudaeos tunc temporis nunquam sine cophino visos fuisse. IUVENAL. (Sat. 3.) *quorum cophinus foenumque supellex.* Ratio est, quia Iudaei, cum viverent inter gentiles, proprios cibos secum gestare coacti sunt, ne cibis immundis polluerentur. Sed et Christi iam aetate in his cophinis aut etiam sportulis ferre secum panem solebant, ut apparet infra c. XVI, 7. Marc. VIII, 14. Hinc facile patet, unde Iudaeis in deserto loco versantibus tot cophini fuerint?

21. Οἱ ἐσθίοντες) *qui commederant*, et satiati fuerant. Praesens hic est pro praeterito, more Hebraeorum, quibus Participia sunt omnium temporum. ὡσεὶ) *fere.* Sic enim usurpatur etiam a Terentio et Cicerone. Plane

novam

novam huius narrationis explicationem dedit D. *Paulus* in Commentar. Tom. II, p. 266. sqq. et p. 282. sqq. Ex eius nempe sententia Iesus distribuendo panes et pisces occasionem dedit illis ex populo, qui cibos secum apportaverant, ut exemplum eius secuti, et ipsi egentibus necessaria suppeditarent. Verba (v. 16.) δότε αὐτοῖς, intelligenda sunt cum restrictione: *date* (non omnibus sed) *egentibus.* Ἔφαγον πάντες (v. 20.) *omnes agebant convivium*, die ganze Volksmenge hielt eine ordentliche Mahlzeit unter sich. Ἦραν — πλήρεις (ibid.) *Apostoli duodecim canistra, frustis plena apportaverant.* Sie hatten den ganzen übrigen Vorrath von Brodstücken, 12 Reisekörbe voll hingetragen. Αἴρειν hintragen (?) περίσσευμα, περισσεῦον, *Vorrath überhaupt* Sic de miraculo non esset cogitandum. Sed quam contorta sit haec explicatio, nemo non intelligit.

22. Καὶ εὐθέως — τὸ πλοῖον) *Et illico iussit discipulos conscendere navem.* Ὁ Ἰησοῦς post ἠνάγκασεν ex Evangelistariis, et αὐτὸς post μαθητὰς e Marco in Matthaei textum immigraverunt. Ἀναγκάζω autem h. l. est *iubeo, persuadeo*, ut Luc. XIV, 23. Noluit Christus discipulos suos in partem venire eius molitionis, qua plebs regnum ipsi destinabat. Io. VI, 15. Quare coegit eos προάγειν αὐτὸν εἰς τὸ πέραν, *ante eum transmittere lacum?* et quidem *Bethsaidam*, ut Marcus addit cap. VI, 45. ἕως αὐτὸς ἀπολύσῃ τὰς ὄχλους) *dum dimitteret turbam*, quemadmodum et Hebraeorum עד interdum usurpatur. Ipse vero, populo dimisso, in montem quendam ascendit, precandi caussa, ut statim v. 23. dicitur.

24. τὸ δὲ πλοῖον — κυμάτων) *Navis autem iam in medio lacu a fluctibus hic inde agitabatur.* Eleganter Adiectivum μέσος, relatum ad praecedens Substantivum

tivum, post se regit Genitivum eius rei, in cuius medio versatur, pro: ἐν μέσῳ τῆς θαλάσσης ἦν. Exempla habet Krebsius e Iosepho. Videtur tamen haec construendi ratio potius ad loquendi consuetudinem interpretum Alexandrinorum exacta esse, ut μέσον τῆς θαλάσσης sit pro κατὰ μέσον τ. θ. בְּתוֹךְ. Num. II, 17. Βασανιζόμενον metaphorice sumitur de navigio, quod affligebatur a fluctibus. Ita et Polybius L. I. de procella venti: ὥστε καὶ τὰς σοὰς διασαλέυειν, καὶ τὰς προκειμένας πύργας βασανίζειν. Βασανίζεσθαι igitur est *fluctibus agitari* vel *torqueri*.

25. Τετάρτῃ δὲ φυλακῇ) *quarta autem vigilia*, hebr. אַשְׁמֹרֶת. Iudaei, quamdiu, sua libertate usi, non multum commercii cum aliis gentibus habebant, noctem nonnisi in tres partes secernebant, quarum *primam* vocabant ὀψὲ, ab ὀψία, quoniam partem diei extremam sequitur, atque adeo initia capit a crepusculo; *secundam* vocabant φυλακὴν μέσην, Iud. VII, 19. et μεσονύκτιον, quia hora noctis sexta, h. e. nocte media terminatur: *tertiam* denique ἑωθινὴν, sive πρωϊνὴν, 1 Sam. XI, 11. Exod. XIV, 24. Sic etiam veteres Graeci noctem in tres μοῖρας, sive λάχη distinguere solebant, ut discimus ex *Homero* et *Moscho*. Vid. *Relandi antiquitt. sacr. cum animadverss. Ugolianis Ravianis, curante G I L. Vogel.* pag. 254. §. XVIII. Posteaquam vero, a Pompeii M. inde temporibus, Romanorum potestati subiecti paruerunt, hanc Romanorum consuetudinem secuti, noctem ipsi quoque in quatuor partes, quarum quaeque tres horas, nunc breviores, nunc longiores, pro anni tempestate complectebatur, distinguebant. Ex posteriorum igitur temporum ratione locutus est Matthaeus, cum mentionem facit τετάρτης φυλακῆς. Plura habet *Krebsius* in observatt. in

N.

N. T. e Flavio Iosepho. περιπατῶν ἐπὶ τῆς θαλάσσης) Hoc quoque facto insigniter Christus divinam suam potentiam ostendit. Sic Iob. IX, 8. Deus, summus arbiter maris dicitur περιπατῶν ὡς ἐπ' ἐδάφους ἐπὶ θαλάσσης. Alii vertunt: *Iesus ad littus ambulavit;* nam ἐπὶ cum genitivo et accus. saepe significat *ad*, *prope*, ut Io. XXI, 1. coll. v. 4. Io. VI, 21. Matth. III, 13. Act. VIII, 36. Vid. Paulus *in Memorabil.* T. VI. p. 70. sqq. et *in novo Diar. Theolog.* Vol. V. P. II. pag. 167. sqq. Quibuscum conferri possunt, quae contra monuit Storrius in *Dissertat. exeget.* P. I. pag. 15. 16. Uberius explicavit suam sententiam *Paulus*, et adversus nonnullorum obiectiones eam vindicare conatus est in Commentar. Tom. II. pag. 299—318. Io. Adrian. Bolten (*der Bericht des Matthaeus*) ad h. l. vertit: *Da kam Iesus zur vierten Nachtwache zu ihnen geschwommen, natando venit ad eos.* Quemadmodum nempe de *navibus* verbum הָלַךְ usurpatur, (Gen. VII, 18. cui loco addi potest Ps. CIV, 26.) sic etiam de hominibus super aqua natantibus. Cf. Io. XXI, 7. Alios de hac re Scriptores nominavit *Kuinoelius* ad h. l. Sed non opus esse videtur longa disputatione. Non enim quaeritur, quid ἐπὶ significare possit, sed quid propter contextum significare debeat. Evangelistas autem credidisse, et narrare voluisse, Iesum in mari, vel per mare ambulasse, e versu sequenti et 29. 30. clare patet. cf. v. 33.

26. φάντασμά ἐστι) a verbo φαντάζομαι, cuius significatio est *apparere*, seu *praebere conspiciendum.* Φάντασμα est, quum videre aliquis videtur id quod reipsa nihil est, חִזְיוֹן לֵילְיָה Iob. XX, 8. ubi LXX. habent φάσμα νυκτερινον. Φάσμα autem et φάντασμα idem signifi-

nificant, Sapient. XVII, 4. coll. v. 15. Pharisaei autem, spiritus ut existere per se, ita et indutos humana figura hominibus apparere, putabant. Hebraeis spectrum nocturnum לילית dicitur, de quo non minus portentosa fabulantur, quam de strige Latini veteres.

29. καὶ καταβὰς — Ἰησοῦν) Haec verba BOLTENIUS vertit: *Da sprang Petrus aus dem Schiffe und schwom, um zu Iesu hinzukommen. Descendit Petrus e navi et natavit, ut veniret ad Iesum.* Sed explicationi huic totus contextus repugnat.

30. Βλέπων τὸν ἄνεμον) *quum sentiret ventum.* Verba sensuum saepe permisceri satis notum est. Inprimis vero *βλέπειν* de omni sentiendi cognoscendique genere, sive quid oculis sive auribus percipiatur, usurpatur. Sic Gen. XLII. 1. רָאָה est *accipere aliquid audiendo*, שָׁמַע. v. 2. Cf. etiam Exod. XX, 15. Ierem. XXXIII, 24. Apoc. I, 12.

31. εἰς τί ἐδίστασας;) εἰς τί pro διὰ τί. Opponitur hic διστάζειν, *dubitare, ambigere*, τῷ πιστεύειν, et credere hic nihil aliud est, quam potentiae Dei in Christo confidere.

32. ἐκόπασε) *requievit*, s. *sedatus est.* Eodem verbo utitur Herodotus in Polymnia, agens de procella a Magis sedata.

33. οἱ δὲ ἐν τῷ πλοίῳ) *nautae ipsi.* Θεοῦ υἱὸς εἶ) Cognomen hoc vulgo Messiae fuisse datum apparet ex Io. I, 50. et ex iis locis, ubi mox *Christus*, mox *filius* Dei nominatur; nimirum ex Psalmo II. quem etiam Hebraei veteres de Messia iterpretabantur. Ipsi igitur nautae etiam miraculum agnoverunt.

34.

34. Εἰς τὴν γῆν Γεννησαρέτ) Alii legunt γεννησὰρ, ex diversa scribendi ratione. Iudaei et regionem et lacum vocabant גִּנֵּסַר. Vid. *Buxtorfii Lexicon talmud.* sub hac voce. Ὕδωρ γεννησὰρ memoratur 1 Maccab. XI, 67. Erat regio amoenissima Galilaeae inferioris, ad lacum Tiberiadis sita.

35. Οἱ ἄνδρες τ῀ς τόπ῀ ἐκείν῀,) *huius tractus incolae.* Nam ἄνδρες, אֲנָשִׁים, saepe in universum dicuntur *homines*, nulla sexus ratione habita. Sic Gen. XXVI, 7. אַנְשֵׁי חַמָּקוֹם sunt ἐντόπιοι. Quare permutantur ἄνθρωπος et ἀνὴρ, Rom. IV, 6. 8. coll. Ps. XXXII, 2.

36. ἵνα μόνον — ἱματί῀ αὐτ῀ς) *Ut sibi liceret vel eius togae laciniam attingere.* Nam verba actionis et effectus saepe de permissione sunt intelligenda. Levit. XI, 3. 4. 8. Vide supra c. IX, 20. ὅσοι ἥψαντο) Cum fiducia recipiendae sanitatis. Ita ex circumstantiis restringendae sunt particulae universales.

CAP. XV.

1. Οἱ ἀπὸ Ἱεροσολύμων γραμματεῖς καὶ Φαρισαῖοι) *Doctores et Pharisaei Hierosolymitani*, ut Hebr. XIII, 24. οἱ ἀπὸ Ἰταλίας sunt *Itali*, in ipsa Italia degentes. Cf. Act. XVII, 13. Itaque hic non subaudiendum est ἐλθόντες, quamvis negandum non sit, eos Hierosolymis venisse, quod ex collato Marc. VII, 1. intelligitur. Venerant, ut Iesu captiosas quaestiones proponerent, eique insidias struerent. Fuit haec privata exploratio, sed ab illis instituta, qui scholarum habebant principatum. Nam doctissimi quique γραμματεῖς vocabantur, horum autem auctoritatem sequebatur Pharisaeorum familia, hoc tantum distin-

distincta a ceteris, quod super communia praecepta peculiares sibi ceremonias et superstitiosos ritus iniunxerat. Ideo autem notatur, hos doctores et Pharisaeos fuisse Hierosolymitanos, quia in primaria urbe habitabant nobilissimi magistrorum et partium istarum duces.

2. *Cur discipuli tui violant* τὴν παράδοσιν τῶν πρεσβυτέρων) παράδοσις in genere est *doctrina* quaecunque; nam παραδίδωμι est διδάσκειν, ut et Latinis *tradere*. Vox itaque ista per se non significat commenta mere humana, sed addi plerumque aliquid solet, ut quum dicuntur παραδόσεις ἀνθρώπων Col. II, 8. aut τῶν πρεσβυτέρων, ut hic atque alibi. Πρεσβύτεροι autem hic non sunt senatores magni Synedrii, sed omnes ii, qui eximium sapientiae nomen apud populum erant consecuti; nam antiquitus sapientes, praesertim aliquo post mortem tempore, apud Hebraeos vocabantur ἀρχαῖοι, Matth. V, 21. Harum traditionum quaedam interpretationem continebant eorum, quae in lege ambigua videbantur; aliae definiebant id, quod lex divina viri boni arbitrio permiserat; aliae erant, quas ipsi vocabant sepimenta legis, i. e. cautiones, quibus muniti homines a lege violanda longius arcerentur. Magna fuit istarum traditionum auctoritas apud Pharisaeos et plebem. Persuasum enim credulae plebi, illa instituta non esse quidem perscripta in lege, attamen a Deo Mosi data, deinde a Mose Iosuae eiusque assessoribus, a quibus porro ad prophetas manarint, a prophetis autem tradita sint Esdrae et qui cum eo erant, deinceps vero parentum commemoratione transierant ad posteros; unde hanc praeceptorum congeriem תּוֹרָה שֶׁבְּעַל פֶּה h. e. *legem oralem* appellant. Neque dubitant Iudaei, quin ea ipsa praecepta nunc in Talmudicis libris contineantur, scripturae sci-

scilicet mandata, ne oblivione atteri possent. νίπτωνται) Haec lotio Iudaica fiebat definitis gestibus, et sanctitatis caussa. Arbitrati sunt enim Hebraeorum magistri, si quis ethnicus, aut alioqui iuxta legem impurus, aut cibum ipsum potumve attigisset, aut quicquam, quod cibum potumve contingeret, (puta ipsorum manus, aut vasa, in quibus obsonium coqueretur, aut pocula e quibus erant potaturi,) eum cibum potumve talis inquinamenti contagium ad corpus primum suum, deinde ad animum immittere. Huius Pharisaicae opinionis non leve vestigium est in Apostolis, quum Christi dictum de fermento ita interpretantur, quasi nefas esset, vel a Pharisaeis vel a Sadducaeis cibum comparare. Et notant Hebraeorum magistri, Iudaeos Samaritis, Samaritas Iudaeis obviis proclamasse: noli attingere. ἄρτον ἐσθίωσιν) i. e. *cibum capiunt*, ex Hebraeorum idiotismo, qui passim occurrit.

3. Διατί — παράδοσιν ὑμῶν;) *Cur et vos ipsi praeceptum Dei violatis propter instituta vestra?* Διατί καί, ut hebr. וְלָמָּה Ezech. XVIII, 31. Num. XX, 4. 5. saepe usurpatur, ubi commotius et incitatius interrogamus. Igitur verba διατί καὶ ὑμεῖς verti possunt: *cur et vos ipsi? quid est, quod vos ipsi?* Opponit Iesus sibi invicem τὴν ἐντολὴν τοῦ Θεοῦ, disciplinam *divinam*, maximi faciendam, nec satis aestimandam, et παράδοσιν mere *humanam*, adeoque ad institutionem divinam nihil aestimandam. Sic igitur, antequam de illa, quam obiiciebant, traditione disputet, convellit fundamentum ipsum, cui tota illorum ratiocinatio innitebatur, et ostendit exemplo evidentissimo, hanc traditionem haud raro cum lege divina pugnare.

4.

4. Illustrat Iesus exemplo, quod v. 3. dixerat, *praecepta divina* violari a Pharisaeis, per instituta sua humana. Γάρ, *exempli gratia.* τίμα) Vox Hebraea est כָּבֵד, qua comprehenditur etiam officium honeste alendi parentes. In quem sensum vox τιμῆς, et verbum τιμᾶν etiam a Paulo usurpatur 1 Tim. V, 3. 17. Τιμᾶν, hebr. כָּבֵד usurpatur saepe de veneratione praemiis tribuendis et aliis factis declaranda; Num. XXII, 17. 37. coll. c. XXIV, 13. Sirac. XXXVIII, 1. coll. v. 12. de *grati animi testificatione*, Prov. III, 9. de *parentibus colendis*, non tantum verbis, sed etiam opera et re, in primis Sirac. III, 3. 5. coll. v. 8. καὶ ὁ κακολογῶν — τελευτάτω) *Item, qui patrem et matrem male habuerit, morte plectatur.* Καί h. l. significat *porro, item* ut hebr. ו Deut. V, 17. 18. *alibi, alio loco.* Hebr. I, 10. Locus autem extat Exod. XXI 17. ubi in textu hebraico מְקַלֵּל. Verbum קָלַל, quod Alexandrini l. c. interpretati sunt κακολογεῖν, *Symmachus* aliique interpretes Exod. XXII, 27. reddiderunt ἀτιμάζειν. Quum igitur κακολογεῖν hic opponatur τῷ τιμᾶν; sine dubio significat *contemnere, vilipendere, suumque contemtum prodere verbis et factis*, inprimis cura quae filium decet, parentibus maligne subtracta. Cf. Marc. VII, 12.

5. Ὑμεῖς δὲ — ἀυτῆ) *Vos autem docetis: Si quis ad patrem et matrem dixerit: Deo dicatum est, quo a me possis iuvari, nec illis res ad vivendum necessarias suppeditet*, sc. is recte facit, non delinquit. Ὃς ἐὰν pro ἐάν τις, more Hebraeorum, qui pronomen אֲשֶׁר vel simpliciter, vel adiuncto nomine aliquo ita ponere solent, ut sit *si quis*, ut Levit. IV, 22. coll. v. 3. et 27. δῶρον) suppl. ἔστι, vel ἔστω. Est autem δῶρον h. l. קָרְבָּן, quam vocem

cem *Marcus* hic posuit, nimirum id, quod Deo sacratur. Potest ergo reddi: Deo sacratum *est*, vel Deo consecratum sit. ὅ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς) *quocunque a me possis iuvari* Nam ὅ ἐὰν saepissime universalem enuntiationem declarat; et ὠφελεῖσθαι τι ἐκ τινὸς est: a quopiam aliqua re iuvari, sive emolumentum aliquod consequi. καὶ) Deest in Codd. nonnullis, nec habent *Orig* et *Cyr.* Sed lectio recepta omnino est genuina. De constructione verborum in hoc commate sententiae interpretum variant. Nonnulli enunciationem hypotheticam esse putant, sed mancam illam, quae careat parte altera, s. apodosi, ita ut post verba καὶ ὃ μὴ τ.μήσῃ — μητέρα αὐτοῦ addi debeant verba ἓν ἔχει, vel similia. Qui nihil supplendum putant, ii particulam καὶ ante ὃ μὴ τιμήσῃ ita coniungunt cum hoc commate, ut inchoet apodosin, et τιμᾷν sit explicandum: *alere, sustentare.* Sensus ergo esset: *Si quis dixerit patri aut matri: Deo sacratum sit, quocunque possis a me iuvari: tunc nequaquam honoret (alat) patrem suum aut matrem suam.* Quod Deo dicatum erat, id credebatur omnino esse extra hominum potestatem atque commercium; hinc illud קָרְבָּן in hac formula non male Hebraei interpretes exponunt אָסִיר עָלֶיךָ i. e. *prohibitum s. praeclusum esto tibi.* Et quia in nomine κορβᾶν, Dei mentio erat inclusa, (res *Deo* sacra) ideo hoc votum non esse nudum, sed iurisiurandi religionem complecti credebatur. Ex *Lightfootii* sententia inducuntur verba, quasi prolata cum indignatione: ac si, cum a filio alimoniam posceret egenus pater, responderet ille iracundus, et cum contemtu: *Sicut res sacrata sit, quodcunque meum tibi prodesse possit*, i. e. nunquam ex opibus meis tibi prodero. Christus ostendit quam impiae

piae essent Pharisaeorum traditiones, ac in quam nefandas consequentias saepe prolaberentur. Directe alimoniam parentum non negarunt, imo praescripserunt, at consequenter per hanc traditionem omnia ista frustranea fecerunt.

6. ἠκυρώκατε τὴν ἐντολὴν τ. θ.) *irritum fecistis Dei praeceptum*, quantum in vobis est. Vid. v. 5. Derivatur hoc verbum a κῦρος, quo plena auctoritas ac imperium declaratur. Itaque ἀκυροῦν proprie significat, *omni imperio ac auctoritate spoliare*, ἀθετεῖν, Marc. VII, 9. coll. v. 13.

7. προφήτευσε) Ies. XXIX, 13. Προφητεύειν h. l. non est futura praedicere, sed simpliciter *pronunciare, dicere.* In vos etiam quadrat Iesaiae dictum.

8. Verba: ἐγγίζει μοι, et τῷ στόματι αὐτῶν καὶ desunt in multis Codd. Verss. et Patribus. Potius ex Iesaia videntur addita, quam Marci exemplo praetermissa. Vera igitur lectio esse videtur: ὁ λαὸς οὗτος τοῖς χείλεσι με τιμᾷ. Ἡ δὲ καρδία—ἀπ' ἐμοῦ) *Hic populus me quidem verbis veneratur, sed alieno a me est animo*, non amat me; externo cultu me prosequitur, sine iusta mentis integritate. Ὁ λαὸς οὗτος, הָעָם הַזֶּה, est oratio indignati; non enim dicit *populus meus*, sed *hic populus*, quasi nihil amplius ad se pertineret. Exod. XXXII, 9. Τοῖς χείλεσί με τιμᾷ, *verbis me honorat, inani verborum pompa observanter me prosequitur.* Parallelismo apud Iesaiam פִּי, στόμα, שְׂפָתַיִם, χεῖλος, sunt Synonyma, per metonymiam pro λόγος, sic enim פִּי vertunt LXX. 1 Sam. XV, 24. 1 Chron. XII, 23. Ἡ δὲ καρδία — ἀπ' ἐμοῦ) *Sed animum habent a me alienum.* Vid. Ier. XII, 2. ex versione Alexandrina. Sic de *Delila*, Simsonem non

non amplius amante Iud. XVI, 15. dicitur: ἡ καρδία σε ἐκ ἔστι μετ' ἐμοῦ, *animo es a me alieno; nec me amas.*

9. Μάτην δὲ σέβονταί με) *Suo sibi exitio mihi talem cultum praestant.* Μάτην לְשָׁוְא, *frustra, inutiliter*, Ier. II, 30. IV, 30. et per λιτότητα, non tantum sine fructu, sed etiam *sibi exitio.* Διδάσκοντες — ἀνθρώπων *Docentes ac sequentes ceterum mera instituta humana.* Sic recte *Thalemannus* vertit. Alexandrini verba Ies. XXIX, 13. reddunt ἐντάλματα ἀνθρώπων καὶ διδασκαλίας, Matthaeus autem ordinem verborum mutavit. Διδάσκειν διδασκαλίας, (ut χαίρειν χαρὰν *laetari,*) simpliciter significare videtur *docere, praecipere.* Ἐντάλματα ἀνθρώπων, *humana dogmata* dicuntur Iesaiae et Christo ea, quae fundamentum habent in persuasione mere humana, et non divinitus tradita; qualia sunt illa, de quibus nunc agebatur, ut mox explicatius ostenditur.

10. τὸν ὄχλον) *de plebe homines*, quos legisperiti ut indoctos, Pharisaei ut parum religiosos, prae se fastidiebant. ἀκούετε καὶ συνίετε) Attentionem desiderat Christus; quia plerumque homines nolunt *quae iuvenes discere, senes perdenda fateri.*

11. οὐ τὸ εἰσερχόμενον εἰς τὸ στόμα κοινοῖ τὸν ἄνθρωπον) *Quod comeditur et bibitur non polluit hominem. Cibo et potu* (modice sumtu) *homo non contrahit culpam.* Τὸ εἰσερχόμενον εἰς τὸ στόμα, est *cibus et potus.* Similes phrases sunt Ezech. IV, 14. Dan. X, 3. Act. XI, 8. coll. X, 14. κοινὸν h. l. non est *communicare*, sed respondet Hebr. טָמֵא, et significat *inquinare, polluere*, et opponitur τῷ ἁγιάζειν. Haec quum ad animum referuntur, ut hoc loco, τὸ ἁγιάζειν *culpae immunita-*

nitatem, τὸ κοινῶν *culpam contractam* significat. Putabant Pharisaei ita immunda esse quaedam natura sua, ut per se, non ex instituto, animam polluerent. Id Christus hic negat. ἀλλὰ τὸ ἐκπορευόμενον ἐκ τοῦ στόματος) *Sed quod ore profertur;* cuius generis sunt hominis verba. Generalius apud Marcum τὰ ἐκπορευόμενα ἐκ τοῦ ἀνθρώπου, i. e. *ea quae ex voluntate hominis procedunt.* Sed quia eorum multa solent aut ore peragi, aut certe non sine oris adminiculo, ideo hoc exempli caussa Christus addidit, quo evidentior esset Antithesis. τοῦτο — ἄνθρωπον) *Hoc potest hominem poena dignum reddere.* Κοινοῖ idem est ac κοινὸν δύναται Marc. VII, 15. 18. Malis nempe cuiusvis generis sermonibus homo culpam contrahit, et reus fit poenae. Tales sermones saepe proferebant Pharisaei. Exemplum erat v. 5.

12. ἐσκανδαλίσθησαν) *Offensi sunt.* Nam Pharisaei maximi faciebant traditiones sapientum, et in observatione tum rituum quorundam, quos sibi ipsi imperaverant, tum earum traditionum, maximam divini cultus partem constituebant.

13. πᾶσα φυτεία — ἐκριζωθήσεται,) Sensus propriis verbis expressus esset: *Quodcunque religionis nomine venditur, nec tamen patrem meum habet auctorem, id reiiciendum est.* Doctrina, vel *dogma* vocatur planta eadem ratione, qua appellatur semen. Sic etiam Is. LXI, 3. γενεαὶ et φύτευμα permutantur. A Deo autem non sunt dogmata, quae fundamentum non habent in revelatione divina, rectaeque rationis usu. Tales doctrinae inutiles, et revelationi divinae non tantum, sed et sanae rationi contrariae, erant Pharisaeorum traditiones. Huiusmodi plantae evelli debent; nempe ducendo homines ad veri cognitionem, ut ex sequentibus apparet.

14. ἄφετε αὐτὰς) *Missos facite eos*, qui sibi ipsi sapere videntur, neque curate eorum indignationem. Valeant stulti Pharisaei cum stultis et ineptis constitutiunculis. Significat Christus, eorum offensas tanti non esse, ut propterea deserenda sit caussa veritatis. ὁδηγοὶ εἰσι τυφλοὶ τυφλῶν) i. e. *ipsi rudes et ignari alios erudire volunt.* Ὁδηγοὶ translate sunt *doctores*, ut ὁδὸς, דֶּרֶךְ est *doctrina*; quare ὁδηγεῖν et διδάσκειν permutantur, Io. XVI, 13. coll. XIV, 26. Τυφλοὶ, עִוְרִים, qui nihil sciunt, לֹא יֵדָעוּ, Ies LVI, 10. Sic in *Menandri* sententiis τυφλοὶ dicuntur ἀνόητοι. Igitur ὁδηγὸν εἶναι τυφλῶν h. l. est aliis ignaris viam salutis ostendere. Sed Pharisaei erant ipsi coeci doctores. Similis et notissima comparatio est apud *Horatium: Ut si coecus iter monstrare velit.* εἰς βόθυνον πεσοῦνται) Uterque nimirum adducitur exitio, tum is, qui praeit, tum is, qui sequitur. Connexio videtur haec esse: Si illi consuli sibi nolunt, at plebi consulamus, quae alioqui tam coecis doctoribus usa, ipsa quoque coeca in exitium ruet.

15. Ὁ Πέτρος) *Marcus* c. VII, 17. οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ. Interrogavit igitur Petrus nomine totius societatis s. Collegii Apostolorum: Φράσον ἡμῖν τ. παραβ. τ.) *Explica nobis hoc obscure* (et acute) *dictum*. De verbo Φράζειν vid. supra c. XIII, 36. Παραβολὴ, מָשָׁל h. l. est *scite graviterque dictum, proverbium, apophthegma.* Nam sententia de eo, quod in os intrat, quodque ex ore proficiscitur, non est similitudo, sive comparatio, sed est alia ratione scite dictum, et quidem *apopthegma.* Dixerat Iesus v. 11. cibo et potu neminem pollui. Hoc simpliciter dictum et accipiendum idcirco figurate dictum Petrus suspi-

suspicatur, quod eo alioqui tolli ciborum discrimen in lege positum putabat. Quum autem non fieri posse censeret, ut legis Mosaicae auctoritas cessaret, improprie accipienda esse verba Christi, sibi persuadebat.

16. ἀκμὴν καὶ ὑμεῖς — ἐστε;) *Vosne etiam adhuc insipidi estis?* ἀκμὴν teste *Hesychio* idem est, quod ἔτι, *adhuc*. Aliis elliptice est pro κατ' ἀκμὴν, *plane, omnino*: ἀκμὴ enim florem et vigorem alicuius rei significat, quo ad perfectionem pervenit.

17. οὔπω — ἐκβάλλεται) *Nondum intelligitis, id quod ore sumitur*, (editur et bibitur) *in ventriculum deferri, et deinceps per alvum deiici?* Εἰς ἀφεδρῶνα ἐκβάλλεται, *in latrinam eiicitur*. Nomen ἀφεδρῶν, quod *Suidas* barbarum vocat, vocabulis a Macedonibus fictis annumerandum esse videtur. Significat primo *sellam familiarem, conclave, secessum*; deinde *sedem, podicem*, denique etiam *locum, in quem excrementa alvi egeruntur et confluunt*. Vid. *Fischeri* Prolus. 31. p. 698. s. Quod comeditur et bibitur id in ventriculum, non vero in animum defertur. Cibus igitur non polluit animum, nec cum animo et mente commiscetur, sed partim corpus alit, partim per alvum deiicitur.

18. τὰ δὲ — ἄνθρωπον) *Quod homo ore profert, id ex animo exit, et reum potest facere hominem.* Nihil enim ore pronunciatur, quod non prius fuerit in mente et cogitatione, idque nobis recte imputatur. Cf. v. 11.

19. διαλογισμοὶ πονηροὶ) Pravae cogitationes, quas effectu non secuto Iudaei ne apud Deum quidem in crimine poni putabant. βλασφημίαι) *maledicta*, i. e. sermones, quibus aliena fama laeditur. Demosthenes et alii saepe usurpant pro *calumnia*.

20. ταῦτα — ἄνθρωπον) Docet Iesus, hominem vel animum non pollui et invisum Deo reddi cibo aut ore, sed animo impuro et malo. Pharisaeos igitur, qui animum impurum haberent, vere pollutos, inquinatos ac proinde Deo invisos esse.

21. Καὶ ἐξελθὼν ἐκεῖθεν ὁ Ἰησοῦς:) *Illinc digressus Iesus. Illinc*, i. e. e regione Genesaretensium. c. XIV, 34. Sine dubio ideo e Galilaea inferiore discessit, ut insidias Pharisaeorum effugeret, qui Hierosolymis profecti adversus eum convenerant. εἰς τὰ μέρη Τύρου καὶ Σιδῶνος) εἰς hic est *versus*, ut Syrus transtulit. Nam εἰς τὰ μεθόρια inquit *Marcus*, i. e. ad confinia Tyri et Sidonis. Neque enim videtur exiisse Christus terrae Hebraeorum fines. Caeterum *Tyrus* et *Sidon* erant emporia vetustissima, mari Syriaco in Phoenicia regione adiacentia, a se invicem non nisi duobus milliaribus distantia, unde etiam in sacris literis frequenter coniunctim commemorantur. Cf. Marc. VII, 24.

22. χαναναία) Marco Συροφοινίσσα. Nam χαναναῖοι Hebraeis dicti stricte ac peculiariter hi, qui Sidonem et Tyrum, et quod adiacet orae maritimae habitabant. *Stephanus* de urbibus: Χνᾶ, ἔστιν ἡ Φοινίκη καλεῖται. Sidonii accensentur Cananaeis Iud. I, 31. Quod autem ἑλληνίς haec mulier *Marco* dicitur, significat, nec Hebraeam fuisse gente, nec Ἰουδαΐζουσαν. Neque tamen sequitur fuisse idolorum cultricem, Nam et in Iudaea et in vicinis regionibus et alibi multi erant viri foeminaeque εὐσεβεῖς σεβόμενοι τὸν θεὸν, extra professionem Iudaismi, qualis *Cornelius*, *Lydia* atque alii. ἐκραύγασεν, αὐτῷ λέγουσα) Pronomen αὐτῷ coniungendum est cum Participio λέγουσα. κακῶς) *misere*, i. e. δεινῶς, ut habet *Origenes*.

23. *οὐκ ἀποκρίθη αὐτῇ λόγον*) *Ne verbum quidem illi respondit.* Voluit nempe mulieris constantiam et fidem eo magis omnibus probatam reddere, et discipulos edocere, gentiles non esse contemnendos, nec eos esse dicendos *ἁμαρτωλοὺς* et *κύνας*, Iudaeorum more. Sed aliam etiam caussam commemorat *Marcus*, c. VII, 24. Deverterat nempe Iesus in domum quandam, et praesentiam suam ignorari volebat, haud dubie propter Pharisaeorum insidias. Igitur valde importuno tempore haec mulier ad eum veniebat, et auxilium eius implorabat; quod ei non potuit non esse molestum. *ἠρώτων*) i. e. *ἐδέοντο*. Nam sicut apud Latinos *rogandi* verbum ambiguum est, ita etiam *τὸ ἐρωτᾶν* apud Graecos. *Ἀπόλυσον αὐτὴν*, *dimitte eam*, fer ei auxilium. Intercedebant pro illa foemina, quoniam illius clamores illis molesti erant.

24. *οὐκ ἀπεστάλην — Ἰσραήλ*) *Tantum ad miseros ex gente Israelitica pertinet munus meum* sc. sanandi aegrotos. *Εἰς* pro *πρὸς τὰ πρόβατα ἀπολωλότα*, *ad oves perditas*, (hebr. צֹאן אֲבֵדוֹת, Ier. L, 6.) i. e. *ad miseros*. Metaphora deducta est ab ovibus, quae aberrarunt, et est imago miseriae et infelicitatis. *οἶκος Ἰσραήλ*,) gentis Israeliticae. *Οἶκος*, *familia*. Habebant enim omnes tribus communem patrem, Israelem. Vide supra c. IX, 36. Ceterum haec verba dixit Iesus non mulieri Cananaeae, sed discipulis, qui eum comitabantur.

26. *οὐκ ἔστι καλόν*) i. e. *οὐ πρέπει*. Syrus לָא שַׁפִּיר. *βαλεῖν τοῖς κυναρίοις*) *proiicere catellis*, s. *canibus*. Κυναρίοις idem est ac *κυσί*. Nam apud Graecos multa verba habent quidem formam, non autem vim diminutivorum, certe non semper, nec ubique. Hoc titulo, ex virulentia et contemtu *Iudaei* gentiles dedecorarunt. Nam sese nomi-

minarunt τέκνα θεῦ, reliquas vero gentes κύνας. *Midr. Tillin: Nationes mundi* (i. e. *Ethnici*) *assimilantur canibus.* Ex communi gentis loquela potius, quam ex sensu suo Phraseologia hac utitur Christus, cui Gentiles non tam exosi, et cui in more fuit loqui cum vulgo. Cf. Marc. VII, 27.

27. ναὶ κύριε) Ita est Domine. Particula in hoc loquendi genere assentientis, sed ita ut obsecrationi subserviat. καὶ γὰρ — κυρίων ἀυτῶν) *Sed tamen canibus comedere licet de micis* etc. Καὶ γὰρ, *sed tamen.* Ἐσθίει, *comedere licet.* Sic אֲכַל Levit. XI, 3. 4. 8. Quasi dicat: Et ego nec multa nec magna nimium beneficia postulo, sed unum, quod obiter et sine aliorum detrimento concedi mihi potest. Reliquias canibus dari, receptum ubique.

28. Μεγάλη σε ἡ πίστις) *Magna est tua fides*, i. e. fiducia, persuasio de mea potentia et voluntate iuvandi misero. γενηθήτω σοι ὡς θέλεις) *Quod rogas, fiat.* Θέλειν saepius idem est, quod αἰτεῖν. Vid. Matth. XXVII, 15. coll. Marc. XV, 6.

29. Μεταβὰς ἐκεῖθεν) *Quum inde discessisset*, nempe e finibus Tyri et Sydonis, v. 21. Venit παρὰ (i. e. πρὸς) τὴν θάλασσαν τῆς Γαλιλαίας, Marcus cap. VIII, 31. addit: ἀνὰ μέσον τῶν ὁρίων Δεκαπόλεως. Cf. Matth. IV, 25.

30. κυλλοὺς) *mancos*, qui unam manum debilem habent. Attici mancos etiam χωλοὺς τὰς χεῖρας vocarunt. καὶ ἔῤῥιψαν — Ἰησοῦ) *Et posuerunt eos ad pedes Iesu.* Nam ῥίπτειν h. l. est *ponere, collocare.*

31. Ὥστε — λαλοῦντας) *Ita ut homines admirarentur, quum viderent mutos loquentes.* Dubium non-

nonnullis visum fuit, utrum βλέποντας ad τὰς ὄχλους, an vero ad coecos, quibus Iesus visum reddiderat, referre debeant; unde orta est magna lectionis varietas, de qua vid. GRIESBACHIUS ad h. l. Κωφὸς non surdum tantum, sed mutum etiam denotat. ἐδόξασαν) magnifice extulerunt et collaudarunt.

32. ὅτι ἤδη ἡμέρας τρεῖς προσμένουσί μοι) Multi Codd. habent ἡμέραι, et nunc post ἡμέραι τρεῖς, sc. εἰσί, ponendum est punctum. προσμένουσί μοι, i. e. a latere meo non discedunt. καὶ οὐκ ἔχουσι τί φάγωσι) non quod toto triduo ieiunaverint, sed quod tertio die, viatico deficiente, fame premi coeperint. νήστεις) *ieiunos*, i. e. impastos, ut loquitur Virgilius. Nam alioqui nihil eos cibi tot diebus sumsisse, ne verisimile quidem est. Μήποτε ἐκλυθῶσιν ἐν τῇ ὁδῷ, *ne plane viribus deficiant in itinere.* Ut enim verba ligandi et stringendi apud Orientales sensum habent firmitatis et vigoris, sic verba solvendi vim habent imbecillitatis, languoris, lassitudinis, consiliique inopiae. Sic חָזַק apud Syros et Arabes proprie *constrinxit*, apud Hebraeos *firmus factus est*, *invaluit*, *valide egit.* Ies. XXII, 21. cui opponitur רָפָה, *solutum*, *remissum esse*, Ies. XXXV, 3. Similem historiam habuimus supra, c. XIV, 14. ss. Novam *Pauli* explicationem (Commentar. T. II. pag. 392. ss.) aliis examinandam relinquimus.

35. ἀναπεσεῖν) Supra ἀνακλιθῆναι. Plane nihil differt ἀναπίπτειν, ἀνακλίνεσθαι, et ἀνακεῖσθαι ubi de conviviis agitur; neque refert, humine an in lectis discumbatur.

37. σπυρίδας) *Sportas*, *corbes*, in quibus panes et alii cibi asservabantur. Cap. XVI, 9. *Cophini* nominantur, eodem sensu.

39.

39. εἰς τὰ ὅρια μαγδαλᾶ) *Magdala* erat castellum et oppidum trans Iordanem ad lacum Tiberiadis. *Marcus* εἰς τὰ μέρη δαλμανουθᾶ. Alii legunt μαγαδᾶν. Sed nihil mutandum: Dalmanutha enim fuit locus intra limites Magdalenses, ut ostendit *Lightfootus* in Chorogr. Marco praemissa c. V.

CAP. XVI.

1. Πειράζοντες) *tentantes*, i. e. ut experirentur, ecquid posset hoc praestare quod petebant; sed captiose, et malo animo ad id petendum ipsos instigante, quaerentes calumniae occasionem. Ἐπηρώτησαν -- αὐτοῖς) *Rogarunt, ut prodigium aliquod e coelo ipsis spectantibus ederet.* Σημεῖον ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, fortassis quale edidit Samuel, tonitrua eliciens, Iesaias, umbram regredi iubens in solario, vel potius Moses, quum Mannam Deus coelitus deplueret. Digna sunt lectu, quae *Michaelis* notavit ad h. l. p. 229. *Paulus* intelligit *Bathkol, ein ominöses Signal vom Himmel her.*

2. εὐδία) sc. ἄυριον ἔσαι. Εὐδία, *serenitas, coelum serenum.* Apud Theophrastum εὐδία est ἐφημερία. πυρράζει γὰρ ὁ οὐρανὸς) *rubet coelum;* nam πυρρὸν rubrum dixere, seu rutilum. Haec eadem prognostica apud *Aratum* licet legere, communi etiam usu observata.

3. Σήμερον — ὁ οὐρανὸς) *Hodie tempestas erit; nam rubet triste coelum*, i. e. rubet coelum, nubibus admixtis. χειμών, proprie *hyems*, h. l. *tempestas procellosa et turbida.* Nam in orientalium regionibus hyems est nebulosa et pluviosa. Vid. *I. D. Michaelis* ad Iob. XXXVII, 6. atque Esr. X, 9. Apud Profanos etiam εὐδία

et

et χειμὼν opponuntur. Loca habet *Wetstenius*. Profani etiam συγνότητα de *coelo tristiore* et *obnubilato* usurpant, quod *Raphelius*, *Kypke* et *Wetstenius* notant. Verba comm. 2. 3. ὀψίας usque ad δύνασθε omissa sunt ab Origine in Cod. Vatic. iunioribus nonnullis, et exemplaribus plerisque, quae laudavit Hieronymus. Fortassis librarii nonnulli iam ante Hieronymi tempora consulto haec praetermiserunt, ne scilicet, (quae Bengelii ingeniosa est coniectura,) in regionibus alia tempestatum prognostica habentibus, Dominus videretur minus vera dixisse; nam quae hoc loco dicuntur, non in omnia convenire climata, docent physici. Caeterum de hac lectionis varietate Griesbachius copiose disputat. Ὑποκριταί — δύνασθε;) *Vos Simulatores coeli faciem potestis dignoscere, temporum autem signa non potestis!* Ὑποκριταί omittunt complures ad utramque recensionem pertinentes testes, veteres et graves. E Luc. XII, 56. irrepsisse videtur. πρόσωπον) פָּנִים, *externa species*, *facies*. Sed et Latini ita loqui solent, e. g. *Naturae facies*, *facies coeli* etc. διακρίνειν, i. e. ita discernere, ut inde praedicatis, quae immineat tempestas, atque ad ea praesagia componatis res vestras. τῶν καιρῶν, horum temporum, vel huius temporis, ut vertit Syrus. Sensus hic est: Si divina providentia tam benigna fuit in homines, ut sereni, venti, pluviae signa quaedam praemitteret; quanto aequius credi est, ab eadem providentia data esse signa imminentis adventus Messiae? Sed vos illa signa consideranda satis estis diligentes; de adventu Messiae signa poscitis, quasi nulla sint data, quum data sint et multa et certissima, praecipue vaticinia veterum Prophetarum, miracula a me edita, et ipsa doctrina mea.

4. ἐπιζητεῖ) *requirit*, vel insuper quaerit, tot aliis signis non contenta. τὸ σημεῖον Ἰωνᾶ) signum illud Ionae. Cf. supra c. XII, 39.

5. ἐλθόντες οἱ μαθηταὶ αὐτὸν εἰς τὸ πέραν) i. e. *quum in ulteriorem ripam* a littore lacus Tiberiadis orientali ad littus occidentale *proficiscerentur*. Nam ἔρχεσθαι in N. T. saepe est *ire*, ut Luc. XV, 19. Luc. II, 44. Videtur enim Christus, (ut Hieronymus ex Marco colligit) hos sermones in ipso itinere atque adeo in navi habuisse, et quae apud Lucam est historia c. XII. ab hac esse diversam. Potest tamen ἔρχεσθαι h. l. significare, *in viam se dare*, *iter parare*, ut Matth. XXVIII, 1. Act. XX, 14. coll. v. 15. c. XXVIII, 14. coll. v. 15. Cf. HENR. STEPHANI *Thesaur. linguae graecae* ad hanc vocem. Ἄρτους λαβεῖν, *panes secum sumere*, pro μετ' ἑαυτῶν λαβεῖν, ut Matth. XXV, 3. Sic לָקַח, sequente אֵת Gen. XXII, 3.

6. Ὁρᾶτε καὶ προσέχετε ἀπὸ τῆς ζύμης τῶν Φαρισαίων) *Studiosi vobis cavete a fermento* (i. e. ab institutis, falsa doctrina) *Pharisaeorum*. Duo nomina vel verba, quae fere idem significant, saepius iunguntur. Sic Exod. XXXI, 13. Alexandrini habent ὁρᾶτε καὶ Φυλάξασθε, ubi in hebraeo: אַךְ תִּשְׁמֹרוּ, vel ὁρᾶτε καὶ προσέχετε est pro: ὁρᾶτε ἵνα προσέχητε. Natura fermenti est, vim suam late spargere; ideo supra vera doctrina fermento comparata est. Hic et apud Paulum ad Galatas, falsa dogmata fermento comparantur eandem ob caussam. Alibi mala exempla. Sensum horum verborum Christus ipse explicat infra com. 12.

7. διελογίζοντο ἐν ἑαυτοῖς) *Disceptabant inter se*. Ἐν pro *inter*, non pro *intra*, seu *apud*. Nam inter se col-

colloquutos certum est ex Marc. VIII, 16. ὅτι ἄρτους οὐκ ἐλάβομεν) Sc. *ideo hoc dixit*. Existimabant discipuli, Iesum, quum sciret, deesse illis panes, monere eos in tempore, ne panem sibi ab hominibus Pharisaicae aut Sadducaeicae sectae compararent, plane, quasi is panis ipsos esset inquinaturus.

8. Τί — ὀλιγόπιστοι) *Cur dubii estis, parum* mihi *confidentes*? cur de cibo solliciti estis? Διαλογίζεσθε ἐν ἑαυτοῖς, *dubii estis, animo pendetis*. De voce ὀλιγόπιστοι vid. supra c. VI, 30.

9. Οὔπω νοεῖτε, *nondum sapitis*; Etiamnum tardi estis in percipiendis dictis meis? τοὺς πέντε ἄρτους τῶν πεντακισχιλίων) *Quinque panes quinquies mille (hominum)* i. e. quibus pavi quinque millia hominum; quod genus dicendi a vulgi consuetudine petitum est, sicut pleraque alia. Cf. Marc. VIII, 18.

11. Πῶς οὐ νοεῖτε — σαδδουκαίων;) *Quomodo non intelligitis, me non de pane dixisse, quum ad cavendum fermentum Pharisaeorum et Sadducaeorum vos hortarer?* Hic sine dubio horum verborum est sensus. Sed variat lectio. Pro ἄρτου habent ἄρτων multi e praestantioribus omnium familiarum codicibus: quibus tamen alii earundem familiarum codices repugnant. Εἶπον ὑμῖν προσέχειν valde suspectum est. Praeferenda esse videtur lectio: εἶπον ὑμῖν; (supple εἰπών, בְּאָמְרִי, *dicens dicendo*:) προσέχετε δὲ κ. τ. λ. Δὲ respicit id, quod iam v. 6. dictum, et sermocinatione interposita, abruptum fuerat, denuo menti imprimendum. Omittunt δὲ nonnulli Codd. et Verss. Iuniores quidam Codd habent: προσέχειν, προσέχετε. Vide Griesbach. ad h. l.

12. ἀπὸ τῆς διδαχῆς τῶν Φαρισ. κ. σαδ.) Doctrina Pharisaeorum ducebat ad superstitionem, simulatam pietatem, superbiam et alia vitia; Sadducaeorum autem ad abnegandam fidem providentiae divinae et immortalis vitae post mortem corporis. Ideo Christus discipulos a doctrina Pharisaeorum et Sadducaeorum cavere iubet.

13. ἐλθὼν δὲ ὁ Ἰησοῦς) ἐλθὼν hic iterum est, *quum proficisceretur*, non *quum venisset*. Habiti enim sunt hi sermones ἐν ὁδῷ, ut ait *Marcus*, c. VIII, 27. In sequentibus usque ad c. XX, 16. refert Matthaeus inprimis dicta et facta Iesu proxime ad discipulos et futuros Apostolos spectantia. Καισαρείας τῆς Φιλίππου) Duae urbes Palaestinae fuerant nomine Caesareae nuncupatae, altera ad mare mediterraneum sita, opus Herodis M. magnificum et singulare, quae et Stratonis turris, Ioseph. L. XV. tum temporis sedes Procuratoris; altera, de qua hic sermo, prope fontes Iordanis, postea Paneas dicta, a *Philippo*, Tetrarcha Galilaeae exornata, et in honorem Imperatoris Romani Caesarea appellata, de qua idem Ioseph. Libr. XVIII. ita: Φίλιππος δὲ πανεάδα τὴν πρὸς ταῖς πηγαῖς τῷ Ἰορδάνῃ κατασκευάσας, ἐνομάζει καισάρειαν. τίνα με — τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου;) Nonnulli interpretes haec verba sic interpungunt: τίνα με λέγουσι οἱ ἄνθρωποι εἶναι; τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου; *Quemnam me dicunt homines esse? Num filium hominis*, i. e. *Messiam?* quam interpunctionem *Beza*, *Piscator*, *Clericus*, *Mastrichtus* aliique probant. Ita in altero membro repetendum esse λέγουσι με. Alii commate posito post εἶναι, vertunt: *Quemnam me dicunt homines esse? me inquam, qui sum Messias?* Alii denique με, quod in nonnullis versionibus deest, omittendum esse censentes, vertunt: *Quemnam homines dicunt filium hominis* (i. e. *me*) esse? Tum με, quod

cod.

cod. vaticanus et versiones complures omittunt, si genuinum est, redundat. Non tantum generatim quaesivit Iesus, quaenam fuerit hominum de se opinio, sed nominatim etiam, quid de persona *filii hominis*, quam de se usurpare solebat, senserint. Vid. *Scholten* ad h. l. libro supra laudato p. 119. sqq. Οἱ ἄνθρωποι, i. e. *plebs*, de plebe homines, non Pharisaei et Sadducaei. Recte mihi videtur vertere haec verba *Reichardus* ita: *Quaerit ex iis, quemnam ipsum vulgo homines ferrent?*

14. Ἰωάννην τὸν βαπτιστήν) Vide supra c. XIV, 2. Ἠλίαν) Quia Elias corpore sursum raptus legitur, ideo is ipse rediturus putabatur, et quidem ante Messiae tempora; quam receptam fuisse magistrorum sententiam, nimirum ex male intellecto *Malachiae* vaticinio, docemur infra c. XVII, 10. Extant eius sententiae vestigia in Hebraeorum libris, quorum tamen nonnulli venturum eum volunt in alio corpore, ut *David Kimchi* notavit ad *Malachiam*. Ἰερεμίαν) Hebraei exspectabant reditum Ieremiae, ut ex Gorionide apparet. Imo quidam animam Ieremiae renatam in *Zacharia* existimabant, quomodo animam Phineae in Elia. ἢ ἕνα τῶν προφητῶν) qui scilicet nunc resurrexerit Luc. IX, 8. Haec autem qui opinabantur, eos apparet nihil audivisse de natalibus Iesu, primamque de eo famam ex miraculis, et quidem nuper admodum, accepisse. Cf. D. Leonh. Bertholdi *Christologia Iudaeorum, Iesu Apostolorumque aetate*. Erlangae 1811. p. 58. seq.

16. ἀποκριθεὶς — Πέτρος) Respondit Petrus suo et condiscipulorum suorum nomine. Fuit Petrus, ut historia evangelica docet, homo fervidi ingenii, promptus ad agendum et animosus. Quare Patres ei tribuunt θερμότητα, promtitudinem ad suscipiendas actiones praeclaras, et generosam mentem, quae facile ad quidvis audendum specie ho-

honesti oblata impelleretur. Laudabilis omnino indoles, quae vero, nisi recti notitia dirigatur, audaciam pariat interdum perniciosam. Vid. Is. Casauboni Exercitatt. ad Annales Baronii XIV. nr. VII. Σὺ εἶ — τοῦ ζῶντος) *Tu es Messias, filius unice veri Dei.* Ὁ Χριστός, *Messias;* ponitur enim h. l. Christi nomen pro officii appellatione, non proprio nomine, ut alibi saepe. Ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ h. l. est merum Synonymum τοῦ Χριστοῦ, ut Io. VI, 69. XI, 27. Matth. XXVI, 63. Sic etiam Io. I, 50. ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ et ὁ βασιλεὺς τοῦ Ἰσραὴλ coniunguntur. Reges dictos esse filios Dei patet ex 2 Sam. VII, 14. coll. Hebr. I, 5. Ps. II, 6. 7. aliisque locis. Vid. *Koppii* N. T. Vol. I. p. 91. sqq. De divina natura Christi Petrus tum temporis nondum erat edoctus. Ceterum Deus vocatur ὁ ζῶν, quod est nomen veri et unice colendi numinis, 1 Sam. XVII, 26. 36. Ps. XLII, 3. ut distinguatur ab idolis et numinibus paganorum fictitiis, vita carentibus; unde hi ipsi Dii vocantur מֵתִים, νεκροί, Ps. CVI, 28. Cf. etiam Sapient. XIII, 10. 17. 19. XIV, 29.

17. Μακάριος — Ἰωνᾶ) *O! te beatum, Simon, fili Ionae!* Βὰρ esse בַּר Chaldaeorum atque Syrorum, ac idem esse, quod in Hebraeorum sermone vocabulum בֵּן, *filius*, omnibus est notum. Iona hic non esse יוֹנָה quod nomen est unius e duodecim prophetis, sed יוֹחָנָא pro יוֹחָנָא sive יוֹחָנָן, Drusius et Grotius existimarunt. Quum vero Ἰωνᾶς, h. l. יוֹנָה fuerit nomen masculinum apud Iudaeos haud insuitatum, haec sententia non est verisimilis. Vid. Fischeri *Prolusiones de vitiis Lexicorum* p. 651. sqq. Moris erat apud Hebraeos, ut nomini paullo communiori discri-

mi-

minis caussa adderetur Patronymicum, ut videre est in veteri foedere multis locis. ὅτι σὰρξ καὶ αἷμα οὐκ ἀπεκάλυψέ σοι) *Hoc te non docuerunt homines. Caro et sanguis*, quoties Deo opponuntur, *hominem* significant in Hebraismo. In scriptis Iudaeorum frequentissime *Rex carnis et sanguinis*, et Deus S. B. opponuntur; qua phrasi indicant, hominem etiam potentissimum, et prudentissimos habentem consiliarios, si Deo comparetur, nihil esse. Multa loca collegit CAROL. BÜTTINGHAUSEN in specim. horar. hebr. ac arabic. Frf. ad M. 1758. p. 49. 50. Hebraei quidem per בָּשָׂר synecdochice intelligunt *hominem*, ut Ps. LVI, 5. coll. v. 12. quare בָּשָׂר vertitur ἄνθρωπος a LXX. Gen. VI, 13. sed utrumque, σὰρξ καὶ αἷμα nonnisi in serioribus scriptis coniungi solet, ut Sirac. XIV, 19. coll. Sapient. VII, 1. 2. Nostro loco per metonymiam innuuntur *imperfecti et ieiuni doctores*, quales erant Pharisaei et Sadducaei. Ἀποκαλύπτειν, *docere*. Si, inquit Christus, Doctores Iudaicos et Sacerdotes, si nobiles et principes, eosque qui maximam auctoritatem habent, audires, aliter longe de me iudicares. Ἀλλ' — ἐραννοῖς) Hoc non intelligendum est de immediata sed de mediata revelatione. Nam ἀποκαλύπτειν iterum est *docere*. Didicerat nempe Petrus hanc veritatem, Iesum esse Messiam, in ipsius Iesu schola et conversatione. Quod autem Petro contigit, ut discipulus Iesu fieret, et ingenio tam felici praeditus esset, ut hanc veritatem mature intelligeret, id omne tribuendum erat Deo eiusque providentiae.

18. κἀγὼ — πέτρος) *Et ego vicissim de te affirmo, te Petri nomine esse dignum.* Proprium nomen Petri erat SIMON: quum autem ad Iesum adduceretur, is, qui statim ex vultu indolem viri, et promtitudinem ad res

prae-

praeclaras suscipiendas cognosceret, ei nomen Petri imposuit. Io. I, 43. Nunc igitur, quum Petrus tam praeclarum specimen profectuum suorum edidisset, laudat eum Iesus. Non poenitet, inquit, me tibi nomen *Petri* dedisse. Video enim te hoc nomine esse dignum, et magnum fore religionis meae fulcrum. In more positum fuisse Hebraeorum doctoribus, ut discipulis suis nova imponerent nomina, docet *Büttinghausen* in *hor. hebr* pag. 51. Sed idem mos receptus fuit apud populos septentrionales, ut docet *Erici*, Danus, in *tentamine philolog. Antiquitt. quo nomina propria et cognomina veterum Septentrional. illustrantur.* Havn. 1753. Πέτρος respondet nomino Syriaco ܟܝܦܐ, a כֵּיפָא *petra.* Πέτραν autem ὄρος, *montem*, sive *rupem*, etiam apud Homerum interpretantur Critici. Et Christus imponit ipsi nomen *Petri*, non Petrae, quia terminatio foeminina non videbatur esse conveniens viro; quanquam et hoc notandum est, Atticos Scriptores, Sophoclem et Aeschinem etiam πέτρον dixisse, quorum loca indicavit *Io. Alberti* Obs. Philolog. ϰαὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ — ἐκκλησίαν) *Nam* (ϰαί, *nam*, ut hebr. ו saepe,) *super hac petra exstruam ecclesiam meam.* Figuratae huius locutionis sensus proprius est: *Efficiam te primum constantem religionis meae professorem, cuius ministerio ecclesia mea fundabitur.* *Petra* nec est *confessio Petri*, nec *Christus*, semetipsum digito vel nutu designans (quas interpretationes nec contextus admittit,) sed ipse Petrus. Dominus syriace loquens nulla usus est agnominatione, sed utrobique dixit *Cephas*, quemadmodum Gallicum nomen *Pierre* tam de proprio quam de appellativo dicitur. Designavit itaque digito aut nutu *Petrum*; id enim conveniebat proposito reddendae rationis impositi nominis. Ita de

de *Abrahamo* dictum: Nomen tuum erit Abraham, quia patrem multarum gentium te constitui. *Iacobo:* Israel erit nomen tuum, nam ut principem te geris apud angelos et homines. Ita Christus: Petrus a me nominatus es, quia eris quasi Petra. Promittit autem, se aedificaturum esse ecclesiam suam super Petro. Alluditur ad morem in Palaestina receptum, aedificia, diluviis ac turbinibus obnoxia in solo petroso exstruendi, ut aquarum ventorumque vim eludere possint. Matth VII, 24. 25. Petram igitur, seu firmum solum ante omnia circumspicere debet, qui domum durabilem exstruere cogitat; *petra* primum est, unde opus inchoandum. Sic igitur Christus Petrum, virum constantem et magno animo praeditum elegit, per quem inchoaret opus novae religiosae societatis condendae. Ecclesia nempe est societas christiana. Nam vocabulo ἐκκλησίας significatur civium conventus, ut Act. XIX, 32. 39. Hebraei קָהָל vocant universum Israelitarum coetum, Deum colentium. Deut. IX, 10. XVIII, 16. ubi LXX. habent ἐκκλησίαν. Sed postea communis loquendi consuetudo fecit, ut pro eorum coetu acciperetur, qui Christum profitentur, sicut Synagoga de Iudaeis proprie et peculiariter dici coepit. Quid autem h. l. sit οἰκοδομεῖν, id potest illustrari ex locis 2 Cor. VI, 16. 1 Petr. II, 5. 1 Cor. III, 9. Eph. II, 20. Ecclesia nempe comparatur *templo*, cui fundamenti loco sunt Apostoli. Quum ergo dicit Christus οἰκοδομήσω, tempus illud respicit, quo *Petrus* primus omnium Iudaeis (Act. II, 14. sqq.) deinde et alienigenis (Act. X. et XV, 7.) erat annunciaturus id ipsum, quod hic profitebatur, nempe Iesum esse Christum et unigenitum Dei filium. Resurrectionem nimirum Iesu, cui consequens est, eum esse Christum et Dei filium, crediderunt et Iudaei et gentes tum communi Apostolorum, tum peculiari etiam

Petri testimonio. Per hunc modum *Petrus* factus est petra sive fundamentum populi christiani. *πύλαι ἅδου ἐ κατισχύσουσιν αὐτῆς*) *Quam* (meam ecclesiam) *nulla, ne potentissimorum quidem hostium vis destruet.* Αὐτῆς refer ad vocem praecedentem ἐκκλησίαν. Πύλαι ἅδου, *tartareae potestates, consultationes et molimina diabolorum, tyrannorum, et hostium ecclesiae.* Nam שַׁעַר, cui πύλη respondet, notat eiusmodi portam, ubi habetur iudicium, vel imperium, aulam principis, dominandi potestatem, unde Regia imperatoris Turcarum *Porta* nuncupatur: ἅδης autem, שְׁאוֹל, *inferi* est *orcus, tartara*, tota umbrarum respublica, *Todenreich.* Integra phrasis πύλαι ἅδου occurrit Ies. XXXVIII, 10. ubi in hebr. שַׁעֲרֵי שְׁאוֹל alibi שַׁעֲרֵי מָוֶת, πύλαι θανάτου, Ps. IX, 14. aliisque locis. Κατισχύειν τινος, *praevalere adversus aliquem*, vi opprimere aut evertere. Facile perspicitur, Christum his verbis (καὶ πύλαι — αὐτῆς,) ecclesiae suae polliceri securitatem ab interitu. De modo autem sensum constituendi variant interpretum sententiae. Vid. *Wolfii Cur.* ad h. l. Secundum *Wetstenium*, qui αὐτῆς ad verba: ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ referre videtur, Christus praedicit Petro, eum in discrimen vitae venturum, nec tamen eo absterritum iri, quo minus constanter in doctrina magistri perseveraret, mortemque adeo ipsam, hostium terribilissimum vinceret, atque triumpharet. Rom. VIII, 35 — 39. Act. XII, 3 — 19.

19. καὶ δώσω σοι τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν) Ad verbum: *Et tradam tibi claves regni coelorum* s. *ecclesiae.* Quid autem hoc sit, facile intelligitur. Nimirum ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν hic, ut saepius, est *coetus Christianus, ecclesia.* Vid. notata supra ad c. III, 2. Hanc suam ecclesiam Christus modo comparaverat cum do-

domo super petram exstructa, v. 18. Cui claves domus traduntur, ei fit potestas, quosdam in domum admittendi, quosdam excludendi pro Domini arbitrio. Sensus igitur horum Christi verborum est: Dabo tibi facultatem, ex Iudaeis et gentibus, dignos in ecclesiam meam admittendi, repellendi vero ab eo indignos. Alii vertunt: *Tradam tibi potestatem in regnum meum.* Nam *clavis* interdum etiam potestatem et imperium significat. Cf. Ies. XXII, 22. Apoc. I, 18. sensu fere eodem. Intelligitur enim facultas et potestas credituros in Iesum recipiendi in societatem christianam, et quasi ostium fidei aperiendi Iudaeis et ethnicis. Act. II, 14. seqq. X. et XV, 7. καὶ ὃ ἐὰν — ἐν τοῖς οὐρανοῖς) Variant interpretes in explicandis his verbis. Omnium optime ea interpretatus esse videtur D. THADDAEUS A S. ADAMO, Theol. Prof. in Academia Bonnensi, in *Commentat. bibl. in effatum Christi Matth.* XVI, 18. 19. Colon. 1789. 4. Notandum igitur est, δέειν et λύειν, quando de *clavibus* est sermo, idem esse ac *claudere*, et *aperire*. *Ianuae* enim veterum claudebantur funibus, quibus ligandis vel solvendis claves adhibebantur: unde quod nobis est ianuas *claudere* et *aperiri*, id iis fuit *ligare* et *solvere*. *Serae* non erant, nisi obices quidam, pessuli, vectes, repagula, quibus vinculo adstrictis, ostia occludebantur, solutisque valvae patebant. Illustravit hunc ritum *Molinus*, in dissert. *de clavibus Veterum*, Upsal. 1684. edita, et in *Alberti Henr. de Sallengre* Tom. III. *Novi Thesauri Antiquitt. Rom.* recusa. Clavem autem Veterum accuratius descripsit REIMMANNUS in *Iliade post Homerum.* cap. 10. §. 8. et tabula aeri incisa, expressit. Conferri potest *Homerus* Odyss. δ. v. 802. ϑ. v. 447. et φ. v. 45. 240. Referas huc non inepte simulacrum foeminae, dextra clavim, sinistra funes

tenentis, quod extat apud *Mich. Angel. Causseum*, in Simulacris Deorum, tab. XV. Tom V. antiquitt. Romanar. p. 77[illegible]. Δέειν igitur, quando de personis usurpatur, erit, *repellere* et *excludere*, λύειν, *admittere*. De *personis* autem omnino h. l. est sermo; neutro enim saepius utuntur Evangelistae, ubi de hominibus utriusque sexus sermo est, e. c. Matth. XVIII, 11. Io. VI, 37. Ergo vertere possis verba nostra: *Si quos repuleris* (ab ecclesia mea) *in terra, ratum id erit apud Deum, si quos admiseris* (in ecclesiam meam) *itidem id ratum erit apud Deum.* Sic totius commatis sensus erit: Tibi, Petre, facultatem concedo, post meum in coelos reditum, Iudaeis et gentibus aditum ad ecclesiam meam reserandi. Si quos indignos repereris, ut in coetum Christianorum admittantur, eosque a fidelium societate excluseris; alios vero ob animum docilem, moresque ad Evangelii normam compositos, dignos iudicaveris, ut in coetum discipulorum meorum recipiantur: ego in coelis ad dextram patris mei considens, utrumque ratum habebo. Nihil igitur novi Petro his verbis promittitur, sed idem, quod v. 18. dictum fuerat, aliis verbis exprimitur. Sed liceat alias etiam nonnullas huius loci commemorare explicationes. *Io. Lightfootus*, *Io. Seldenus*, *Henr. Hammondus*, *Salomo a Til*, *Io Christoph. Wagenseilius*, *Philipp. a Limborch*, multique alii verba δέειν et λύειν accipiunt de sola doctrina ab Apostolis determinanda, vel saltem de praeceptis et interdictis. Nec potest negari voces hebraeas אָסַר et שָׁרָא, quibus respondent graecae δέειν et λύειν ex usu Scholae Hillelianae et Schammaeanae adhiberi in doctrinis et iudiciis seu censuris, de rebus licitis et non licitis secundum legem, ut *ligare* idem sit quod prohibere seu prohibitum declarare, *solvere* vero

idem

idem ac permittere, aut declarare licitum. Ita sensus esset: *Quodcunque (in lege Mosaica) ligaveris h. e. prohibueris, id prohibitum erit, sanciente auctoritate divina; et quodcunque solveris, i. e. permiseris, vel permissum et licitum docueris, id erit licitum et permissum.* Nec omittendum esse videtur, δέειν et λύειν, de personis usurpatum, interdum esse *reum declarare et absolvere.* Sic *Munthius* ex Diodoro Siculo attulit verba: ὅσα ἐγὼ δήσω, ἀδεὶς δύναται λῦσαι, i. e. *quoscunque ego noxios pronunciavero, nemo absolvere, aut a noxa immunes iudicare sustinebit.* HERODOTUS etiam Lib. II, c. 121. ἀπολύειν habet pro *absolvere*, et καταδέειν pro *condemnare.* Alii, inter quos est *Godofr. Olearius*, alium h. l. applicant significatum, quo δέειν idem notat, quod *morbum infligere*, λύειν vero *liberare a morbo*, ut Luc. XIII, 16. Explicant igitur locum nostrum ita, ut dicant, Salvatorem hic Petro atque Apostolis promittere potestatem morbos immittendi atque fugandi extraordinariam, qua in Ananiam et Sapphiram Petrum usum esse, in Elymam Magum Paulum, affatim constat. Eodem sensu explicanda esse putant verba κρατεῖν et ἀφιέναι τὰς ἁμαρτίας loco huic simili, Io. XX, 23. Quicquid sit, hoc saltim certum est, in utroque loco Petro reliquisque Apostolis singularem promitti potestatem ad perficienda ea, in quibus iis opus erat peculiari auxilio.

20. Τότε διεστείλατο — ἐστιν ὁ χριστὸς) *Tum interdixit discipulis suis, ne cuiquam proderent, se esse Messiam.* Pro διεστείλατο codices nonnulli habent ἐπετίμησεν, de qua lectionis varietate cf. *Griesbach.* in Comment. crit. ad h. l. Ἰησῆς, quod nonnulli ponunt ante ὁ χριστὸς, haud dubie interpretamentum fuit, prorsus super-

perfluum, quia *Iesus* nomen est proprium, quo apud omnes noscebatur. Omittunt etiam codices, versiones et Patres complures. Noluit Iesus discipulos Messianam suam dignitatem, quam Petrus modo professus fuerat, hoc tempore, in hisce regionibus ac his hominibus palam praedicare, nec adversus eos, qui aliter (v. 14.) de ipso iudicarent, pro magistri gloria pugnas inutiles pugnare. Praeterea in eo erat, ut Iesus multa pateretur, et supplicio crucis afficeretur. Ergo non erat nunc opportunum, haec palam dicere, quia de Messia mortuo desperassent. Porro ii, qui aliquo modo credidissent, Iesum esse Messiam, regnum mundanum cum strepitu quaesissent. Noluit autem Iesus occasionem praebere rebellioni et seditionibus. Cf. dicta ad c. IX, 30.

21. *Ἀπὸ τότε — εἰς Ἱεροσόλυμα κ. τ. λ.*) *Ab hoc tempore coepit Iesus clarius exponere discipulis suis, sibi eundum esse Hierosolyma* etc. *Δεικνύειν* h. l. idem valet, quod apud Marcum cap. VIII, 31. *διδάσκειν*, et quidem apertius docere, l. c. v. 32. Sapientissimo consilio Iesus nunc demum coepit discipulis suis exponere de ultimis suis fatis, et animos eorum, felicitatem terrenam expectantium praeparare, ne nimis offenderentur mox ipsi obventuris. Antea enim animi eorum nondum satis praeparati et firmi fuerant, ad talia percipienda. Et tamen Iesus ne nunc quidem fidem apud eos inveniebat, ut sequentia docent. Caeterum ex his Iesu praedictionibus, quibus eventus accuratissime respondit, et ex firmo eius proposito mortem acerbissimam et ignominiosissimam subeundi, facile demonstrari potest, eum ab omni fraude et impostura, pia etiam, quam vocare solent, prorsus fuisse alienum. *Ἀπὸ τῶν πρεσβυτέρων, a Senioribus.* Ἀπὸ hic iterum pro *ὑπὸ* positum est, quod Marcus et Lucas ha-

bent-

bent. Πρεσβύτεροι sunt, non solum aetate sed dignitate etiam antiquiores et priores, olim *patres*, deinde *senatores* dicti, a populo distincti, זְקֵנִים, unde συνέδριον ipsum haud raro πρεσβυτέριον vocatur, *membra senatus publici Hierosolymitani*, Luc. XXII, 66. Τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ nonnulli interpretes recentiores intelligunt proverbialiter, de tempore mox futuro. Hebraei nempe tempus praeteritum quodcunque per *heri et nudius tertius* exprimunt (Exod. IV, 10. v. 16.) *tempora* autem *secutura* per *post biduum tertio die* ut Hos. VI, 2. cf. 1 Sam. XX, 12. Iac. IV, 13. Sed vid. notata ad c. XII, 40. Fuerunt nostra aetate, qui negarent, Iesum resurrectionem suam praevidisse et praedixisse, e. g. PAULUS in *Meletem. ad historiam dogmatis de resurrectione mortuorum*, Ien. 1796. et *krit. Kommentar*, ad h. l. THIESSIUS et alii. Sed contortas eorum interpretationes satis refutavit SÜSKIND *in dem Magazin für christl. Dogmatic und Moral etc.* edito a D. Io. FRID FLATT. Partic. VII. Tubing. 1801. p. 181—226. (*Einige Bemerkungen in Beziehung auf die Frage: ob Iesus seine Auferstehung bestimmt vorhergesagt habe?*) Cf. KUINOELII *Commentar.* ad h. l. Iam ante istas disputationes, (a. 1784.) FRANCISC. VOLKMAR REINHARD ediderat *Programma de Christo, suam dum viveret resurrectionem praedicente*, recusum in eius opusculis academicis Volum. II. Lips. 1809. p. 30. sq. quod conferri meretur. Ipsi Apostoli ingenue fatentur, se illos Domini sermones, quum ab ipso haberentur, *ne intellexisse quidem*. Marc. IX, 32. Luc. IX, 45. c. XVIII, 34. Io. XX, 9. Sed caussa est in promptu. Non intellexerunt nimirum, quia vulgaris Iudaeorum de Messia persuasio, mentibus eorum penitus in-

infixa, eos impediebat, quominus praedictionibus eius de morte et resurrectione sua fidem adhiberent.

22. Καὶ προσλαβόμενος — λέγων) *Tum Petrus eum seorsim abducens admonuit his verbis.* προσλαμβάνεσθαι significat et *complecti* et *seorsim abducere*, ut solent familiarius aliquid dicturi. ἤρξατο ἐπιτιμᾶν αὐτῷ, i. e. ἐπετίμησε, ut Marc. IV, 39. Luc. VIII, 24. Est autem ἐπιτιμᾶν idem ac ἐπιπλῆξαι, *increpare, obiurgare, invehi in aliquem.* Cum μέμφομαι permutat Thomas Mag. Sed h. l. Matthaeus sine dubio hac voce exprimere voluit habraicum הוֹכִיחַ, quod interdum vertitur ἐλέγχειν. Vid. Ies. L, 2. Ἵλεώς σοι κύριε) Ἵλεως, attice pro Ἵλαος. Supplendum est: ὁ θεὸς et διαμένῃ vel ἔστω. *Tibi, Domine, Deus propitius permaneat!* s. absit, ut, quod dicis, tibi contingat: *Misereatur tui Deus.* Est vox abominantis et dehortantis, respondens hebraicae formulae חָלִילָה לְךָ, et verti potest etiam *Deus hoc omen avertat! hoc Deus prohibeat! Das wolle Gott nicht! Gott behüte!* Cf. 1 Paralip. XI, 19. Gen. XLIII, 23. *Ioseph.* Lib. VII. Antiquitt. c. 11. §. 8. οὐ μὴ ἔσται σοι τοῦτο) *Hoc tibi non eveniet.* Est locutionis praecedentis ἐξηγητικόν. Futurum enim more Hebraeo positum est pro optativo. Tantundem ergo hoc est, quasi dicas μὴ γένοιτο quomodo LXX. saepe vertunt חָלִילָה. Ios. XXII, 29. XXIV, 16. *Vulgata* non inerudite *absit* hic posuit. Ceterum habemus hic aliud exemplum θερμότητος Petri, de qua diximus supra ad comm. 16. Eo audaciae progressus est, ut magistrum ipsum reprehendere non vereretur. Putabat nempe, ea quae magister de calamitatibus sibi instantibus, et de morte crucis dixisset, minime convenire Messiae dignitati, eumque parum consentanea dixisse. Si

tale

tale aliquid immineat, regia utendum esse potestate, qua se suis conservet, neque ferendum esse, ut tam indigna sibi eveniant. Petrus igitur sicuti verba Christi de morte, ita etiam de eius resurrectione proprie accepit; sed cum receptis de Messia opinionibus conciliare non potuit.

23. ὕπαγε ὀπίσω μου) i. e. *extra conspectum meum; facesse hinc, apage te a dorso meo.* Σατανᾶ) Hebraeum est שָׂטָן, quod LXX. modo ἐπίβουλον, modo διάβολον reddiderunt, et saepe significat eum, qui alteri *dat consilia mala, inutilia, perniciosa; malum consiliarium.* 2 Sam. XIX, 23. Ostendit Christus, Petrum amoris specie, revera sibi esse adversatorem. σκάνδαλόν μου εἶ) *Offendiculo mihi es*, i. e. *tu es consultor pessimus; tu impia mihi suades, et nefaria.* Quantum in te est, *horrorem mihi ignominiae, cruciatuum et mortis iniicis*: quem horrorem in Christi carne modo maiorem modo minorem fuisse apparet. ὅτι οὐ φρονεῖς τὰ τοῦ Θεοῦ, ἀλλὰ τὰ τῶν ἀνθρώπων) Φρονεῖν τὰ τινὸς Graecis eleganter notat, *alicui bene cupere, facere quae alteri grata sunt, stare a partibus alicuius*, e. g. Φρονεῖν τὰ τῶν Ἀθηναίων. Sensus itaque est: Non sectaris partes Dei, sed ea curas magnique facis, quae hominibus placent, et ad vitae huius commoda pertinent. Putabat nempe Petrus Iesum fore regem civilem. Quapropter ea potius faciunda censebat, quae mortales, auctoritatem naturae sequentes, probarent, quam quae Deus de salute hominum restituenda et stabilienda decrevisset.

24. ὀπίσω μου ἐλθεῖν) i. e. πορεύεσθαι. Sensus est: *Qui vult discipulus esse meus*, religionem meam amplecti. ἀπαρνησάσθω ἑαυτὸν) *Negligat semetipsum; obliviscatur quasi sui et suorum commodorum, adeo-*

que

que vitam suam despiciat. Nam ἀπαρνεῖσθαι ἑαυτὸν est *contemnere, despicere vitam suam.* Qui nempe spernit rem aliquam, is se possessorem eius et dominum esse, fere dissimulare, et, si non verbis semper, tamen re ipsa negare solet. Alexandrini ἀπαρνεῖσθαι usurparunt pro hebr. מָאַס Ies. XXXI, 7. quod alibi reddiderunt ἐξουθενεῖν, 1 Sam. VIII, 7. et ὀλιγωρεῖν, Prov. III, 11. Est igitur hic ἀπαρνεῖσθαι ἑαυτὸν, quod apud Lucam μισεῖν τὴν ἑαυτοῦ ψυχὴν c. XIV, 26. Alludit autem Christus ad vulgi opinionem, quam deinde refellit; nam is vulgo desertor sui, suique prodigus dicitur, qui vitae commoda, vitamque ipsam non omni studio conservat. Eiusmodi desertor sui alio sensu Christianus esse debet. Facienda nimirum rerum mortalium, vitaeque ipsius, si opus sit, iactura, hoc argumento, quod in ea iactura maximum situm sit lucrum. ἀράτω τὸν σταυρὸν αὐτοῦ) *Suscipiat crucem suam*, cf. c. X, 38, i. e. ne detrectet mala, quae ipsi inferuntur ob caussam pietatis; nam de hoc malorum genere proprie hic agitur. καὶ ἀκολουθείτω μοι) *Tum sectatorem meum se esse profiteatur;* vel καὶ idem est ac ἵνα, ὅπως, *quo se meis partibus favere palam profiteatur.* Eadem constructio est Ierem. XXV, 5. ἀποστράφητε — καὶ κατοικήσατε. Sic etiam Act. II, 38. coll. III, 19.

25. ὃς γὰρ ἂν θέλῃ τὴν ψυχὴν αὐτοῦ σῶσαι) Vide supra c. X, 39. ubi haec verba exposuimus.

26. τί γὰρ — ζημιωθῇ) *Quid prodesset homini si omnes mundi divitias acquireret, sed non aliter quam cum vitae iactura?* Τί ὠφελεῖται i. e. κατά τι; ut mox τὴν ψυχὴν. pro κατὰ τ. ψυχήν. Nam ὠφελεῖν in activo cum accusativo personae, (ut τοὺς φίλους ὠφελεῖν) et accusativo rei, (ut τὸ κοινὸν ὠφελεῖν apud Xenoph.) coniungitur;

gitur; unde fit, ut accusativo rei in passivo retento, accusativus personae in nominandi casum abeat. Similis constructio est Matth. XI, 5. 1 Cor. IX, 17. ψυχὴ h. l. est *vita temporalis*, et ζημία simpliciter opponitur τῷ κέρδει. Sententia est proverbialis, quam Christus a vita temporali ad alteram et aeternam transfert. τί δώσει ἄνθρωπος ἀντάλλαγμα τῆς ψυχῆς αὐτοῦ) ἀντάλλαγμα, *compensatio*, *pretium redemtionis*. τί δώσει est πόσα ἄν δώσῃ, quam multa ac magna libenter daret homo in mortis periculo constitutus sui conservandi gratia! Argumentatur Christus a vita hac temporaria ad felicitatem illam, quam religio promittit. Nam si omnia quae possidemus, arbitramur recte impendi, ut nosmetipsos in hac vita servemus, quanto magis huius vitae commoda ipsaque haec mortalis vita impendenda sunt, ut felicitatis, quam Messias suis cultoribus et in hac et in futura vita largietur, participes reddamur?

27. Μέλλει γὰρ — τὴν πρᾶξιν αὐτοῦ) *Venturus est enim Messias maiestate (potestate) patris sui praeditus, comitantibus angelis suis, et tunc pro suis quemque factis rependet.* Omnino futurum esse, docet Iesus, ut damnum sentiat, qui vitae pepercerit commodum, qui pro Evangelio vitam spreverit. Δόξα כָּבוֹד, quum de Deo usurpatur, significat eius *maiestatem*, proprietates eius et virtutes, propter quas ipsi summi honores debentur. Saepe autem tantum certum quoddam proprietatum divinarum genus, pro dicentis et scribentis consilio indicatur, e. c. Ps. XIX, 2. ubi δόξα θεοῦ est *potentia Dei*. Iam quum Christus statim addat, se venturum esse, ut sectatorum doctrinae suae quisque ab ipso ferat praemia factis suis digna, haud dubie verbis ἡ δόξα τοῦ πατ-

πατρὸς significatur *potestas, quam Deus habet, statuendi de vita et factis mortalium*, quam quidem potestatem ipse Iesus professus est sibi a patre esse concessam. Io. V, 22. 27. coll. Act. XVII, 31. Ἐν δόξῃ, *praeditus* instructus *potestate.* Sic enim praepositio ἐν haud raro usurpatur, e. c. Luc. I, 17. Ps. CII, 17. Μετὰ τῶν ἀγγέλων αὐτοῦ, in comitatu angelorum. Hunc vero suum adventum, quo maiestatem suam sit declaraturus Iesus, multos tum sibi adstantes, visuros esse atque sensuros dicit v. 28. Quum igitur Iesus illo tempore, et in illa hominum aetate non venerit ita, ut conspicuum secum haberet angelorum comitatum, sequitur tropice explicandam esse phrasin μετὰ τ. ἀγγ. α'. *de splendido et magnifico adventu.* Passim Deus dicitur, *venire cum angelis*, ubi magnificum opus divinae potentiae significatur. Hoc loco inteligitur laeta Evangelii propagatio per orbem terrarum, una cum destructione Hierosolymorum et civitatis Iudaicae, ut docemur v. 28. Monet nempe Iesus morte ignominiosa et duris fatis sibi suisque obventuris nihil decedere suae dignitati; nam gloriosam successuram posthaec esse regni sui manifestationem, iudiciumque regia potestate in omnes refractarios, et contemtores exercendum. καὶ τότε — πρᾶξιν αὐτοῦ) *Et tunc quemlibet pro suis factis aut beabit aut puniet.* Fidos sibi, et constantes in professione nominis sui, participes reddet felicitatis cum religione coniunctae; refractarios vero et contemtores cum Iudaeis puniet. Cf. infra c. XIX, 28. 29.

28. Ἀμὴν λέγω — βασιλείᾳ αὐτοῦ) *Affirmo vobis hoc, esse quosdam ex his adstantibus, qui non morituri sint prius, quam Messiam viderint auctoritatem potestatemque suam publice ostendere.* Hoc, quod modo dixerat (v. 27.) adeo certum esse, inquit Iesus,

sus, ut ipsum regnum illud gloriose administrantem haud pauci ex illis sensuri sint; propagationis nempe evangelicae doctrinae et insignium iudiciorum in gentem Iudaicam testes αὐτόπται. Γεύσασθαι θανάτου idem valet quod ἀποθνήσκειν. Phrasis haec Syris frequentata (טְעַם מָוֶת) inde desumta est, quod Veteres mortem fingebant sub imagine viri, manu gestantis poculum venenatum, quod morienti ebibendum esset. Vide *I. D. Michaelis Abhandlung von der syrischen Sprache;* p. 48. *Rommershausenii observationes in N. T. ex Syriacis scriptoribus,* aliosque. Ἐρχόμενον ἐν τῇ βασιλείᾳ αὐτοῦ, *venientem cum (ἐν) regno suo*, i. e. auctoritatem suam potestatemque publice ostendentem. Sic Deus dicitur בּוֹא, ἔρχεσθαι, quum significatur, eum praesentem esse, vel liberando vel perdendo, eum potenter agere, documenta edere potentiae et maiestatis luculentissima, splendidissimaque. Ies. XXXV, 4. Zachar. XIV, 5. Christus igitur ἔρχεσθαι ἐν τῇ βασιλείᾳ αὐτοῦ dicitur, *quum se gerit ut Regem, quum regnat, hostesque sibi subiicit.* Cf. Matth. XXV, 31. Gessit se autem ut Regem Iesus post resurrectionem et ascensum in coelos, dum Spiritum S. misit, Evangelium propagavit per signa et miracula, et punivit Iudaeos. His enim et aliis certissimis testimoniis cognoscebatur, eum iam regnare. Iam homines tum Iesus adstantes viderunt haec omnia. Nam XV annos post eius reditum in vitam coepit late propagari doctrina christiana, et XL annis post hos sermones destructa est Iudaeorum civitas, ita ut quidam horum viderent Messiam ἐρχόμενον ἐν τῇ βασιλείᾳ αὐτοῦ. Cf. infra c. XXIV, 14. 34.

CAP.

CAP. XVII.

1. Καὶ μεθ' ἡμέρας — κατ' ἰδίαν) Quanquam Iesus perspicuis verbis declaraverat, (c. XVI, 27. 28.) morti ignominiosae et perpessionibus gloriosam successuram esse regni sui manifestationem, haec tamen dispellere non poterant exortas in Apostolorum, atque Petri inprimis, animis nebulas. Voluit igitur Deus luculento modo eis declarare, hunc Iesum esse Messiam. Hunc huius memorabilis facti fuisse scopum, ipse Petrus 2. ep. I, 16. s. testatur. OLEARIUS in observatt. sacris ad h. l. inprimis operam dat, ut ostendat, omnem hanc μεταμόρφωσιν eo consilio factum, ut Apostolis per *signum quoddam e coelo* datum constaret veritas fiduciae in Christo collocatae; quae est etiam *Michaelis* coniectura. PAULUS (Commentar. T. II. p. 537. ss.) negat, discipulorum caussa haec evenisse; casu potius factum esse, ut discipuli, e somno expergefacti, Iesum (ipso invito) cum duobus viris ignotis, quos per coniecturam pro Mose et Elia habuissent, colloquentem audirent et conspicerent. Quod nunc narratur, factum esse dicunt *Matthaeus* et *Marcus* μετ' ἡμέρας ἕξ, *Lucas* vero diebus octo. Computavit nempe Lucas diem, qua Christus, quae capitis XVI extremis occurrunt, disseruerat, eam item qua montem cum suis conscenderat; quibus omissis, sex tantum intermedios dies reliqui Evangelistae numeraverunt, receptam numerandi rationem utrinque sectantes. Constat etiam, Iudaeos octo dies appellasse id, quod ab uno sabbato est ad alterum. Io. XX, 26. *Iosephus* Antiquitt. VII, cap. 9. ut quum vulgo dicimus *post septimanam circiter*. Voluit autem Iesus spectatores esse suae maiestatis *Petrum, Iacobum et Ioannem*: iis enim familiarius usus est, et obtinuerunt etiam hi tres eam inter ceteros discipulos auctoritatem, ut

Paulo

Paulo quoque *ii* appellentur, *qui sint in praecipua existimatione.* Gal. II, 9. καὶ ἀναφέρει — κατ' ἰδίαν) Montem, in quo haec facta sunt, fuisse *Thabor;* antiquissima est sententia, quae nititur eo, quod hic mons non procul est a Caesarea, ad quam res antea enarratae evenerant. Sed hoc non est certum; nam per octo dies longum itineris spatium absolvere potuit Iesus cum discipulis. Refutavit illam traditionem, et *Hermonem* fuisse istum montem statuit *Büschingius in* Harmonia Evangelistarum. Sed nec hoc certum est. Addit Lucas c. IX, 28. concessisse Iesum cum discipulis in montem προσεύξασθαι, quod verbum *meditationem* cum precibus ad Deum fusis significat. Solitudinem saepius quaesivit Salvator, meditationi et precibus peragendis accommodatam, inprimis vero montes.

2. καὶ μετεμορφώθη — ὡς τὸ φῶς) *Et mutata est eius forma illis spectantibus; resplenduit enim vultus eius more solis; vestes autem eius splendidae erant lucis instar;* Bene iam *Hieronymus* notavit, verbum μετεμορφώθη haud ita esse intelligendum, quasi Iesus pristinam formam et faciem perdidisset, vel amisisset corporis veritatem. Nam Graecis μορφὴ saepe est ὄψις, θέαμα, *facies rei exterior.* Hoc tantum dicitur, in vultu eius conspectum esse eximium splendorem, vel singularem maiestatem, quae verbis describi vix possit. (Cf. Luc. IX, 29.) Verba enim: καὶ ἔλαμψε — ὡς ὁ ἥλιος, declarant, qualis fuerit illa μεταμόρφωσις. καὶ ante ἔλαμψε (ut hebr. ו saepius) verti potest: *nam.* Vestimenta λευκὰ hic sunt λαμπρὰ, *splendida,* s. *candida.* Ergo non est opus, ut pro τὸ φῶς legamus ὡς χιὼν, quam lectionem exhibent nonnulli codices, forsan ex glossa e Marco margini adscripta. *Candor* splendore differt ab *albedine.*

Hinc

Hinc lux *clara* dicitur Plauto (Amphit. A. 1. Sc. III. v. 49.) et Lactantio (Instit. VI, 2.) ipsique *soli* tribuitur *candor* a Cicerone, nec non *coelo*, per quod scilicet candida *solis* lux diffunditur. Quaenam fuerit caussa splendoris in vestibus Iesu conspicui, nemo facile definire ausit. Paulus existimat haec contigisse primo mane, exoriente sole, et caussam huius splendoris fuisse Phaenomenon, in altis montibus, sole exoriente non insolitum. Vide etiam Herderi *Erläuterungen zum N. T. aus einer neueröfneten morgenländischen Quelle*, p. 116. Idem in libro *vom Erlöser der Menschen* (Riga 1796. p. 113. sqq.) *visionem* hoc loco enarratam esse, defendit. Quae hic narrantur a discipulis in somnis visa et audita esse, statuerunt Mosche, Erklärung der Sonntagsev. P. I. 610. Thiess *das N. T.* Vol. I. p. 291. alii. Aliae interpretationes huius loci reperiuntur in libris iis, quos Wolfius in Curis et Koecherus in Analectis ad h. l. laudarunt. Novas coniecturas, (ut alios taceam,) proposuerunt D. Io. Wilh. Rau, in Programm. 1797. scripto, et Io. Philip. Gabler (*Neues theol. Iournal* Tom. I. p. 500. sqq.) Summa eorum, quae in h. l. commentatus est *Gabler*, haec vere est: Ea, quae hic narrantur, evenerunt post illud colloquium, quod Christus cum discipulis habuit, Matth. XVI, 13—28. Sex diebus praeterlapsis Iesus cum discipulis suis, Petro, Iacobo et Ioanne secessit in montem. Postquam ibi cum iis per aliquod tempus collocutus est, seorsum precatus est, et discipuli eius exemplo incitati ipsi etiam precati sunt, interim vero somno opprimebantur. Iam somnium nobis saepius ea reddit, quae vigilantes cogitavimus. Somniabant ergo (vel Petrus solus somniabat; nam haud raro de omnibus vel pluribus discipulis dicitur, quod de solo Petro valet,) Iesum insigni splendore cingi,

Mo-

Mosen et *Eliam* apparere, atque cum eo colloqui. Iam quae in somnio vidimus, ea saepius, ut experientia docet, quum evigilamus, primo momento adhuc ob oculos versantur. Itaque discipuli, fulguribus et tonitru ex somno excitati, sed somno nondum penitus excusso, conspicere sibi visi sunt Mosen et Eliam etc. De hac coniectura quid statuendum sit, alii viderint. Qui plura desiderat, adeat *Kuinoelii* Commentarium. Nos nihil definimus.

3. καὶ ἰδοὺ — συλλαλοῦντες) Non tantum Eliam, sed etiam Mosen temporibus Messiae apparere debere, antiqua fuit apud Iudaeos traditio, ut patet ex locis doctorum Iudaicorum, a *Lightfooto*, *Schoettgenio* et *Wetstenio* citatis. Debarim rabba sect. 3. fol. 255. 2. *Dixit Deus S. B. Mose, per vitam tuam, quemadmodum tu vitam tuam posuisti pro Israelitis* בעולם הזה, (temporibus V. T.) *sic quoque* לעתיד לבוא, *temporibus Messiae, quando Eliam Prophetam ad ipsos mittam, vos duo eodem tempore venietis.* Non Mosen et Eliam, sed ignotos Viros adfuisse Iesu, atque cum ipso in nubem, solis orientis splendore collustratam ingressos esse, *D. Paulus* opinatur.

4. Καλόν — εἶναι) *Belle hic nobis est;* perplacet nobis hic remanere. Cf. 2. Reg. II, 19. Ποιήσωμεν ὧδε τρεῖς σκηνάς) *Tria figamus tentoria.* Etiam hebraicum נטה ab Alexandrinis, Paralip. XV, 1. exprimitur graeco ποιεῖν. Σκηνὴ est tentorium e frondibus arborum, qualia Iudaei festo tabernaculorum figere solebant. Quemadmodum iter facientes, quum pervenerunt ad convallem, fluvium arboribus obsitum, aut amoenum eiusmodi locum, ibi oblectare se avent, temporis et negotiorum suorum nulla habita ratione; sic Petrus, oblitis huius vitae cu-

ris et aerumnis, praesentis visionis splendore ac iucunditate permulctus, hic voluit figere tabernacula, et gaudio frui diutino.

5. ἔτι — αὐτὸς) *Dum* (Petrus) *haec loquitur, nubes lucida eos circumdedit.* Νεφέλη φωτεινὴ, *nubes lucida*, nimbus coruscans, fulgura emittens, symbolum praesentiae numinis splendidissimae, quo vectus Deus altitonans, huius universi summus arbiter olim apparuit, Exod. XVI, 10. XL, 34. Ezech. XLIII, 2. PAULUS: *eine Nebelwolke, in welche* zum Theil *die Sonne hinein schien.* Verbum ἐπισκιάζειν plerique inepte hic reddunt *obumbrare* et *inumbrare*. Quomodo enim nubes ignea et lucida obumbret homines? Debet potius reddi: *cingere, circumdare, circumfundere.* Alexandrini enim verbum סוך, quod proprie respondet verbis σκεπάζειν et περικαλύπτειν, interdum reddiderunt verbo ἐπισκιάζειν, Ps. XCI, 4. CXL, 8. haud dubie eam ob caussam, quod notione obumbrandi notio circumlegendi et circumfudendi continetur. Ergo discipuli repente magno splendore sunt circumfusi. Splendore autem hoc, tanquam signo adspectabili praesentiae divinae, moniti sunt, Deum hic peculiari modo operari; uti fulmen, tonitru, tempestas saepe indicabat praesentiam Dei in aliquo loco. καὶ ἰδὲ, Φωνὴ — ἀκούετε) *Et ecce vox e nube delapsa est indicans: hic est filius meus dilectus, quem singulari amore amplector, fidem ei habete,* praeceptis eius obtemperate. Vox e nube delapsa est *tonitru*, quod Hebraeis saepe dicitur קול אלהים Ps. XXIX, 3. XVIII, 14. cf. Matth. III, 17. Λέγειν, ut hebr. אמר et דבר non semper de viva et articulata voce ponitur, verum etiam ita, ut simpliciter notet, *indicare, declarare* Ps. XIX, 2. 3. 4.

υἱός

υἱός μου ἀγαπητὸς, *filius meus carissimus*, i. e. Messias. Cf. c. III, 17. Ἀκούειν, ut hebr. שָׁמַע pro compos. ὑπακούειν, Deut. XVIII, 15. Ios. I, 17. Hunc in modum Apostoli sibi explicabant tonitru. Mosen et Eliam iam discessisse, antequam vox illa coelestis exaudiretur, docent Matthaeus v. 8. Lucas c. IX, 36. et Marcus c. IX. 8. Cf. supra c. III, 17. Sic igitur *confirmata* est discipulis veritas iam *manifestata*, Iesum esse Messiam.

6. ἔπεσον ἐπὶ πρόσωπον αὐτῶν) nempe audito tonitru, prae metu, quasi semianimes. Sicut lux subita efficit, ut oculos in terram deiiciamus: ita mirum non est, si maior consternatio corpora ipsa in terram deiiciat. Similia nostris verba in simili argumento habent LXX. Levit. IX, 24. Discipuli igitur, per fulgura et tonitrua, numinis praesentis signum, attoniti et velut fulmine tacti, proni ceciderunt, inprimis quum viso vel apparente Deo, moriendum sibi esse putarent veteres. Iud. VI, 22. 23. Vid. *I. D. Michaelis* in versione german. ad h. l.

8. ἐπάραντες — μόνον) *Quum autem tollerent oculos, viderunt neminem nisi Iesum solum. Tollere oculos* more Hebraeorum saepe pleonastice ponitur; hic autem est vel per ἀναβλέποντες, Gen. XXII, 4. vel περιβλεψάμενοι, quod Marcus habet c. IX, 8.

9. Vid. notata ad cap. XVI. 20. Τὸ ὅραμα, *hanc visionem*, מַרְאֶה Gen. XLVI, 2. Exod. III, 3.

10. καὶ ἐπηρώτησαν — πρῶτον;) *Quaerebant autem ex eo illi*, cur id vetaret, quum *tamen legis doctores. Eliam prius* quam Messiam, *venire oportere dicerent?* Sic Reichardus haec verba explicat in sua versione. *Quaerebant*. Haud dubie unus, forsan Petrus, nomine omnium quaesivit. Doctores Iudaici publice docent, Eliam

in vitam rediturum, et opem laturum esse Messiae in regno suo instituendo. Cur nobis non licet profiteri, nos Eliam in mente vidisse? Expectandane est solennior eius apparitio? ὅτι Ηλίαν δεῖ ἐλθεῖν πρῶτον) Adde ex sequenti commate: καὶ ἀποκαθιστάνει πάντα. Nam utrumque tradebant Hebraeorum magistri, et venturum Eliam, et omnia curva correcturum.

11. ἔρχεται πρῶτον, καὶ ἀποκαταστήσει πάντα) i. e. *debuit venire, et corrigere mores populi*, praeparare animos ad recipiendum mox venturum Messiam; ἔμελλεν ἔρχεσθαι καὶ ἀποκαθιστάναι, quomodo et Cap. XI, 3. τὰ πάντα, restrictive, *omnia*, quae nimirum sunt prava et corrupta. Haec debuit instaurare ac reformare. Io. XIV, 26. ὁ ἐρχόμενος est ὃς ἔμελλεν ἔρχεσθαι. Spectant sine dubio haec verba ad *Ioannem Baptistam*, ut patet ex v. 13. Vox ἀποκαθιστάναι sumta esse videtur ex *Malachia* c. III, 24. ubi apparet הָשִׁיב hebraeum versum esse per ἀποκαταστήσει καρδίαν, non male: nam ἀποκαθιστάναι inter cetera est, *reponere in verum et naturae congruentem statum*. Iudaei, qui Christi vivebant aetate, locum illum Malachiae c. III, 23. 24. acceperunt de *Elia Thesbite*, quod etiam recentiores Iudaei faciunt, qui credunt hunc Eliam adhuc vivere, et venturum bis: semel in diebus Messiae, et iterum quum venerit Gog et Magog. *Iuchas*. Sed angelus etiam locum ita interpretatur, ut eum ostendat in *Ioanne Baptista* impletum iri. Luc. I, 17.

12. Ἠλίας ἤδη ἦλθε) Nempe in persona Ioannis Baptistae; nam de eo esse sermonem, discipuli statim intelligebant. καὶ οὐκ ἐπέγνωσαν αὐτὸν, *sed eius nullam rationem habuerunt*, non venerati sunt eum ut legatum divinum. Nam οὐκ ἐπιγινώσκειν eodem sensu dicitur, ut

hebr.

hebr. לֹא יָרַע, 1 Sam. II, 12. Exod. V, 2. Ier. II, 8. Ἐπόιησαν — ἠθέλησαν, *egerunt cum eo ut libuit*, male eum tractarunt. Ποιεῖν h. l. est *tractare, male habere*, hebr. עָשָׂה Gen. XXII, 12. Ps. CXVIII, 6. Ὅσα ἠθέλησαν, i. e. πρὸς τὸ θέλημα αὐτῶν, *pro libidine, pervicacia sua*, ut Luc. XXIII, 25. Verbo ἠθέλησαν deest nominativus, qui diversis modis suppleri potest. Intelligendi sunt autem *Iudaei*, quae vox tam Herodem, et Galilaeos proceres, quam pontifices, senatores et legisperitos, illos Baptistae, hos Christi interfectores comprehendit. Potest etiam vox ἠθέλησαν accipi impersonaliter. Οὕτω καὶ — ὑπ' αὐτῶν) *Ita futurum est, ut etiam filius hominis multum ab iis vexetur.* Ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου, pro ἐγώ. Non meliorem sortem experiar Ioanne, quem οὐκ ἐπέγνωσαν.

14. Universa haec narratio lucem accipit ex Marc. c. IX, 14. sqq. omnino hic conferendo. γονυπετῶν αὐτῷ) Permulti Codd. habent αὐτόν. Dicunt autem Hellenistae γονυπετεῖν τινι, et γονυπετεῖν τινα, ut Marci I, 40. X, 17. Γονυπετεῖν modo est *genibus advolvi;* modo *in genua procidere*, qui gestus diversi sunt. Nam genibus advolvi est supplicantium gestus, quem Poetae passim depingunt. Ad flexionem genuum pertinet illud *Plinii*: *Regem adorant, genua submittunt.*

15. σεληνιάζεται) Morbo comitiali vel caduco, quem epilepsiam etiam vocant, laborasse hunc hominem, symptomata quae commemorantur, ostendunt, et passim eruditis interpretibus observatum est. Rationem quoque addunt, cur *Lunatici* eo morbo laborantes dicantur, ideo nempe, quia secundum varios lunae motus et adspectus morbus iste nonnullos invadit. πολλάκις — ὕδωρ) Nimirum, si paroxis-

roxismo corripitur stans ad fossam, vel ad aquam, facile ita iactitari potest, ut in aquam incidat. Si corripitur paroxismo in aedibus ad ignem, in illum coniicitur.

16. ἐκ ἠδυνήθησαν, *non potuerunt;* nam verbum hoc non ab ἀδύναμαι sed a δύναμαι repetendum est; et frequens est, ut augmentum syllabicum ε intemporale per η Atticorum more convertatur, quod ex ἤμελλον et ἠβελόμην patet.

17. Γενεὰ ἄπιστος καὶ διεστραμμένη, *genus hominum pervicax et perversum.* Γενεά, hebr. דור h. l. non est est *aetas,* sed *progenies, genus hominum, Menschenart.* Γενεὰ ἄπιστος est gens s. progenies *pervicax, fiducia carens,* vel etiam *levis,* (vid. infra v. 20.) διεστραμμένη autem, *perversa,* quae aliter agit ac debet, פְּתַלְתֹּל, Deut. XXXII, 5. Ἕως πότε ἔσομαι μεθ' ὑμῶν; *quosque vobiscum degam?* Quamdiu opus erit vobis praesentia mea atque opera! Reprehendit Iesus discipulos, quod nonnisi se praesente et adiuvante aegrotis opem ferre auderent, (v. 20.) fortassis etiam patrem aegroti, (Marc. IX, 23. 24.) ut Bolten suspicatur, qui hunc locum ita vertit: *Was sind doch die heutigen Menschen unglaubig und verkehrt!* Indignabundus pergit; ἕως πότε ἀνέξομαι ὑμῶν; *quousque vos perferam?* mores vestros aequo feram animo? Existimant interpretes, non in Apostolos haec dicta esse, sed vel in Pharisaeos tum praesentes, vel in patrem aegroti eiusque amicos. Sed Apostolos notari, ipsa series orationis probare videtur. Horum enim ἀπιστίαν expressis verbis reprehendit Iesus, infra v. 20. Dederat iis potestatem in daemonia, aliosque sanandi morbos, iisque se affore promiserat, ut possent tal a facere. Nunc autem dubitaverant de promissis illis, et rem

nimis

nimis difficilem esse putaverant. Qui autem niti debent promissis, et tamen dubitant, ii agunt perverse.

20. ἀπιστίαν) Codices aliquot insignes habent ὀλιγοπιστίαν, sed manifesto est interpretamentum, emolliendae sententiae duriori inserviturum. Vid. Griesbachius ad h. l. Ἀπιστίαν vocat, comparate scilicet ad eam, quam pro ratione diuturnae institutionis et impositi muneris habere debebant, fiduciam; *levitatem* latine recte dixeris: nam haec Apostolorum levitas in eo posita erat, quod carebant gravi plenaque fiducia, cuius ea esset natura, ut plane confiderent, se ope atque auxilio Dei et Christi adiutos, omnia efficere posse, quae omnes mortalium vires excederent. ὡς κόκκον σινάπεως) Granum sinapis inter minima recensetur. Unde proverbialis haec locutio, cuius sensus est: *Si tantum fidei habueritis, quantum est granum sinapis.* Latini diceremus: Si vel tantillum haberetis fiduciae. Particula graeca ὡς, ut Hebraeorum כְּ non tantum qualitatis et similitudinis, sed etiam magnitudinis et quantitatis index est. Caeterum proverbium hoc formatum est more Hebraeorum, qui, quum *rem admodum exiguam* denotare volunt, dicunt eam esse, כְּחַרְדָּל, ut *sinapi*, et כְּגַרְגִּיר חַרְדָּל *ut granum sinapis.* Vid. Forstii Diatrib. de Adagiis N. T. cap. II. pag. 757. sqq. edit. Fisch. ἐρεῖτε — ἀδυνατήσει ὑμῖν) *Et iusseritis hunc montem illuc dimoveri, dimovebitur, nihilque non poteritis.* Hyperbolica et proverbialis est haec locutio. Soliti sunt *Iudaei* Doctores suos illustriores de profunditate doctrinae aut virtutum splendore hac phraseologia magnificare: *Ille est eradicator (aut transplantator) montium.* Vide *Lightfootum* ad Matth. XXI, 21. Sensus ergo est: *res difficillimas praestaretis.* Graecis ἀδυνατεῖν sumitur active,

active, *non posse,* Hellenistis autem impersonaliter, *impossibile esse.* Quod hic apostolis dicitur, restringendum est ad subiectam materiam: *nihil non poteritis, eorum scilicet, quae ad testimonium doctrinae, et conciliandam muneri vestro auctoritatem pertinebunt.*

21. *τὸ δὲ τὸ γένος*) sc. *daemonum.* Sensus tamen non alius est, ac si Christus dixisset: *Hoc genus morborum aliter curari non potest, nisi* etc. nam accommodavit se usui linguae, quemadmodum et nos multis hodienum utimur phrasibus ex Sacris atque religionibus Gentilium natis. *ἐν προσευχῇ καὶ νηστείᾳ*) Supra dixerat Christus, fiducia opus esse ad haec praesertim maioris notae miracula. Nunc ostendit, quomodo ea parari possit, *precibus* nimirum *fervidis* Ieiunium ideo adiungit, quia ad preces in primis requiritur animus demissus, cui rei inservit ieiunium. PAULUS per *νηστείαν* h. l. intelligendam esse putat frugalitatem, praesertim abstinentiam a vino, carnibus etc. qua hoc genus morborum optime curari possit, quasi Christus docere voluerit, quid ipsi aegroti facere debeant, ut ab hoc malo liberarentur.

22. *ἀναστρεφομένων*) *Versantibus;* nam *ἀναστρέφεσθαι,* respondens hebr. הָלַךְ, significat *circumire, vagari, errare.* Ezech. XIX, 6. Quae hactenus narrata sunt, gesta sunt in Galilaea, et quidem in itinere, a partibus Nazarethae vicinis lacum versus. Ad sequentia cf. quae monuimus supra c. XVI, 20. 21.

24. *οἱ τὰ δίδραχμα λαμβάνοντες*) *Qui didrachma exigere solebant* Δίδραχμον sc. *νόμισμα,* erat מַחֲצִית הַשֶּׁקֶל Exod. XXXVIII, 26. ubi *Aquila* habet *δίδραχμον.* Qui hoc exigebant, non erant publicani Romanorum: nusquam enim inter Romana tributa didrachmum invenies: sed

miss

missi a sacerdotibus, qui שְׁלִיחִים Hebraeis, Hellenistis ἀπόστολοι vocati sunt. Nam δίδραχμον hoc a Iudaeis pensitatum est in usum templi ad ipsa *Vespasiani* tempora, et habuit ortum ex ipsa Mosis lege. Deus nempe per Mosen (Exod. XXX, 11 — 16. XXXVIII, 25 — 28.) iusserat in usum tabernaculi capitatim pendi σίκλε τὸ ἥμισυ, inquit *Iosephus*, addens: ὁ δὲ σίκλος νόμισμα ἑβραίων ἂν, δέχεται δραχμὰς τέσσαρας: nempe Atticas, quod ipse alibi adiicit. Lex illa Mosis non fuit perpetua, sed temporaria, temporibus tamen ita exigentibus repetita. Christi aetate solebant omnes per orbem terrarum dispersi Iudaei istud didrachmum conferre. *Ios. Ant.* XVIII, 9. 1. Quam pecuniam postea Vespasianus fisco addixit, templo destructo *Ios.* de *B.* Iud. VII, 6. 6. Hierosolymis quidem colligebatur didrachmum in ipso templo, XXV. mensis Adar, a mensariis ei negotio praepositis; in aliis vero partibus idem factum per alios. Ex hac pecunia emebatur sacrificium quotidianum, vacca rufa, suffitus, sal, lignum, panes propositionis etc. Cf. *Michaelis* Mosaisches Recht. P. III. §. 173. ὁ τελεῖ τὰ δίδραχμα;) Particula ὁ nihil hic negat, sed interrogat, ut alibi saepe, pro ὀχὶ. Τελεῖν, ut hebr. שָׁלַם h. l. significat *solvere*. Non pro imperio agunt, ut aut Romanorum aut Regis Herodis publicani, sed quaerunt, an solvere soleat. Credibile est, multos, quia non cogebantur, id onus detrectasse.

25. προέφθασεν — λέγων) *Antevertit eum Iesus dicens*, s. hac quaestione. Προφθάνειν h. l. metaphorice est *occupare*, *anticipare*, *zuvorkommen*, quo sensu hebr. קָדַם usurpatur 2 Sam. XXII, 6. 19. Iob. XXX, 27. Petrus exactoribus responderat, magistrum daturum esse δίδραχμον, nec tamen habebat unde solveret. Debuerat igitur

igitur interrogare Iesum, an solvere vellet, quia nemo, qui id onus detrectaret, cogebatur. Quod, quum negle-xisset, Iesus praecipitantiam eius tacite reprehendere videtur, proposita quaestione: ὁι βασιλεῖς τῆς ἀπὸ τίνων λαμβάνεσι τέλη, ἢ κῆνσον;) *A quibusnam reges humani vectigalia aut censum exigere solent?* Ὁι βασιλεῖς τῆς γῆς) hebr. מַלְכֵי־אֶרֶץ, Ps. II, 2. CXXXVIII, 4. *reges humani*, oppositi Deo, summo regi. Similitudinem a regibus terrae ad coeli regem deduxit hoc modo: Videmus passim a regibus immunes tributorum haberi, si non et alios, certe filios suos. At hoc δίδραχμον nomine Dei exigitur. Quis igitur dubitet, quin Deus me, filium suum unicum velit hoc onere sublevatum? Ex mente igitur ipsius Dei, cuius negotium se agere sacerdotes dicebant, liberum se Christus probat. Plurali numero utitur, non quod ad alios eam extendat libertatem, sed quod comparatio id exigebat, sumta non ab unius, sed ab omnium regum more ac consuetudine. Τέλη, *tributa*. *Census* nomine vocantur onera quaevis aut personarum aut capitum, ut ex titulo Digestorum de censibus apparet. Syrus reddit: כֶּסֶף רֵישָׁא, *argentum capitis*. Ἀλλότριοι h. l. sunt, qui non ad familiam alicuius pertinent, qui non sunt familiares. Sic etiam LXX. אַחֲרִים reddunt ἀλλοτρίας.

26. ὁι υἱοὶ) Sc. regum. Consequens erat, Iesum filium Dei non adstrictum esse legi pendendi tributi.

27. σκανδαλίσωμεν) Ne dicant, a me templum contemni. Docet nos Christus exemplo suo, etiam cum dispendio aliquo, si ita opus sit, redimere sinistras suspiciones. βάλε—ἄρον) *Hamum mittito, et primum exinde eductum piscem sume.* Ἀναβάινειν h. l. non est *ascendere*, sed *educi*; nam Hellenistae verbis neutralibus

in-

interdum utuntur pro passivis. Sic LXX. passivum הָעֳלֻתָה Nah. II, 8. (gr. 7.) per ἀνέβχινε reddunt. Στατὴρ, *duo didrachma*, *siclus*, שֶׁקֶל. *Sicli argentei*, et simpliciter *sicli etiam argentei*, praeeuntibus Alexandrinis Iudaeis ab interpretibus V. T. e. g. ab Aquila et Symmacho Ex. XXXVIII, 24. Num. III, 47. Ios. VII, 21. dicuntur στατῆρες. Hesychius: στατήρ, τετράδραχμος: ita enim legendum censent viri docti, pro τετράγραμμος. Innuunt verba, notum fuisse Christo, in eo pisce esse staterem. ἀντὶ ἐμοῦ καὶ σοῦ) ἀντὶ pro ὑπὲρ. Nam proprie ἀντί τινος significat loco aut vice alicuius. Ex recentiorum nonnullorum interpretum inprimis *Pauli* mente Iesus iussit Petrum *vendere* piscem, atque ita ex eo, non autem in ore piscis staterem *invenire*, i. e. *acquirere*, sibi *comparare*. Vid. *Neues theol. Iournal von Ammon* etc. Vol. VI, P. III. p. 859. sqq. Contra disputavit Storrius *im Magazin für christ. Dogmatik und Moral* etc. P. II. ad cuius obiectiones respondit Paulus (in Commentar. ad h. l. Tom. II. p. 615. sqq.) locum sic explicans: Sermo est vel de pisce magno, vel de piscibus pluribus a Petro capiendis; nam πρῶτον vel Adverbium vel Accusativus esse, et ἰχθὺς collective accipi potest. Ἀνοίξας τὸ στόμα αὐτοῦ, verti debet: *solve eum* (piscem) ab hamo. Εὑρήσεις notat: *accipere*, *auferre*, *parare*, et post εὑρήσεις subintelligendum est ἐν αὐτῷ, quod quidem ad στόμα, sed aeque recte ad ἰχθὺν referri, et explicari potest, *pro eo*, *loco eius* (piscis), ut sensus sit: pro eo pisce accipies στατῆρα. Piscem esse vendendum, per se intelligebatur, nec opus erat, ut Iesus Petrum de ea re admoneret. — Quam parum haec interpretatio legibus grammaticis sit consentanea, Storrius l. c. satis ostendit. Cf. etiam Kuinoelii Com-

Commentar. ad h. l. HEISCHKEIL (vid. *neue theol. Blätter*, Vol. II. P. I. p. 81.) in formula: ἀνόιξας τὸ στόμα αὐτοῦ, articulum τὸ, interposito commate, a voce στόμα seiungit, et pro τοῦτο ita collocatum putat, ut certam aliquam partem suppellectilis circumiectae denotet: tum ante στόμα supplet praeposit. κατὰ, idque idem esse credit ac *supra*, s. *superne*, quo significatu in versione Alexandrina passim legatur. Unde posteriora huius commatis verba, quae a prioribus, tanquam obiter et alio consilio dictis, separari vult, germanice sic reddit: *Mache das* (*dieses da*) *auf, sc. etwas von den vorhandenen Geräthschaften, oben darauf wirst du einen Stater finden.* Hanc vero interpretationem contortam nemo facile probabit.

CAP. XVIII.

1. Ἐν ἐκείνῃ τῇ ὥρᾳ) *Isto tempore.* Alexandrini hebr. עֵת, *tempus*, saepius vertunt ὥραν, e. c. Exod. IX, 18. Ruth. II, 14. Discipuli etiam alias de ista re, de qua h. c. quaerebant, egerunt, ut ex collatione scriptorum videtur colligi posse, sed tunc praecipue, postquam Christus Petro claves regni coelorum tradidisset, eumque cum Iacobo et Ioanne, relictis reliquis Apostolis, in montem secreto abduxisset. Tres enim isti supra Collegas sese extulisse, et novem reliqui ipsis invidisse videntur. τίς ἄρα μείζων ἐστὶν ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν;) Μείζων, pro μέγιστος. Vid. supra, c. XIII, 32. Quis nostrum sub rege Messia locum honoratissimum tenebit? quis erit imperator? quis consiliarius? quis procurator? c. XX, 21. An is, qui primus in doctrinam tuam se tradidit? an qui tibi sanguine est coniunctior? an qui te frequenter hospitio excepit? an aetate provectior?

2.

2. προσκαλεσάμενος παιδίον) Solebat Christus, populorum orientalium more, per imagines corporeas visui subiectas doctrinam suam representare. Illud προσκαλεσάμενος ostendit, puerum fuisse maiusculum, ut qui ambulare posset.

3. ἐὰν μὴ στραφῆτε καὶ γένησθε ὡς τὰ παιδία) *Nisi itérum animum puerorum indueritis.* Στραφῆτε καὶ γένησθε pro πάλιν γένησθε. Nam verbum στραφῆναι, et ἐπιστρέφειν LXX interpretes haud raro usurpant pro hebraico שוּב, ubi id verbum vim adverbii obtinet, e. c. Mich. VII, 19. Mal. I, 4. Interdum illud שוּב videtur πάλιν, ut Gen. XXX, 31. Ies. VI, 13. c. XXIII, 17. Alii ἐὰν μὴ στραφῆτε reddunt: *nisi resipueritis.* Pueris similes vult fieri Christus sectatores suos, modestia et honorum perieturorum despicientia, quod ea aetas longissime absit a studio honorum, quod ne ad iuventam quidem se ad virilem et robustam aetatem referri solet; nam, ut *Horatius* ait: *Conversis studiis aetas animusque virilis quaerit opes et amicitias, inservit honori.* οὐ μὴ εἰσέλθητε εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν) Tantum abest ut primas sedes habituri sitis; ne partem quidem habebitis in regno coelesti.

4. ὅστις οὖν — τῶν οὐρανῶν) *Qui igitur ita modeste de se sentiat, sicut hic puer, iste magnus erit in regno Messiae*, magnus erit Christianus, et hoc nomine prae ceteris dignus. Ταπεινοῦν ἑαυτὸν *modeste de se sentire*, nunquam se aliis praeponere, facileque se contemni pati. Τὸ παιδίον hic spectatur non qua aetatem, sed qua indolem suam, qua nec titulos nec externam dignitatem affectat. Qui ergo huiusmodi puerum imitatur, (Iesus inquit,) *is est permagnus in regno Messiae, est excellens Christianus.* Superat enim alios *cognitione,*

tione, quia recte existimat, hominis dignitatem veram non pendere a titulis et externis honoribus. Sed et *virtute* alios superat, quia non affectat vanam gloriam et perituros honores; neminem contemnit qui externis dignitatibus caret; nec si ipse habet, se propter eas effert.

5. καὶ ὃς — ἐμὲ δέχεται) *Et qui vel tali puero benefecerit mei caussa, is mihi benefacit.* Vox δέχεσθαι, quae proprie significat *hospitio excipere* h. l. notat: *ornare beneficiis*, ut Act. XXI, 17. Cf. Marc. IX, 41. Παιδίον τοιοῦτον, hominem qui indole hunc puerum refert, obscurum, nullius externae dignitatis. Nam παιδίον hic exempli loco ponitur pro quovis puero et quovis homine qui puerum modestia et vacuitate a cupiditate honorum imitatur. Ἐπὶ τῷ ὀνόματί μου, *quia est meus discipulus*, quamquam ab aliis contemtus. Ἐμὲ δέχεται, *mihi benefacit.* Hunc ita amabo et remunerabor, quasi meispum beneficio ornasset.

6. ὃς δ' ἂν — εἰς ἐμὲ) *Quodsi vero quis* dictis vel actis *offenderit vel minimum eorum, qui in me credunt.* Τοὺς μικροὺς h. l. non esse infantes, sed *modestos, quanquam contemtos Christianos*, inde patet, quod ὃς δὲ perspicue refertur ad alterum illud ὅς ἐὰν v. 5. et μικροὶ τοῦτοι respondent istis qui v. 5. παιδία dicebantur. Ita vox μικρῶν et ἐλαχίστων sumitur etiam c. X, 42. c. XXV, 40. Πιστεύειν εἰς Ἰησοῦν est, *esse sectatorem Iesu*, credere, eum non esse vulgarem hominem, sed, si non Messiam, saltim divinum doctorem et insignem prophetam, cui proinde fides habenda, cuius doctrinae obsequium praestandum sit. Io. VI, 69. De verbo σκανδαλίζειν supra ad c. V, 29. diximus. Hoc loco est *dictis vel factis efficere, ut quis a Christi caussa alienior fiat.* Quo modo Iesus inciderit in hanc ad-

admonitionem, intelligitur e Marco (c. IX, 38. sqq.) qui refert, Ioannem interpellasse Iesum, eique narrasse se cohibuisse studia hominis cuiusdam ignoti, qui nomine Christi daemonia exturbasset. Hunc igitur castigavit Iesus, dicens: Qui meo nomine daemonia exturbat, is a meis stat partibus, eandemque quam vos caussam propagat. Ergo non erat e vobis contemnendus; tali enim acerbitate irritari poterat et averti a studio honoris mei propagandi, omninoque a caussa mea alienior fieri. Matthaeus, non commemorata occasione, qua Iesus haec dixit, duos Christi sermones diversos, propter argumenti similitudinem in unum coniunxit. Vid. D. Io. Aug. Noesselti eruditam in hunc locum disputationem, in opuscul. Fascic. I. edit. 2da. Docet igitur Christus, occasione hac arrepta, quam graviter peccent ii, qui Christianos male tractando, occasionem deserendae religionis iis praebent. *συμφέρει — θαλάσσης*) *Ei praestiterit, suspensa in collo eius mola asinaria ad mare demergi.* Deest *ἀνταπόδοσις*: *potius quam tale quid committeret*, i. e. *is gravissima poena dignus est.* Post *συμφέρει* omissa est particula potentialis *ἄν*, itemque *μᾶλλον*, quod supplet Marcus c. IX, 14. Graecâ ratio postulabat, ut verbo *συμφέρει* infinitivus simpliciter adderetur; sed Evangelistae Hebraeos in eo etiam imitantur, ut verba *εἰπεῖν*, *δίδόναι*, *συμφέρει*, quae verbis אָמַר, תֵּת, et טוֹב respondent, non infinitivos, sed coniunctionem *ἵνα* cum modo suo sequi iubeant. Vid. Fischeri Proluss. p. 412. Μύλος *saxum molare.* Ὀνικὸς epitheton est adiectum, ad indicandam molam maiorem ac graviorem, qualis est, quae non manu, sed asinorum opera versari solet; quomodo et Syrus et Latinus interpres intellexerunt. Marcus c. IX, 42. exponit *λίθον μυλικόν.*

Mos

Mos καταποντισμῶ, saxo ad collum appenso, usitatus Iudaeis non fuit, sed sola quatuor supplicia apud eos nota fuisse, ex omni historia et interpretum consensu apparet, ignem, lapidationem, gladium, strangulationem. Quare a vicinis Syris tractum hoc loquendi genus. Mos idem in Graecia. Scholiastes ad Equites *Aristophanis*: ὅταν γὰρ κατεπόντων τινάς; βάρος ἀπὸ τῶν τραχήλων ἐκρέμων. *Suidas* in Lexico sub voce ὑπέρβολον λίθον: Quum aliquos in mari submergebant, de collo suspendebant lapides et saxa grandiora, ne ex aquis emergerent illi, quos submergere volebant. Caeterum sensus proverbii est: *praestaret ei, ut prorsus e conspectu hominum submoveretur*; (cf. Apoc. XVIII, 21.) quoniam autem de homine pernicioso sermo est, ideo dicitur: ut in mare proiiceretur.

7. ἐκ — σκανδάλων) *O miseros homines offensarum caussa!* i. e. *gravissima mala evenient hominibus propter offensiones*. Per τὰ σκάνδαλα intelliguntur quaevis malae actiones, quas dum alii vident, aut de illis disserentes audiunt, ad similes actiones invitantur. Dicuntur autem isto metaphorico nomine, quod, dum alii eas vident, aut de iis loquentes audiunt, ad eas quasi offendunt. Τῷ κόσμῳ, *hominibus*, et illis qui offendunt, et illis, qui offensi aliorum improbitate, aut a pietate deficiunt, aut alioqui graviter delinquunt. Nam מִן Hebraeum, et sumtum inde ἐκ Hellenistarum, plerumque dolentis vox est. Ἀπὸ h. l. denotat: *propter*, ut hebr. מִן, quod LXX. vertunt ἀπὸ, Exod. II, 23. ἀνάγκη — σκάνδαλα) *Non aliter quidem fieri potest*, (ob hominum perversitatem) *quam ut scandala dentur*, vel *existant*; nam ἐλθεῖν interdum usurpatur pro hebr. הָיָה. Act. VII, 11.

Gen.

Gen. XLI, 40. Quid h. l. sit illud ἀνάγκη, interpretatus est Lucas c. XVII, 1. dum scripsit, ἀνένδεκτον ἔιναι, i. e. non contingere, ut scandala, seu malae actiones, quae alios offendant, non perpetrentur. Caussa vero, cur aliter non contingat, est hominum perversitas, quam Deus aversatur quidem, sed permittit tamen. Apud Graecos scriptores ἀνάγκη, aut ἀναγκαῖον haud raro significat id, quod fieri aliqua de caussa oportet, ut Luc. XIV, 18. Hebr. IX, 23. πλὴν) Adversativa haec ostendit, sapiente Dei permissione culpam peccantium non levari: unde sequitur, de tali hic agi necessitate, quae libertatem non tollat.

8. Iam admonet Iesus suos, ne ipsi se ullo modo abripi patiantur a religionis professione; cohortatur eos, malint cupiditates pravas reprimere, externa commoda omnia negligere, quam religionem relinquere et cupiditatibus pravis indulgere. εἰ δὲ — ἀπὸ σοῦ) i. e. *Si quid, etiamsi alias tibi carissimum, te incitet ad peccatum, vel studio pietatis obsit, abstinendum tibi est ab eo.* Proverbialis est locutio. Ἡ χεὶρ, ὁ πούς, tale aliquid, quod nobis aeque carum est ac manus nostra, ac pes; vel aliud membrum corporis nostri. καλόν σοι — αἰώνιον) Plena oratio esset: Si vel carissima corporis membra praecidenda sunt, ne totum pereat corpus, quando magis abiiciendae sunt a nobis cogitationes minus rectae, ut aeternum evitetur exitium? Καλὸν positum est pro ἄμεινον, ut in *Senar. Graec.* καλὸν τὸ νηφειν, ἢ τὸ πολλὰ κραιπαλᾶν. Insuper Hebraei pro comparativo, quo carent, positivum ponere solent, quos imitantur Alexandrini, caeterique scriptores Iudaei. Sic טוֹב Iud. IX, 2. ἀγαθὸν, et ἀγαθὸν atque καλὸν Tob. XII, 8. Suppleri etiam potest μᾶλλον, ut suprae v. 6. χωλὸς opponitur δύο πόδας ἔχοντι, qui ha-

bet duo pedes salvos et integros, ut κυλλὸς τῷ δύο χεῖρας ἔχοντι, per chiasmum.

10. Redit nunc Christi oratio eo, unde paulisper declinaverat. μὴ καταφρονήσητε ἑνὸς τῶν μικρῶν τούτων) *ne contemnatis aliquem ex parvis istis*, i. e. vere piis, novae meae religionis cultoribus, modestis, adhuc infirmis fide qui hac parte parvulis sunt similes. οἱ ἄγγελοι — ἐρανοῖς) i. e. *Primores angelorum curam eorum gerunt.* Ἄγγελοι αὐτῶν, *angeli qui illis dati sunt custodes*, qui ad eos tutandos ablegantur. Si verba οἱ ἄγγελοι αὐτῶν ἐν ἐρανοῖς coniungas, sensus erit: *Angeli coelestes, qui eorum curam gerunt.* Ἄγγελοι ἐν ἐρανοῖς sunt *angeli sublimes et coelestes*, velut magnates Dei excelsissimi. Christus ita loqui est solitus, quomodo se loquentem a Iudaeis optime sciebat intelligi. Iudaei autem veteres noviique crediderunt singulis, saltem piorum, additum a Deo custodem angelum; quam sententiam multi hic a Christo approbari, haud scio an satis recte, putant. Videtur potius hoc tantummodo indicari: Vilissimae sortis et conditionis Christianos subesse curae et tutamini principum legatorum coelestium; amari ab iis et suspici. Hi angeli, piorum tutores dicuntur βλέπειν τὸ πρόσωπον τοῦ πατρός, *apparere coram patre*, quae phrasis desumta est a more regum, quos adspicere quotidie non cuivis ministrorum licet, sed solis regni proceribus 1 Reg. X, 8. Idem est, videre faciem regis, ac stare coram rege. Porro *regi apparere est familiarem esse et amicum regis, ministrum intimae admissionis;* unde Esth. I, 14. רֹאֵי פְנֵי הַמֶּלֶךְ a LXX. eleganter dicuntur οἱ ἐγγὺς τοῦ βασιλέως, *consiliarii intimi regis.* Videtur igitur Christus hoc velle: Christianos omnes, vilissimae etiam sortis,

Deo

Deo ita esse caros, ut curam eorum ministris suis maxime familiaribus demandaverit. Nefas igitur esse, eos καταφρονεῖν, *negligere*, offendere, innocentiae eorum et simplicitati insultare. PAULUS per τὰς ἀγγέλας, *angelos tutelares*, intelligit homines, qui minorum curam habent. Sensus: *Werdet Schutzengel der Jugend; denn durch diese Pflichterfüllung nähert man sich der Gottheit. Wer ein Schutzengel der Jugend war, ist iezt gewifs im Himmel in vorzüglicher Seligkeit.*

11. ἦλθε γὰρ - ἀπολωλός.) *Munus enim Messiae est, ut salutem det hominibus perditis*, neglectis, et ovium more errantibus Alia caussa additur, cur nemo Christianus et pius sit negligendus et contemnendus, v. 10. De nomine ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου vid. supra cap. VIII, 20. *Messias venit*, i. e. *ego veni*, nam de seipso loquitur Iesus. Ἦλθον, *eo spectat munus meum.* Matth. V, 17. Τὸ ἀπολωλός, neutrum pro masculino. Matth. X, 6. XV, 24. Eo ipso, quod pater coelestis misit filium suum, satis declaravit, quod nolit vel unum horum minimorum perire. Est tamen hic versus admodum suspectus; nam in ipso omittendo codices B. 1. 13. Syra hierosolymitana, latini aliquot codices, Hieronymus ac Iuvencus concinunt cum L. 33. Copta et Origene. Intrusus eo consilio videtur, quo sequentia aptius cohaererent antecedentibus, neque orationis filum abruptum esse autumaretur. Verisimile est e Luc. XIX, 10. huc esse translatum.

12. τί ὑμῖν δοκεῖ;) Illustrat Iesus enunciatum suum (v. 10.) pulcra imagine, quae iisdem fere verbis extat Luc. XV, 4 sq. ad declarandum, quantum gaudium nascatur ex uno ἁμαρτωλῷ μετανοοῦντι, et cur errantes ac infirmi non sint negligendi. ἐάν γένηταί τινι ἀνθρώπῳ ἑκατὸν πρόβατα,) *Si quis habeat centum oves.* Γένηται

ἐμοὶ, *habeo*, more Hebraeorum, quibus היה cum ל significat *habere*. Lucas c. XV, 4. ἔχειν posuit. Hanc comparationem alibi quoque, fine aliquantum diverso Christus usurpat: quod et in aliis comparationibus observare est. Sensus est, magnopere gaudere Deum conversione hominis peccatoris. Cetera accessio sunt comparationis, quae sigillatim applicari ad ἀνταπόδοσιν nihil necesse est, ἀφεὶς τὰ ἐννενηκονταεννέα ἐπὶ τὰ ὄρη, *relinquens nonaginta novem in montibus*, in locis desertis et montosis, ubi tutae sunt. Lucas habet c. XV, 4. ἐν τῇ ἐρήμῳ, *in locis pascuosis*. Vid. Matth. III, 1. Aliis interpunctio: ἐπὶ τὰ ὄρη πορευθεὶς, *per montes vagabitur*, melius convenire videtur, ut tanto maius quaerendae per solitudines medias aberrantis ovis studium demonstretur. Sed nefas esset deserere nonaginta novem oves, nisi tutae essent in montibus, i. e. in locis pascuosis relictae. In parabola tamen non singula ad vivum sunt resecanda.

13. Καὶ ἐὰν γένηται — μὴ πεπλανημένοις) *Et si eam invenerit, profecto de ea magis gaudebit, quam de nonaginta novem servatis.* Ἐὰν γένηται εὑρεῖν, pro εὕρῃ. Hebraicum הָיָה saepe pleonastice ponitur, et omittitur ab Alexandrinis Gen. XLVI, 33. χρείαν plerumque cum ἐν construitur; sed Hebraei שִׂים non tantum cum ב, sed etiam cum עַל, ἐπὶ, construere solent, e. g. Ion. IV. 6.

15. ἐκ ἔστι θέλημα — τούτων) Maxime displicet patri vestro coelesti, si vel unus tenuissimae conditionis hominum pereat. רָצוֹן לִפְנֵי יְהוָה ut Exod. XXVIII, 38. ubi LXX. δεκτὸν ἔναντι κυρίου verterunt, plerumque verti solet εὐδοκία. Est autem λιτότης: non est gratum Deo, pro

pro eo, quod proprie diceretur: Deo quam maxime displicet. Faciunt ergo, qui pios offendunt, contra veram ac seriam Dei voluntatem.

13. ἐὰν δὲ ἁμαρτήσῃ εἰς σὲ ὁ ἀδελφός σε) *Si verò alter te offenderit.* Ἀδελφὸς, h. l. denotat eum, qui religionis vinculo cum aliquo coniunctus est, disciplinae Christi alumnus, ut contextus docet. Ἁμαρτάνειν εἰς τινὰ, *laedere aliquem*, ut hebr. חָטָא sequente ל Gen. XX, 9. Iud. XI, 27. Alexandrini Ier. XXXVII, 18. verterunt ἀδικεῖν. Agitur autem proprie de delictis, quae imbecillitati humanae ex ira, invidia, habendi cupidine solent obrepere, quaeque ad alterius iniuriam pertinent. Hoc enim significat εἰς σὲ. Similia his quae sequuntur, habentur in scriptis Hebraeorum, ut patet ex locis citatis a *Drusio*, *Lightfooto*, aliisque. Sicut enim Christus errores Iudaicos libere reprehendit; ita quaecunque ad pietatem ac probitatem faciebant, ad verbum prope in sua dogmata transtulit. ἔλεγξον — μόνου) *Secreto*, *remotis testibus eum corrige*, admone, ut errorem fateatur, et resipiscat. Hebraeum הוֹכֵחַ in *Levitico* XIX, 17. LXX, quos sequuntur alii Hellenistae, transferunt ἐλέγχειν. Hoc est, quod *castigare* dixit *Plautus*. Hoc fieri debet primum verbis mollibus, deinde si opus sit, paullo acrioribus, ut recte praecipiunt Hebraei. ἐάν σε ἀκούσῃ) *Si monitis pareat*, hoc est, ἐὰν μετανοήσῃ, ut *Lucas* explicat. ἐκέρδησας τὸν ἀδελφόν σε) κερδαίνειν est ad bonam frugem revocare, ac proinde in salutis viam reducere: ita haec vox sumitur 1 Cor. IX, 19—22. 1 Petr. III, 1. Non ait Christus, *tibi* bene consuluisti, sed *fratri*: id enim praecipue propositum nobis laesis esse debet. Nam nostra tantum aut res aut existimatio agitur temporaria; illius salus aeterna.

16. ἕνα ἢ δύο) ut eodem modo, si fieri potest, pudor ipsi exprimatur, quod addunt Hebraei. Ideo tales assumi debent, quorum aliquid apud ipsum auctoritas valeat. ἵνα—ῥῆμα) *Ut duorum vel trium testium sermone totum negotium confirmetur.* Ἐπὶ στόματος, hebr. עַל־פִּי, i. e. *sermone ac testimonio;* nam oris vocabulum interdum accipitur pro sermone. Πᾶν ῥῆμα, *tota res,* vel *negotium de quo agitur.* Sunt ipsa verba legis ex Deut. XIX, 15. ex Versione LXX. Lex ista Mosis proprie ad facti controversias pertinens, in proverbium transiit, ita ut de rebus aliis usurpetur, quemadmodum videre est Ioan. VIII, 17. 2 Cor. XIII, 1. Sensus hic est, ut is, qui peccavit, si te unum non est reveritus, illos saltem duos aut tres adhibitos revereatur; et illorum consensu motus iniquitatem facti sui agnoscat.

17. παρακούσῃ αὐτῶν) i. e. ἐὰν μὴ μετανοήσῃ. Vox frequens Graecis scriptoribus, sed et LXX. interpretibus usitata. τῇ ἐκκλησίᾳ) *Universo coetui,* vel communitati, cuius es membrum. *Coram multis,* inquit liber Musar. cf. 2 Cor. II, 6. 1 Tim. V, 20. Usitatissimum erat apud *Iudaeos,* obstinatos in hac vel illa perversitate, post indultam admonitionem, publico praeconio in Synagoga notare, ut *Lightfootus* ostendit. ἔσῳ σοι ὥσπερ ὁ ἐθνικὸς καὶ ὁ τελώνης) *Tractabis eum ut ethnicum et portitorem;* habeas eum pro homine profano et flagitioso, cuius commercium et consuetudinem fugias. Quando omnia monita contemsit, libera te ipsius cura; habe eum, quo loco habes ἐθνικόν, i. e. a religione plane alienum: aut Iudaeum quidem, sed ἁμαρτωλόν, hoc est, talem, qui vitae sit flagitiosae, quales haberi solebant τελῶναι καὶ πόρναι. Talibus autem non desinebant deberi communia

huma-

humanitatis officia, ut male sentiebant Iudaeorum plerique, sed ea tantum, quae ad propriorem amicitiam pertinent. Caeterum hanc admonitionem esse temporalem et localem, nostris institutis non accommodatam, recte, ut opinor, monent eruditi. Nempe haec publica admonitio non potest habere locum nisi in coetu minore, ne speciem quidem auctoritatis civilis prae se ferente, seque ipsum e Christi praeceptis liberrime gubernante. In statum ecclesiae externum et civilem, qui apud nos est, haec disciplinae christianae pars parum convenit. Vid. NITZSCH. Theol. Wittenberg. *de iudicandis morum praeceptis in N. T. a communi omnium hominum ac temporum usu alienis.* Commentat. VIII, p. 165. sqq.

18. ὅσα ἐὰν δήσητε ἐπὶ τῆς γῆς κ. τ. λ.) *Quodcunque communi consensu decreveritis*, (de tali peccatore,) *ratum erit apud Deum.* Sententia a vobis lata, (i. e. non decretis Iudaicis, aut γράμματι, s. scripto legis Mosaicae, sed doctrinae meae et praeceptis virtutis consentanea) apud ipsum Deum rata erit. Idem plane, quanquam aliis verbis, exprimitur a Paulo 1 Cor. VI, 2. 3. Vid. *Nitzsch.* l. c. CAMPEG. VITRINGA *de Synagoga Vetere* p. 754. s. hunc sensum huius loci esse putat: *Quaecunque vos licita aut illicita pronunciaveritis: quae vos praeceperitis, vel prohibueritis, ea ratihabenda sunt in curia coelesti.* Ex eius sententia Christus hoc voluit: Si hoc remedio, quod nunc praescripsi, vobis non satis cautum videatur contra scandala in ecclesia suboritura, vestrum erit, alia remedia, prout occasio tulerit, excogitare et adhibere. Concedo enim vobis potestatem (quam et Petro iam ante concessi,) post meum a vobis discessum talem constituendi disciplinam, quam rerum tem-

temporumque conditionem efflagitare censebitis. Caeterum cf. notata supra ad c. XVI, 19.

19. *πάλιν) praeterea iterum* In antiquis Codd. additur *ἀμήν*. *ἐὰν δύο ὑμῶν — ἐν οὐρανοῖς*) *Si duo vestrum unanimi consensu aliquid* (animarum salutem concernens) *petant, dabitur id illis a Deo.* Manifesta est connexio cum superioribus: quod hic solveritis, in coelo solutum erit. Id universali propositione confirmat: Deus praestat, quicquid duo concorditer petunt, sicut in ea, de qua egit, specie, si nempe is, qui fratrem admonuit, et frater admonitus, aut etiam alii, si qui fuerunt adhibiti, Deum precantur, ut culpam condonet. Verba *περὶ παντὸς πράγματος*, cum ea restrictione sunt intelligenda, si boni ad finem bonum aliquid petant.

20. *ἓ γὰρ — ἐν μέσῳ αὐτῶν*) *Si enim duo vel tres concorditer aliquid petant, in rebus ad religionem meam pertinentibus, ego adiuvo eorum preces.* Sicut modo *συμφωνεῖν* ab ore ad animum transferebatur, ita hic *συνάγεσθαι* per translationem est *ὁμονοεῖν*, quomodo latine etiam dicimus *convenire*. Actor. IV, 27. *Εἰς τὸ ἐμὸν ὄνομα*, mei caussa, propter me et religionem meam, vel cum fiducia in me. Syrus בשמי, quomodo בְּשֵׁם sumitur Ps. XX, 8. et 1 Sam. XVII, 45. ad significandam fiduciam, quam in aliquo ponimus. cf. Io. XIV, 13. 14. In verbis *ἐκεῖ εἰμι ἐν μέσῳ αὐτῶν*, i. e. *μετ' αὐτῶν*, rursum translatio est, qualis supra in voce *συνάγεσθαι*. Sic latine *adesse alicui* dicitur, qui ei favet, auxiliumque praebet. Est autem hoc Christi dictum simillimum tritae inter Hebraeos sententiae: *Ubi duo considunt, sermonem habentes de lege, Schechinah est inter ipsos.*

21. ποσάκις ἁμαρτήσει εἰς ἐμὲ ὁ ἀδελφός μου, καὶ ἀφήσω αὐτῷ) *Quoties peccanti in me remittam?* Hebraismus, pro quo Graeci dicerent: ποσάκις ἁμαρτήσαντι ἀφήσω: Ἀφήσω, pro ἀφιέναι δεῖ, *remittere oportet;* nam futurum saepe de debito et officio explicandum est. Mal. I, 6. II, 7. ἕως ἑπτάκις;) *Ioma.* R. Iose filius Iudae dixit: Homini in alterum peccanti, semel remittunt; secundo remittunt, tertio remittunt, quarto non remittunt. S. D. Amos II, 2. Iob. XXXIII, 29.

22. ἕως ἑβδομηκοντάκις ἑπτά) Non est hoc *septuagies et septies,* sed ad numerum usque *septuagies septenum.* Ἑπτὰ dixit Matthaeus pro ἑπτάκις, secutus consuetudinem Hebraeorum, qui pro verbis שִׁבְעָ פְעָמִים nonnunquam usi sunt simpliciter nomine numeri שִׁבְעָ, e. c. Ps. CXIX, 164. Prov. XXIV, 16. Numero septies septuagenario indicatur numerus maximus et infinitus. Opponit Christus hunc numerum, ut multo maiorem, numero septenario ex more Hebraeorum. *Quotiescunque in te peccaverit.* Cf. Gen. IV, 24.

23. διὰ τοῦτο) Ellipsis, pro: διὰ τοῦτο λέγω ὑμῖν ὅτι, ὡμοιώθη — δούλων αὐτοῦ) *In coetu Messiae Deus sic tractabit subditos, ut ille rex, qui voluit rationes conferre cum suis ministris.* Ἀνθρώπῳ βασιλεῖ, i. e. βασιλεῖ τινι, quomodo Hebraei אִישׁ sumere solent, c. XX, 1. Ne quis existimaret, id, quod modo dictum erat de condonatione, durum esse et iniquum, docet Iesus adhibita similitudine, esse id aequissimum. Deum, ait, in civitate, quam per Messiam administraturus sit, ita se gesturum esse adversus suos, quomodo se gessit rex quidam adversus ministros, qui fiscum ipsius tractarent. Nam ubi de regibus agitur, *servi* dicuntur omnes subditi, sed praeci-

cipue, qui sunt in aulico ministerio, ut 1 Reg. IX, 22, ubi vox עַבְדֵּי in eodem commate significatu duplici et quidem opposito invenitur. Hoc loco de ministris sermo esse videtur, propter v. 28. 29.

24. Εἷς, pro τις ut Hebraeorum אֶחָד, quod LXX. verterunt τις, Gen. XXVI, 10. ὀφειλέτης μυρίων ταλάντων) *debitor decies millium talentorum.* Τάλαντον est talentum habraicum, כִּכָּר, quod aequabat tria millia siclorum, h. e. valebat mille et quingentis thaleros, atque adeo decies mille talenta sunt quindecim millies millia thalerorum, 15 Millionen. Apud Graecos μύρια ut apud Latinos sexcenta dicere pro *multis* usitatum est. Hoc loco significatur infinita pecuniae vis, atque debitum, cui solvendo minister regis nunquam fuisset par.

25. μὴ ἔχοντος δὲ ἀυτὸ ἀποδοῦναι) *Quum non esset solvendo.* ἔχειν pro δύνασθαι frequenter ponitur. πραθῆναι) Liberi homines cum uxoribus et prole, ubi solvendo non essent, servi fiebant creditorum, moribus Hebraeorum, quod docemur 2 Reg. IV, 1. καὶ ἀποδοθῆναι, *ut solvi possit.* Ἀποδοῦναι apud LXX. respondet hebr. הָשִׁיב Levit. XXV, 28. *restituere, solvere.*

26. μακροθύμησον) *Indulgeas mihi.* Μακροθυμεῖν etiam Sirac. XXXV, 18. cum ἐπὶ construitur. Omnino hic vertendum est: *indulge mihi;* nam indulgere eleganter Latinis dicitur de creditoribus, qui diutius quam dictum sit, alios debere patiuntur. Vid. *Corn Nepos,* Attic. c. II. καὶ πάντα σοι ἀποδώσω) Promisit, quod nunquam praestare poterat.

27. Σπλαγχνισθεὶς — ἀυτῷ) *Dominus misertus ministri illius, non modo ipsum liberum abire iussit,* ve-

verum etiam debitum omne prorsus ei remisit. Plus igitur indulsit, quam ille petierat.

28. Ἐξελθων δὲ ὁ δουλος ἐκεινος, *egressus vero ille minister*, e palatio regis. Εὑρεν, *offendit, ut* מָצָא Gen. XXXVII, 15. Num. XV, 32. *offendere, obvium habere.* Ενα τῶν συνδουλων αὐτου, *aliquem commilitonum, collegarum suorum.* Εἷς iterum pro τις, ut supra v. 24. ἑκατὸν δηνάρια) Denarius est octava pars thaleri: erant ergo, si nostrae monetae rationem habemus, ἑκατον δηνάρ.α duodecim thaleri et duodecim grossi. Oblitus clementiae Regis homo omni sensu humanitatis destitutus, κρατήσας αὐτὸν ἔπνιγε, *collum ei obtorquebat.* Propria est verbi ratio in creditoribus, qui debitores segnes obtorto collo corripiunt, atque solvendum aes alienum acerbe cogunt. Loca laudat *Wetstenius.* ὅ, τι ὀφείλεις) ἐι τι habent Codd. tantum non omnes, et Patres. Solet ἐι saepe non conditionem, sed generalitatem significare.

29. πεσὼν — ἀποδώσω σοι) Totidem verbis supplex obsecravit eum, quot minister ingratus et inhumanus Regem obsecraverat.

30. ἀπελθὼν) Vel abundat hoc participium ex vulgata loquendi consuetudine, vel vertendum est: *Pergens.* Nisi malimus intelligere, abiisse cum eo, quem videlicet ipsemet in carcerem rapiebat. Ἔβαλεν αὐτὸν εἰς φυλακὴν, *carceri eum dedit obaeratorum.* Hoc iure Mosaico non erat receptum, sed apud exteras gentes obtinuit. *Nep.* Miltiad. c. VIII. Cimon c. I.

31. οἱ σύνδουλοι αὐτου) Syrus habet *collegas eorum*, tam debitoris quam creditoris. Ἐλυπήθησαν σφόδρα, *aegerrime tulerunt.* Sic LXX. Nehem. V, 6. וַיִּחַר לִי מְאֹד

trans-

transtulerunt καὶ ἐλυπήθην σφόδρα. Διεσαφησαν, accurate et diligenter narrarunt. 1 Maccab. XII, 8. 2 Maccab. I, 18. hebr. בְּאֹר Deut. I, 5.

34. τοῖς βασανισταῖς) βασανισταὶ h. l. non sunt tortores, sed vocantur ita custodes carceris, δεσμοφύλακες. Nam βάσανος in N. T. non quaestionem solum, sed omnem omnino cruciatum atque molestiam significat; et ipse carcer vocatur corporis cruciatus *L. ult. c. qui bon. ced. poss.* Igitur παραδιδόναι τὸν ὀφειλήτην τοῖς βασανισταῖς est *debitorem dare in nervum, nervo vinciri iuberi.* Nervus autem fuit genus vinculi ferrei, vel lignei, quo, ut cervices et manus, ita etiam pedes impediebantur. Vid. *Fischeri* Proluss. de vitiis Lexicor. p. 458. sq. Utitur autem hic rex ille non solo creditoris iure, sed et iudicis.

35. ἕτως) Haec plena est comparatio, habet enim ἀνταπόδοσιν, cuius sensus idem est, qui in illis Iacobi verbis: ἡ κρίσις ἀνίλεως τῷ [μὴ ποιήσαντι ἔλεος, et supra c. VI, 15. nisi quod hic additur, iam accepta beneficia divinae indulgentiae nihil profutura immisericordibus. Ὁ πατήρ μου ὁ ἐπουράνιος, *pater meus sublimis et excelsus*, παντοκράτωρ, *huius universi dominator.* Vid. notata ad Matth. VI, 9. Ποιήσει ὑμῖν, *affectus erit erga vos, tractabit, exciepiet vos.* Vid. supra c. XVIII, 12. Ἀπὸ τῶν καρδιῶν ὑμῶν, idem ac ἐκ καρδιῶν, *ex animo, integro et sincero animo*, ut ἐκ ψυχῆς, Eph. VI, 6. coll. v. 5. Marc. XII, 30. 33. τὰ παραπτώματα αὐτῶν) Desunt haec verba in Codd. quibusdam, Verss. non paucis et Patr. Saepe offensae comparantur debitis pecuniariis, non quod non multum intersit: sed quia sicut ex debito nascitur ius exigendi, ita ex offensa ius quoddam nasci videtur rescindendae amicitiae; quo iure qui non uti-

utitur, benignitatem suam ostendit, eatenus similis ei, qui debitorem per acceptilationem liberat.

CAP. XIX.

1. Μετῆρεν—Ἰουδαίας) *Contulit se e Galilaea in Iudaeae regionem.* Μεταίρειν h. l. intransitive significat *transire, discedere.* Cf. supra c. XIII, 53. Vulgata *migravit.* πέραν τοῦ Ἰορδάνου) Quum Christus nollet via breviore per Samariam Hierosolyma petere, traiecto Iordane per Peraeam iter facit. Marci X, 1.

3. καὶ προσῆλθον—λέγοντες αὐτῷ) *Tum Pharisaei callide et insidiose adorti sunt eum, interrogantes* etc. Marc. X, 2. Ἀνθρώπῳ, *marito,* nomine generis posito pro speciei nomine; nam ex relato ad γυνή patet, intelligi *maritum.* Marc X, 2. ἀνδρί. Ἀπολῦσαι τὴν γυναῖκα. Vid. Matth. I, 19. Κατὰ πᾶσαν αἰτίαν verti potest *propter quamvis culpam;* nam αἰτίαι sunt *culpae;* αἰτίαν ἔχειν, accusari, *crimen habere* Tibull. I, 7. 47. Philo coniungit cum ἐγκλήμασι, ut *Loesnerus* ostendit. Sed h. l. rectius redditur: *quamcunque ob caussam, etiam levissimam.* Sic enim *Iosephus* etiam intellexit, Antiqq. Lib. IV, c. VIII, §. 23. usus his verbis: καθ' ὅς δηποτοῦν αἰτίας. Κατὰ significat *propter,* ut saepe apud optimos Scriptores. Schola *Hillelis et Sammaei* locum Deut. XXIV, 1. interpretationibus quam maxime sibi contrariis explicabat. Qui disciplinae erant *Hillelis,* dicebant, uxorem eiici posse cum *ob crimen aliquod turpius et gravius,* דָּבָר עֶרְוַת, tum etiam עַל כָּל דָּבָר κατὰ πᾶσαν αἰτίαν, *ob quamcunque caussam, etiam levissimam:* qui autem *Sammaei* placita sequebantur, ii disertis Scripturae S. ver-

verbis pressius inhaerebant, et contendebant, ob causam non *quamcunque*, sed *turpem* tantum, v. c. μοιχείαν, πορνείαν etc. virum posse dimittere uxorem. Hanc igitur rem, quae tunc temporis in controversia versabatur, disceptandam, etsi animo maligno, πειράζοντες αὐτόν. detulerunt Pharisaei ad Christum. Sciebant nempe, Christo improbari divortia, quod legi Mosis contrarium esse putabant.

4. Οὐκ — ἀνθρώπους;) *Nonne legistis creatorem ab initio masculum et foeminam condidisse?* ὁ ποιήσας, i. e. ὁ κτίσας, *Opifex*, *rerum Auctor*. Sic Deus vocatur apud Philonem de Opific. mundi. Participium est absolutum, ex Hebraeo idiotismo; הַבּוֹרֵא vel הָעֹשֶׂה ut loquuntur Hebraei. Graeci disertiores dicerent ὁ δημιουργὸς. ἄρσεν καὶ θῆλυ ἐποίησεν αὐτούς) redundat αὐτούς, ex Hebraismo. Vis autem argumenti tota posita est non in verbis ἄρσεν καὶ θῆλυ, neque in eo, quod dictum est δύο, sed com. 5. 6. in voce προσκολληθήσεται, et in eo, quod sequitur, εἰς σάρκα μίαν, quod ostendit sequens illatum. ὥστε οὐκέτι εἰσὶ δύο, ἀλλὰ σὰρξ μία. Cetera vero addita sunt ad contexandam orationem.

5. καὶ εἶπεν) Deus ipse per Mosen; (Gen. II, 24.) ei enim potius adscribenda haec verba, quam *Adamo*. προσκολληθήσεται) *agglutinabitur*, *adhaerescet*, individuo scilicet vitae consortio, quod ostendunt praecedentia. Magna est coniunctio inter parentes et liberos, quum liberi quasi pars sint parentum; attamen maior ex instituto divino inter coniuges. καὶ ἔσονται οἱ δύο εἰς σάρκα μίαν) *et ambo in unum veluti hominem coalescent*. εἰς h. l. more hebraeo redundat. Hebraei enim verbo הָיָה cum לְ utuntur ad nominativum exprimendum, ut l. c. Gene-

seos

seos. בָּשָׂר saepissime Hebraeis *hominem* significat, et vox σαρκὸς eodem sensu usurpatur ab Hellenistis. Simplicissima igitur est interpretatio, quam etiam expressit *Plato*: ὥσε δύω ὄντας ἕνα γεγονέναι, et vetus proverbium esse *Aristoteles* ait de amicis: μία ψυχή. *Pythagoras* etiam hanc amicitiae vim atque naturam esse dixit, ut unus fiat e pluribus. Nulla autem arctior amicitia, quam mariti et uxoris, quae communionem requirit affectuum, corporis, prolis, vitaeque denique totius. Atque in ipso coniugio, ut ait Cicero, prima est societas.

6. ὥσε ἐκέτι εἰσὶ δύο, ἀλλὰ σάρξ μία) *Quare* (coniugio inito) *non amplius duo sunt putandi, sed arctissime uniti* et coniuncti. Εἰσὶ, *esse censentur.* Videmus hic, duo non *pluribus* opponi, sed *uni.* Ante foedus matrimonii duo erant, postea pro uno censentur legis interpretatione, ut tam praeter naturam sit uxorem a viro divellere, quam membrum a corpore rescindere. Ὃ οὖν ὁ Θεὸς συνέζευξεν, *quod igitur Deus consociavit* Nam συζευγνύειν, hebr. חָבַר, Ezech. I, 11. est *consociare.* Unde σύζυγος, *coniux.* 3 Maccab. IV, 8. Errant qui hoc ad caussas et occasiones coniugiorum contrahendorum referant. Non enim de istis agitur, sed de ipsa matrimonii natura, cui Deus auctor inesse voluit ius amicitiae arctissimum. Si igitur sine gravi culpa, κατὰ πάσαν αἰτίαν, amicitiae cetērae dissolvi non possunt, quanto minus ista, quae tot pignorum vinculo continetur, unde pendet honesta tum propagatio, tum educatio nobilissimi animantis, creati ad divinam imaginem? ἄνθρωπος μὴ χωριζέτω) Quod facit, qui aut innocentem uxorem extrudit, aut etiam tolerare recusat ea, quae sunt tolerabilia.

7.

7. τί οὖν — αὐτὴν;) *Cur igitur Moses praecepit dare libellum divortii, eamque* (uxorem) *sic repudiare?* τί pro διατί. Βιβλίον ἀποστασίου, סֵפֶר כְּרִיתֻת. Cf. LXX. Deut. XXIV, 1. Καὶ *et sic.* Non male ex lege, formam negotio praescribente, permissionem inserunt Qui repudianti uxorem praecipit, ut libellum det divortii, divortium aliquatenus permittit. Sed non quicquid permittitur, legibus praesertim civilibus, fas piumque est, ut Christus ostendit. ἀπολῦσαι) Cf. c. V, 32.

8. Ὅτι Μωσῆς — ὑμῶν) *Moses vobis ob pervicaciam vestram permisit etc. Hieronymus* Comment. in h. l. statuit: "Non *Deus* hoc permisisse dicitur, sed *Moyses*, ut iuxta Apostolum consilium sit hominis, non imperium Dei.„ πρὸς τὴν σκληροκαρδίαν) πρὸς hic respondet Hebraeo אֶל, quod interdum significat *propter*, 1 Sam. IV, 21. 2 Sam. I, 24. c. XXI, 1. Sed monent Philologi, Profanis etiam receptam fuisse hanc huius propositionis notionem. Σκληροκαρδία *inhumanitas*, vel potius *impietas* imperium Dei detrectans. Nam LXX. עָרְלַת לְבַבְכֶם Deut. X, 16. verterunt τὴν σκληροκαρδίαν ὑμῶν. Paulus inhumanitatem, non universae nationis, sed maritorum intelligendam esse existimat. Ἀπ' ἀρχῆς — ἔτω, *ab initio autem* (sc. ex consilio et praecepto divino) *ita non factum est,* plane egregie constitutum fuit. Illa Mosis constitutio de libello repudii est quidem a pristina illa valde diversa, sed pro tempore tamen erat necessaria. Quia scilicet Israelitae obdurauerant adversus aequitatem a natura Deoque praescriptam, ideo Deus iura scripsit, non tanquam optimae reipublicae, sed tanquam faeci Israelis. ἐπέτρεψεν ὑμῖν) *Permissio* opponitur *mandato.*

9.

9. *εἰ μὴ ἐπὶ πορνείᾳ*) Deest *εἰ* in Codd. quamplurimis, et omittitur etiam a Damasc. et Theophil. Sensus est: *quum non sit adultera.* Quod favet *Origini*, dicenti: *πορνείας* mentionem non fieri in vim strictae exceptionis, sed exempli gratia, nimirum ut graviores mores a levioribus discernantur. *μοιχᾶται*) *Adulterium committit.* Hanc significationem retinendam puto. Qui enim repudio iniusto validum matrimonium dissolvit, et aliam uxorem ducit, pro adultero est habendus. Quod pertinet ad rem, de qua h. l. sermo est, cf. dicta supra ad c. V, 31. 32.

10. *Λέγουσιν — αὐτῷ*) Interrogabant discipuli *privatim*, *ἐν τῇ οἰκίᾳ*, Marc. X, 10. *εἰ οὕτως — γαμῆσαι*) *Si talis est conditio mariti cum uxore, non expedit nubere.* Nam si res ita se habet, ut modo dixisti, etiam cum uxore pessima, omnibus vitiis dedita, vivendum erit. *Αἰτία*, דִּבְרַת, *conditio.*

11. *οὐ πάντες χωροῦσι τὸν λόγον τοῦτον*) *Non omnes sufficiunt huic rei;* id est: non ita sunt comparati, ut hoc praestare, nempe uxore carere possint. *λόγος*, *res*, et h. l. haec res *οὐ γαμῆσαι.* *Οὐ χωροῦσι*, *non capaces sunt.* Multi enim sunt imbecilliores, quam ut pares sint sublimi proposito. Aliis *λόγος* est *vox.* Non omnes capiunt hanc vocem: *οὐ συμφέρει γαμῆσαι. ἀλλ' οἷς δέδοται*) *Sed illi tantum, qui huius rei facultatem divinitus acceperunt.* *Δέδοται*, sc. *ἐκ θεοῦ.* 1 Cor. VII, 7.

12. *εἰσὶ γὰρ — ἐγεννήθησαν οὕτω*) *Sunt quidam castrati, qui ex utero matris ita nati sunt;* i. e. *Sunt homines quibus natura ipsa virilitatem ademit.* Hi Veneris aestu nunquam vexantur. De significatione vocabuli *εὐνοῦχος* docte disseruit Fischerus de Vitiis Lexi-

cor. N. T. Proluss XXI. Proprie nempe est *cubicularius*, custos cubiculi: deinde *homo castratus;* a Matthaeo autem transfertur primo ad hominem natura eviratum, deinde ad eum, qui sua sponte coniugio abstinet. καὶ εἰσὶν — ἀνθρώπων) Videtur Iesus, (ut monet Fischerus) his verbis complexus esse homines eviratos eos, qui a Graecis peculiari nomine θλιβίαι vel θλαδίαι appellantur, quibus, vel industria ab ipsis parentibus, aliisque, in ipso in vitam introitu, vel in progressu aetatis casu quodam et fortuna, testiculi ita compressi sunt atque contusi, ut rebus uti Venereis nequeant. καὶ εἰσιν — ἀρρένων) Sensus est: *Sunt alii similes castratis; qui seipsos quasi castrarunt religionis propagandae caussa.* Ἐννέχισαν ἑαυτὰς, abstinent sponte sua a coniugio et rebus venereis, est hyperbolica dicendi formula, ut ἐκκόπτειν τὴν δεξίαν, et similes Matth. V, 29. 30. Intelliguntur ii, qui nec hominum manu, nec malignitate naturae impediti, sed sponte sua libidinis ardorem ita restinguunt, ut uxores ducere nolint, quo, curarum sollicitudinumque coniugii vinculis non impediti, praecepta doctrinae divinae plenius possint cognoscere, aliisque tradere. Respicere videtur Iesus nominatim ad Apostolos, quorum nonnulli saltim a coniugio abstinuisse videntur, ut sine impedimentis negotia civitatis Christi enixius expedire, atque res Christianorum adiuvare tuerique possent. Hoc sensu occurrit εἰς τὴν βασιλείαν τῶν θεῶν Matth. XIII, 52. Petrum tamen et alios Apostolos in coniugio vixisse, patet ex 1 Cor. IX, 5. ὁ δυνάμενος χωρεῖν, χωρείτω) i. e. qui se huic rei (ut abstineat a matrimonio) parem sentit, is eam suscipiat.

13. τὰς χεῖρας ἐπιθῇ, καὶ προσεύξηται) Manuum impositio apud Iudaeos indicabat invocationem divinae potentiae. Hebraeis semper observatum, ut ad eos, qui sanctimonia praestare caeteris crederentur, pueros deferrent, ipso-

ipsorum precibus Deo commendandos per manuum impositionem; qui mos hodieque apud ipsos manet. Genes. XLVIII, 14. s. Hunc autem morem Christus probans, ostendit, isti etiam aetati prodesse aliorum preces. ἐπετίμησαν αὐτοῖς) *obiurgando arcebant eos*, nempe eos, qui infantes attulerant. Marc. X, 13. Confabulatio de matrimonio et iucunda erat et seria; quaestiones curiosas Magistro proponere in animo habebant; ideo aegre ferunt, se intempestive, ut putabant, interpellari.

14. τῶν γὰρ τοιούτων — ἐρανῶν) *His enim qui similes sunt, ii sunt apti, ut fiant membra coetus mei.* Ἡ βασιλεία τῶ θεῶ h. l. ut saepe est *coetus cultorum Dei, coetus Christianorum*, ecclesia. Dicitur regnum Dei *esse* alicuius hominis, si is eam habet animi dispositionem, ut membrum huius coetus esse possit. Τῶν τοιούτων, qui animo et sensu infantibus similes, modesti et dociles sunt, atque disciplinam facile admittunt. Non dicitur τῶν τέτων, istorum infantum, qui in ulnis gestabantur. Saepe inculcat Iesus, neminem, ne ultimum quidem hominum, ne infantem quidem minimum esse contemnendum. Magnae enim felicitati destinatum esse hominem quemcunque a Deo. Eo minus, inquit, infantilis aetas ista spernenda est, quia et adulti, qui se in meam dedunt disciplinam, debent quasi repuerascere, exutis scilicet vitiis, quae maior aetas supervexit.

15. ἐπιθεὶς αὐτοῖς τὰς χεῖρας) Ita ut simul more Hebraeo preces pro iis conciperet. Hoc enim est εὐλογεῖν, Marc. X, 16. Ἐπορεύθη ἐκεῖθεν, ex oppido Peraeae, in quo hactenus commoratus erat. Cf. v. 1. et Marc. X, 17. 10.

16. εἷς προσελθὼν) Venisse hunc, non *calumniandi* animo, ut νομικὸν illum, Lucae memoratum c. X, 25. sed *discendi* cupidum, ex *Marco* et *Luca* apparet. διδάσκαλε ἀγαθὲ.) Ἀγαθὲ omittunt nonnulli Codices, versio

Aethiop. *Origenes et Hilarius.* Sed videtur vox omissa esse ab iis, qui non intellexerunt verba commatis 17. τί με λέγεις ἀγαθόν; pro quibus substituerunt: τί με ἐρωτᾶς περὶ τοῦ ἀγαθοῦ; Verba: διδάσκαλε ἀγαθὲ per se omnino verti possent: *Doctor optime, dilecte, dilectissime*, ut Positivus sit pro Superlativo. Sed propter comma sequens alii ἀγαθὸς malunt vertere *perfectus*, ex usu hebraici sermonis; nam טוֹב saepe significat *perfectum*. Gen. I, 31. GRIESBACHIUS, omnino hic conferendus, ἀγαθὲ salvo sensu abesse posse existimat, quamvis sequatur εἷς ἐστιν ὁ ἀγαθός. Tenendum scilicet est, (utor eius verbis,) τὰς ἐντολὰς, quarum mentio fit comm. 17. esse ἐντολὰς τοῦ θεοῦ. Ad interrogationem igitur: Rabbi, quid *boni* faciendum mihi est, ut aeternam felicitatem consequar? Iesus respondit: Quid est, quod de *bono* a te praestando me interroges? Unus est *Optimus* Maximus; *huius* praecepta servare te oportet, si *bene* recteque agendo aeterna salute dignum eiusdemque participem reddere te cupis, nec opus est, ut *huius* de eo quod faciendum fugiendumve sit legibus, alia mandata superaddantur. Τί ἀγαθὸν — αἰώνιον) *Quid mihi faciendum boni, ut aeternam salutem adipiscar?* Τί ποιήσω; i. e. τί με δεῖ ποιεῖν; ut c. XVIII, 21. Ἔχειν h. l. idem valet, quod λαμβάνειν· ἐπιτυγχάνειν. Ζωὴν αἰώνιον esse *felicitatem*, *beatitudinem aeternam*, nemo dubitabit. Hanc Iudaeis tenuiter cognitam aperte a Christo praedicari audiebat.

17. τί με λέγεις ἀγαθόν, οὐδεὶς ἀγαθὸς, εἰ μὴ εἷς ὁ θεὸς) Lectionem τί με ἐρωτᾶς περὶ τοῦ ἀγαθοῦ; εἷς ἐστιν ἀγαθὸς, *Erasmus*, *Grotius*, *Millius* et *Bengelius* probant. GRIESBACHIUS etiam praefert eam vulgari τί με λέγεις ἀγαθόν, cM arco et Luca invectae; illam enim prae-

praeter eos testes, qui ἀγαθὲ damnant, etiam versiones nonnullae, et veteres Patres graeci ac latini complures tuentur. Testium auctoritati novum robur addit canon criticus, qui lectionem cum parallelorum locorum lectione in singulis verbis consonantem, ei, quae e similibus locis discrepat, posthabendam esse iubet. εἷς ἐστιν ὁ ἀγαθὸς iisdem fere testibus, qui lectioni τί με ἐρωτᾷς περὶ τοῦ ἀγαθοῦ favent, nititur. Vulgaris lectio, aeque ac ceterae adhuc excussae, e Marco et Luca irrepsit. Ex eodem parallelismi fonte profluxit etiam σου post πατέρα comm. 19. et ἐφυλαξάμην, et ἐκ νεότητός μου v. 20. Putat quidem GROTIUS, utriusque lectionis sensum eodem recidere. Sed videntur potius, qui sic legi voluerunt, haec verba retulisse ad illa commatis 16. τί ἀγαθὸν ποιήσω; quasi Iesus dixisset: *Tu ex me quaesivisti, quid boni faciendum sit tibi, ut consequaris aeternam felicitatem. Cur autem interrogas me de bono agendo?* Quod sensum horum verborum ex lectione recepta attinet, nonnulli sic explicant: *Cur me nominas perfectum? Nemo est ex omni parte perfectus nisi Deus.* Nimirum habuit homo iste Iesum nonnisi pro doctore aliquo, pro mero homine et propheta. Respondet igitur Christus: Cur tu, qui me habes pro doctore, pro homine, me appellas *perfectum?* Si tibi non sum nisi homo, nimium mihi tribuis. Fortassis suppleri debet διδάσκαλον post ἀγαθὸν, ex v. 16. *Cur me nominas optimum magistrum? Nemo nisi Deus est absolute bonus* et perfectus sc. διδάσκαλος, *doctor* et magister. Is tibi per lumen rationis et in lege Mosaica revelavit, quid faciendum tibi sit, quid fugiendum, ut consequaris felicitatem aeternam. Quod *ad officia hominis* attinet, (de his enim solis erat sermo, non de aliis doctrinis viam salutis spectantibus,) nihil aliud

aliud a me discere potes, quam quod Deus te iam docuit. Cum his verbis sequentia: *εἰ δὲ θέλεις — ἐντολὰς*, sic cohaerere videntur: *Si igitur velis aeternae salutis esse particeps, diligenter observa praecepta*, nempe Dei, qui est optimus perfectissimusque doctor. Δὲ, *igitur*, ut 2 Cor. II, 1. Christus doctrinam morum accuratius quidem exposuit, Matth. V, 20. seqq. sed aeternas leges boni et iusti, in libris Mosis et Prophetis contentas, non sustulit, (ibid. v. 17.) nec nova praecepta dedit. Cf. *Michaelis* ad h. l.

18. *ποίας*) i. e. *τίνας*; ita apud *Platonem* aliquoties *πῶια* pro *τίνα*, et in N. T. passim occurrit. Videtur autem ideo hoc quaerere iuvenis, quia in lege Mosis plurima sunt mandata, in quorum unum aliquod facile sit impingere; scire igitur cupit, ad quae potissimum attendere debeat. Christus autem, ad interrogatum respondens, ea potissima esse dicit mandata, quae in officiis mutuis, non quae in ritibus consisterent.

20. *πάντα ταῦτα ἐφυλαξάμην*) Non falso hoc eum dixisse, quod ad exteriorem et civilem iustitiam attinet, ex *Marco* discimus. *τί ἔτι ὑστερῶ*;) Quid mihi deest ad insistendum iter vitae aeternae? Nam *ὑστερῶ τέτε* nihil aliud et Graecis quam hoc mihi deest. Credidit igitur iuvenis iste, plus aliquid requiri; sed quid esset, ignorabat.

21. *εἰ θέλεις τέλειος εἶναι*) *Si inter provectiores esse cupis.* Τέλειος h. l. est discipulus *provectior*, sectator disciplinae Christi primi ordinis, non tiro, sed excellens in scientia divina, 1 Cor. II, 6. *πνευματικὸς*, 1 Cor. III, 1. adeoque is, qui non tantum doctrinae Iesu obsequitur, sed etiam ad eam cum opum et vitae discrimine propagandam se obligat, uti fecerant Apostoli. *Ὕπαγε — πτωχοῖς*) *I venditum facultates tuas, et in pauperes ero-*

erogato. Καὶ ἕξεις θησαυρὸν ἐν οὐρανοῖς, *sic adipisceris opes coelestes:* longe aliter ditesces, et plane egregie ornaberis. Maxima tibi bona in coelis conciliabis. Matth. VI, 19—21. Καὶ δεῦρο, ἀκολούθει μοι, *deinde ad me sectandum praesto sis.* Tum demum eris meus sectator τέλειος. Qui Apostoli munere fungi vellent, omnibus divitiis et possessionibus suis abdicare se debebant, ut paratiores essent huic negotio. Hoc ergo est, quod et ab isto iuvene exigitur verbis istis: ἀκολούθει μοι. Sciebat Dominus, curam servandae augendaeque rei familiaris huic iuveni obstituram, quo minus animo ac corpore se in Christi disciplinam traderet: ideo eum tentat, an hoc a se impedimentum removere possit, divenditis elargitisque rebus, quae ipsum a verae sapientiae studio avocabant.

22. Ἀκούσας — κτήματα πολλά) *Quo audito vir iuvenis abiit tristis, erat enim praedives.* Ὁ νεανίσκος h. l. est *vir, qui adhuc est annis florentibus*, quod patet ex Luc. XVIII, 18. ubi ἄρχων vocatur. Ita נַעַר Gen. XLI, 12. et 2 Chron. VIII, 7. Κτήματα Hellenistis sunt *fundi, agri, praedia, domus* etc. Alexandrini hoc vocabulo utuntur pro hebr. שָׂדֶה, *ager* Prov. XXIII, 10. et כֶּרֶם *vinea*, Prov. XXXI, 16.

23. ἀμὴν — οὐρανῶν) *Hoc vobis confirmo, longe difficillimum est homini diviti, accedere ad coetum Messiae.* Quod hic dixit δύσκολον, infra vocatur ἀδύνατον v. 26. Solent nimirum ista promiscue usurpari in rebus istius generis. Εἰσέρχεσθαι εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν, *accedere ad coetum Messiae*, et fieri eius sectatorem. Divites, inquit Iesus, difficulter fieri possunt sectatores mei. Opes plerumque sunt malorum irritamen-

tamenta, aut certe bonorum impedimenta. Caussa est, quia plerumque hi, qui divites sunt, solent divitiis suis confidere, et quasi in illis ponere summam boni, ut *Marcus* indicat c. X, 24. Augebatur illis temporibus difficultas per pericula, quibus expositi erant omnes qui Christo nomen dabant. Qui enim publice profitebantur, Iesum esse Messiam, excommunicati, et opibus suis privati sunt. Io. IX, 22. 34. XII, 42.

24. ἐυκοπώτερόν ἐστι, — τὴν βασιλείαν) i. e. *difficillima est res*, ut dives fiat civis regni Messiae. Pro κάμηλον duo Codd. habent κάμιλον. Graeci quidam, ut et *Theophylactus* notat, ad funem nauticum haec traxerunt, sed perperam, ignorantia adagii inter Hebraeos et Arabes usitati, non minus de elephante, quam de camelo. *Coranus* in Sura Alharab. 7. *Non ingredientur paradisum, donec transeat Camelus foramen acus.* Constat etiam ex Talmude, Hebraeos, quum aliquid, quod difficulter, vel prorsus non fieri posset, designare vellent, dixisse, *elephantem* non transire per foramen acus. In Codice Talmudico Bava mezia: *Fortasse tu ex Pumbedita es, qui introducunt elephantem per foramen acus*, i. e. qui impossibilia, aut incredibilia praestare possunt. Vid. *Vorstium* de Adag. N. T. c. III. *Lightfootum* et *Wetstenium*, qui plura habent loca. Adde, quod εἰσελθεῖν, (quae vera est lectio,) de incessu vel ingressu animalis facillime intelligitur, de fune aut rudente non item. In talibus autem adagiis nihil necesse est, exactam inter partes collatas comparationem institui, quum soleant ornari hyperbolis.

25. οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ) omittunt αὐτοῦ multi Codd. et Verss. nonnullae. τίς ἄρα δύναται σωθῆναι;) ἄρα h. l. non tantum est particula interrogans, sed etiam illativa. Mo-

Movit apostolos, quod viderent, etiam eos, qui divites non essent, tangi tamen divitiarum cupiditate, et suspicati sunt, si ita se res haberet, ut nemo divitiarum amans salvari queat, perpaucos habituros esse spem salutis.

25. παρὰ ἀνθρώποις τοῦτο ἀδύνατόν ἐστι) *Per homines hoc fieri non potest.* Non est humanae opis tam tenacia vincula abrumpere. παρὰ δὲ Θεῷ πάντα δύνατά ἐστι) Trita inter Hebraeos sententia ex loco Gen. XVIII, 14. *Deus omnia efficere potest.* Potest etiam frangere vim cupiditatum, si homines recte utuntur Evangelio, et enixis precibus auxilium eius implorant. Potest removere impedimenta per vias providentiae suae, permittendo ut dives honoratus per casus varios et malitiam aliorum hominum opes et honores amittat, et sic experientia edoctus, quam caducae et viles sint divitiae ad bona illa aeterna comparatae, pronior fiat ad amplectendam religionem.

27. ἀφήκαμεν πάντα καὶ ἠκολουθήσαμέν σοι) Duo quae Christus a iuvene exegerat, Petrus a se sociisque suis ait praestita, vere, quanquam ut multi putant, iactantius paullo. Tertium non addit, de bonis venditis, donatisque pauperibus, quia neque hoc ab illis exegerat Christus, neque conveniebat eorum tenuitati. Hac fiducia interrogat *Petrus*, ecquid praemii sit futurum? Poterat eum Christus retundere, dicendo, quod fecistis, vobis fecistis, non mihi. Sed pro sua bonitate spem illorum fovet, aitque, non carituram peculiari honoris praemio istam qualiscunque iacturae tolerantiam.

28. ὅτι ὑμεῖς — τῶ Ἰσραήλ) *Vos, discipuli mei, in magna illa rerum conversione, quum tanquam Messias gloriose regnabo, proximi eritis mihi dignitate, et Israelitis imperabitis.* Verba ἐν τῇ παλιγγενεσίᾳ quidam coniungunt cum antecedentibus ἀκολουθήσαντές μοι,

alii rectius cum sequenti commate. Παλιγγενεσία hîc non est *resurrectio mortuorum, et iudicandi incredulos potestas*, sed potius *ipsum Messiae regnum, inchoandum post resurrectionem Christi* — ingens illa orbis in melius conversio, quae accessione gentium ad fidem Christi contigit, quam explicationem contextus suadet. Eadem voce utitur *Iosephus* Lib. XI. Antiquitt. cap. III. §. 9. de reditu Iudaeorum e Babylonia in patriam. Et *Cicero* ad Attic. Lib. IV, 6. conditionem suam, qua, revocatus ab exilio, pristinam dignitatem recuperaverat, vocat *παλιγγενεσίαν*. Plura loca habet *Wetstenius*. Iudaeis id tempus seculum futurum appellari constat. Cf. etiam Act. III, 21. Verborum: ὅταν καθίσῃ ὁ υἱὸς τῦ ἀνθρώπυ ἐπὶ θρόνυ δόξης αὐτῦ sensus est: *quum me esse Regem Messiam certissimis documentis declaratum fuerit*, nempe post resurrectionem meam et ascensum in coelum. Θρόνος δόξης, כִּסֵּא כָבוֹד, 1 Sam. II, 8. est *thronus illustris*, cui quis sublimis insidet. Throno autem maiestatico et splendidissimo insidere idem est ac *iudicare, imperare*. 1 Reg. I, 24. Ies. XVI, 5. Ps. XLVII, 9. Igitur *sedere in throno splendidissimo* idem est ac βασιλεύειν 1 Cor. XV, 25. *imperare, summa cum maiestate omnibus rebus regendis praeesse*. Καθίσεσθε καὶ ὑμεῖς ἐπὶ δώδεκα θρόνυς, proximum mihi regi honorem occupabitis. Nam metaphorice haec verba intelligenda esse, facile patet. Reges nempe, quum absunt a suis civitatibus, amicum unum vel etiam plures habere solent, qui ipsorum nomine civibus praesint, eorumque saluti et rationibus omni in genere consulant. Atque hac ipsa dignitate et potestate Apostolos ornatum iri ostendit Iesus, simulac ipse in coelum fuerit receptus. Dixit autem, sedebitis ἐπὶ δώδεκα θρόνυς, quia eorum erant totidem, quot

in

in populos olim descripta erat Iudaeorum civitas, ut sensus sit: *Eritis vicarii potestatis meae.* Sed ut intelligerent Apostoli, qualis futura esset potestas illa, qua essent usuri, adiecit verba, κρίνοντες τὰς δώδεκα φυλὰς τοῦ Ἰσραήλ, i. e. *ita ut praesitis civitati Iudaeorum,* hactenus nempe, ut eos doceatis, quid credendum sit et faciendum. Κρίνειν hic per metalepsin denotat *praeesse,* quia plerumque praesides iuri dicundo vacant. Sumta est translatio a veteri statu regni Israelitici, in quo οἱ φυλάρχαι proxime ad regiam maiestatem accedebant, et in publicis coetibus iuxta eius solium sedebant in sellis curulibus. Ipsum verbum שָׁפַט saepe significat *praeesse* alicui civitati, *gubernare* et *administrare* res alicuius civitatis, ut 1 Sam. VIII, 5. Ies. XL, 23. ubi LXX. שֹׁפְטִים reddiderunt ἄρχοντας. Ergo hoc vult Iesus: Vos, discipuli mei, post meum in coelum reditum, docendo et salutariter agendo Israelitis publice consuletis; exponetis Iudaeis pro me opes doctrinae divinae, eosque iubebitis vitam omnem ad eius normam dirigere. Sicut enim Christus per doctrinam et spiritum suum imperavit; ita etiam Apostoli leges de religione ferendo praefuerunt iis, qui ex Iudaeis Christo nomen dabant. Sed spectari potest etiam in universum adiunctum hoc, quod iudex alios dignitate praestat. Ergo hac phrasi: *Iudicabitis duodecim tribus Israelis,* hoc etiam dicitur: omnibus Iudaeis praeferemini; praecipua prae omni illa gente fruemini felicitate. Hic mihi verus huius loci sensus esse videtur. Alias aliorum interpretationes KUINOELIUS recensuit, suamque addidit, de quibus alii iudicent. Obscura haec dicta tum temporis fuisse Apostolis facile augurari possumus. Sed hoc nos offendere non debet. Nam Christum iis plura praedixisse, quae demum

mum post eius reditum in vitam intelligere poterant, satis constat.

29. καὶ πᾶς — λήψεται) Post πᾶς ὃς addunt τις multi Codd. et Patres nonnulli. Ab Apostolis transit oratio ad singulos Christi sectatores. *Relinquere domus, fratres, sorores* etc. est *posthabere* illas res illosque homines, possessiones quascunque, res pretiosissimas, vinculo consanguinitatis adfinitatisque coniunctissimos, atque adeo unice amatos ac dilectos. Ἕνεκεν τοῦ ὀνόματός μου, *propter me, et professionem doctrinae meae.* Matth. X, 22. Ἑκατονταπλασίονα λήψεται, i. e. *eximia praemia*, multa maiora bona et commoda accipiet, quam ea fuerant, quae ob religionem meam amisit et posthabuit. Saepe numerus centenarius ponitur pro numero magno, vel indicat magnitudinem rei. Ἑκατονταπλασίονα LXX. habent pro מְאָה כְּעָמִים 2 Sam. XXIV, 3. Sermo est omnino de eo, quod eventurum sit in hoc ipso seculo, ut sequentis membri oppositio evincit, et clare exprimit *Marcus*, c. X, 30. Eventus praedictionem confirmavit; nam pro una domo multa reperierunt hospitia; pro fratribus et sororibus paucis innumerabilem discipulorum Christi multitudinem; pro filiis omnes, quotquot ipsi ad fidem Christi converterant; pro agris omnia Christianorum bona, quae erant communia. Act. II, 45. IV, 34. 35. Gal. IV, 15. καὶ ζωὴν αἰώνιον κληρονομήσει, *tandem felicitatem aeternam adipiscetur.* Καὶ hic reddi potest *ad postremum, tandem*, ut tempus praemii definiatur, Marc. X, 30.

30. Πολλοὶ δὲ — πρῶτοι) *Multi autem qui se fore primos existimant, infimi erunt; et qui sibi infimae conditionis esse videntur, ii primum locum obtinebunt.* Πρῶτοι in priori membro sunt, ii qui se primores, et ma-

xi-

ximis praemiis dignos esse existimant; ἔσχατοι vero in posteriori membro sunt ii, qui modeste de se sentiunt, se infimae conditionis sectatores Iesu, et vix ullo praemio dignos esse arbitrantur. Quod saepissime in vita observatur, inquit Iesus, hoc etiam inter vos locum habebit. Non illi apud me primi erunt, qui se primos esse existimant, vel quia primi vocati sunt, vel quia mihi coniunctiores sanguine, vel aetate collegis seniores sunt: sed illi primi erunt, qui, licet hac in parte aliis inferiores, doctrinam praedicando plures labores et molestias sustinuerint, et maiori alacritate et studio rem gesserint. Transgressio est ad sequentem tractationem, quae non debebat divelli ab hoc capite.

CAP. XX.

1. Ὁμοία γάρ ἐστιν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν ἀνθρώπῳ οἰκοδεσπότῃ) Abundat ἀνθρώπῳ, vel pro τινὶ ponitur, ex hebraei sermonis consuetudine. *Fiet enim in coetu Messiae id fere, quod factum est a quodam Paterfamilias.* Ex coniunctione γὰρ apparet, hanc parabolam necti cum praecedentibus, et illustrari effatum c. XIX, 30. Messias in remunerandis sectatoribus suis omnibus, inprimis Apostolis sic se geret, ut ille Paterfamilias. In Gemara Hierosolymitana Codicis Berachot extat similis parabola de operariis a patrefamilias in vineam vocatis. ἅμα πρωΐ) simul mane i. e. *cum prima luce.* Vulgata: *primo mane.* εἰς τὸν ἀμπελῶνα αὐτοῦ) *Quos scilicet mitteret* in vineam suam. Vel εἰς est pro ל hebraeo. Syrus: *in usum vineae suae.*

2. Συμφωνήσας δὲ ἐκ δηναρίου τὴν ἡμέραν) *Pactus autem cum iis denario in diem.* Vulgata ad verbum:

ex

ex denario. Sed Latini non exprimunt praepositionem. Ἐκ denotat caussam, *propter* quam aliquid fit. Sic ἐκ διαβολῆς, *propter calumniam* habet *Philo* de Ios. τὴν ἡμέραν, subauditur κατὰ distributiva particula, sed cuius non videtur propria significatio hic usurpari, quum de uno tantum die agatur. Suppleri etiam potest εἰς. *Denarius*, nummus Romanorum argenteus, aequabat decem asses, postea sedecim, et conficiebat octavam partem nostri imperialis, sive tres grossos, ac respondebat Graecorum drachmae. Denarius illis temporibus erat merces diurna, quae operariis dari solebat. Tob. V, 14. Tacit. Annal. I, 17.

3. Περὶ τὴν τρίτην ὥραν) Constat diem a Iudaeis descriptum esse in duodenas partes sibi aequales, (Io. XI. 9.) eiusque initium factum ab hora prima, nobis hora sexta matutina. Ἐν τῇ ἀγορᾷ (*In foro* negotiationis et rerum venalium. In foro plerumque versabantur homines otio dediti, quos ἀγοραίους vocat Lucas Actor. XVII, 5. *forenses* Cicero saepe, Plautus atque alii *scurras*. Sed in foris versabantur etiam ii, qui operam suam aliis locare cuperent.

6. περὶ δὲ τὴν ἑνδεκάτην ὥραν) Sero admodum; nobis hora quinta pomeridiana. ἑστῶτας ἀργούς) Deest ἀργοὺς in quibusdem Codd. Verss. et Patribus. Irrepsisse videtur e comm. 3. vel e posteriori commatis nostri membro. Vid. *Griesbachius* ad h. l.

8. ἐπιτρόπῳ αὐτοῦ) *Xenophon.* ὁ ἐν τοῖς ἀργοῖς ἐπίτροπος. Idem οἰκονόμος alibi, latine *dispensator, villicus, procurator.* Inprimis ita dicebantur servi, quibus herus rei domesticae curam, rationes accepti et expensi etc. commisserat, qui alias dicuntur οἰκόνομοι. Κάλεσον, pro συγκάλεσον, *convoca.* Interpretes Alexandrini etiam

etiam hebr. קָרָא Exod. VII, 11. expresserunt graeco verbo συγκαλεῖν. Ἀρξάμενος — πρώτων) *Incipiens ab ultimis usque ad primos*, h. e. ita, ut primi et ultimi eandem mercedem accipiant. Aequalitas mercedis notatur. Videntur nempe operarii hora undecima conducti diligentius laborasse, quam reliqui, ideoque eandem mercedem acceperunt.

9. ἔλαβον ἀνὰ) Acceperunt singulos denarios, vel singuli denarium unum. Sic vocem hanc sensu distributivo usurpant medici. Loca habet *Wetstenius*.

11. ἐγόγγυζον) γογγύζω, *murmuro*, *musso*, denotat indignationem secum sentire, nec tamen eam licite proferre et aperire.

12. ἐποίησαν) Hebraice עָבַד. Ruth. II, 9. idem ac ἐργάζεσθαι. Καὶ ἴσας — ἐποίησας *et tamen istos nobis pares fecisti*, in mercede distribuenda. Τοῖς βαστάσασι — καύσωνα, *qui per totum diem labore et aestu solis meridiani defatigati sumus*. Τῆς ἡμέρας, i. e. διὰ τῆς ἡμέρας, *per totum diem*. In Orientis regionibus aura frigidior per aliquot tantum horas post solis ortum spirat, per reliquum diei tempus sol flagrantissimus urit. Cf. Gen. XXXI, 40. Plane huic similis est locus in Rabbinico tractatu *Berachot*, fol. 5. *Hi coeperunt murmurare: nos tota die laboravimus, hic vero ne duabus quidem horis, et nihilominus plenam mercedem accepit. Quibus respondit Dominus: hic duabus horis plus praestitit, quam vos tota die.* Idem Christus innuit verbis v. 16. οἱ ἔσχατοι πρῶτοι.

13. ἑταῖρε) Hoc vocabulo solemus leviter notos compellare. Hebraeis רֵעַ sic ponitur. Latini dicerent: *bone vir*, aut *mi homo*. οὐκ ἀδικῶ σε, *nulla te iniuria affeci*.

14. *θέλω δὲ*) Hoc modo reiicere solemus importunos responsatores: ita volo; ita mihi videtur. *τῷ ἐσχάτῳ δοῦναι ὡς καί σοι*) Quum Paterfamilias non semel hic promittat, pro ratione operae praestitae se mercedem praebiturum, consentaneum est ut intelligamus, postremos tantum unius horae spatio, quantum priores toto die laborasse. Respexit fortassis etiam voluntatem et animum operariorum.

15. *Ἢ ἐκ — τοῖς ἐμοῖς;*) *Annon licet mihi facultatibus meis pro lubitu uti? Τοῖς ἐμοῖς*, sc. *χρήμασι, bonis meis*, hebr. אֲשֶׁר לִי, ut idem sit quod *ὑπάρχοντα*. Matth. XIX, 21. *ἢ ὁ ὀφθαλμός — εἰμι;*) *num tuam invidiam movet mea beneficentia?* Pro ἤ in permultis libris et manu scriptis et editis εἰ legitur. Sed vulgare ἤ tuentur non solum codices vetustissimi, verum etiam versiones pleraeque. *Ὀφθαλμὸς πονηρὸς*, *oculus malus*, invidentiam declarat, quoniam nimirum elucent huiusmodi affectus potissimum in oculis. Prov. XXIII, 6. Sirac. XXXI, 3. XXXV, 8. 10. *Ἀγαθὸς* autem h. l. est *benignus, beneficus.*

16. *ἔτως*) Variae sunt interpretum de scopo huius parabolae sententiae. Secundum *Wetstenium* Paterfamilias est Deus; dispensator, Christus; vinea, natio Iudaica Ies. V, 1. Ps. LXXIX, 9. 15. operarii, Apostoli: murmurantes illi ex Apostolis, qui tum supra alios sese efferabant quod primi vocati essent; postremi, qui post alios vocati erant, praecipue Paulus, qui solus plus quam omnes laboravit, Evangelium gratis praedicavit, plurimasque regiones adivit. Sed huic sententiae repugnare videntur sequentia: *πολλοὶ γάρ εἰσι κλητοὶ, ὀλίγοι δὲ ἐκλεκτοὶ*, quae in Apostolos vix quadrant. Ex *Grotii* sententia (ad c. XIX, 30.)

30.) οἱ πρῶτοι sunt Iudaei, οἱ ἔσχατοι autem publicani, peccatores et gentiles; et Christus futurum indicat, ut Gentiles, Iudaeis foederis secum initi antiquitate superbientibus, atque inter Iudaeos hi, qui ob prioris vitae peccata erant contemtissimi, aliis poenitentiae remedium contemnentibus, aequissimo Dei iudicio praeferantur. Alii aliter. Ego malim *operarios* esse in genere omnes eos qui profitentur Christianismum: non tantum Apostolos, tempore et ordine πρῶτος, sed etiam caeteros Christi sectatores. Nam haec parabola illustrat ἐπιμύθιον quod extat Matth. XIX, 30. habita ratione v. 28. et 29. *Murmurantes* autem sunt ii, qui exteriori iustitiae confidunt, nec vera fide et pietate sunt praediti, ita ut sit sensus: Deum in remunerando non respicere ad hominum Pharisaicam superbiam, et perversas de suis meritis opiniones, sed ad veram animi pietatem, et singularem in exercendis bonis operibus diligentiam. Reliqua, de temporis quo quisque laboravit, diversitate, sunt accessio comparationis, quae sigillatim applicari ad ἀνταπόδοσιν nihil refert. Hanc explicationem sequentia verba suadent. πολλοὶ γάρ εἰσι κλητοὶ, ὀλίγοι δὲ ἐκλεκτοὶ) *Nam multi sunt invitati, sed pauci sunt egregii, i. e. multi religionem profitentur, sed pauci eximia mentis indole praediti sunt.* Κλητοὶ; sunt ii, qui et invitati sunt ad regnum coeleste, et in coetum Christianorum recepti; omnes externe Christiani. Ἐκλεκτὸν est, quod in re quaque est eximium. Hellenistae ita solent interpretari Hebraeum בָּחוּר et alias saepe ἐκλεκτοὶ sunt qui aliis praestant, in militia praecipue. Ἐκλεκτοὶ itaque h. l. sunt vere Christiani, quorum fides et obedientia Deo grata est, qui aliis praestant.

17. καὶ ἀναβαίνων — εἶπεν αὐτοῖς) Referuntur nunc ultima Iesu in his terris dicta, fata et facta. Notatu dignissimum erat, quod Iesus iam in ultimo in urbem itinere praedixit, quae sibi essent eventura. Ex hoc enim apparebat, non invitum eum suscepisse tot ac tantas molestias, ipsumque mortis ignominiosae supplicium. Erat etiam haec praedictio insigne praescientiae documentum. Ἀναβαίνειν h. l. est *proficisci*, ut hebr. עָלָה, cui hoc verbum apud LXX. respondet. Nam primariae quarumlibet regionum urbes considerantur ut in altiori loco sitae. Unde עָלָה et ἀναβαίνειν significat proficisci Hierolyma, metropolin, urbem sacram. 1 Reg. XII, 27. 28. Zachar. XIV, 17. Παρέλαβε — ἐν τῇ ὁδῷ) *Assumsit duodecim discipulos in itinere seorsim*, sc. a reliqua sequentium turba, cui haec non indicavit, ne praedicendo irritasse in se Iudaeorum odia videretur. Apostolis autem saepius eadem dixit, et in dies expressius, ut in posterum testes essent praescientiae ipsius.

18. παραδοθήσεται) Non dicit, sibi hoc eventurum ab uno Apostolorum, ne rixas inter ipsos concitaret. κατακρινοῦσιν αὐτὸν θανάτῳ) Non sententiam iudiciali potestate pronunciando, sed praeiudicio auctoritatis suae. Marc. XIV, 64. Cf. ad totum hoc comma Matth. XVI, 21.

19. τοῖς ἔθνεσιν) i. e. τοῖς ἐθνικοῖς, more Hebraeorum, qui גּוֹיִם vocant non tantum nationes integras, sed et singulos alienigenas. Apertum autem est, *Pilatum* intelligi, cum omni satellitio suo. Actor. IV, 27.

20. τότε προσῆλθεν — υἱῶν αὐτῆς) Fuit haec *Salome* uxor Zebedaei, mater Iacobi maioris et Ioannis. Marc. XV, 40. αἰτοῦσά τι παρ' αὐτοῦ) *Ut aliquid ab ipso peteret.* Illud τι praefationem petitionis indicat; solent enim ali-

aliquid postulaturi, praefari, non multa a se, sed unam rem peti, ne inverecundi videantur. Cf. 1 Reg. II, 16. 20. Videtur *Salome* hanc fiduciam concepisse ex eo, quod nulla aliorum Apostolorum mater Christum ita perpetuo sectaretur, eique tam sedulo inserviret. Haec est *Salome*, cuius colloquia quaedam cum Christo apud Aegyptios ferebantur.

21. εἰπὲ — βασιλείᾳ σε) *Iube hos duos filios meos tibi esse dignitate proximos in regno tuo.* Cf. c. XIX, 38. *Dextra* Regis assidere, significat locum a Rege principem habere. 1 Reg. II, 19. Tertius autem in regno locus consequenter describitur sessione ad *sinistrum* Regis latus. Nam ut quisque in regno maior; ita Regi in publicis conventibus propior sedebat. Apud Persas ex Cyri instituto, honoratiores, et quibus plurimum fidei habebatur, Regibus ad sinistram assidebant, quod haec insidiis magis pateat. Vid. *Xenophontis Cyrop.* Lib. VIII. ab initio. Apostoli istam Iesu orationem XIX, 28. in eam partem acceperant, ut sperarent, regnum aliquando iri restitutum Iudaeis, (Act, I. 6.) ita ut ipse eorum rex esset, Apostoli amici eius et familiares. Quapropter Iacobus et Ioannes matri auctores extitere, ut rogaret magistrum, vellet ipsos constituere amicorum suorum, i. e. caeterorum Apostolorum principes.

22. οὐκ οἴδατε, τί αἰτεῖσθε) *Non intelligitis quid id sit, quod petitis.* Cum Iacobo et Ioanne agere instituit Iesus, quod nosset, matrem non sponte sua, sed filiorum hortatu ipsis a se tantos petiisse honores. Existimatis, inquit, vos rem postulare multis humanis commodis plenam. At longe aliter se res habet. Dignitatis illius potestatisque comites erunt permulta et permagna incommoda atque mala, quarum gravitatem non omnes sustinere

possunt. δύνασθε — μέλλω πίνειν;) i. e. *Potestisne mecum res adversas tolerare?* Per כּוֹס hebraeum, cui respondet Hellenistarum ποτήριον, significatur sors prospera aut improspera, quae Deo inspectante et moderante cuique obtingit. Qui hac sorte utuntur, aut eam perferunt, ii dicuntur שְׁתוּת הַכּוֹס, et πίνειν τὸ ποτήριον. Ierem. XLIX, 12. Poculo autem, quod ab se exhaustum iri, ait Iesus, intelligitur supplicium vitae ultimum, cum omni genere contumeliarum gravissimarum, acerbissimarumque. Supra v. 18. sq. Caeterum Latinis etiam *poculum* saepe est sors adversa. TIBULL. *Tristia cum multo pocula felle bibit.* PLAUTUS Aulul. II, 3. 12. *Nam ecastor malum moerorem metuo ne mistum bibam.* καὶ τὸ βάπτισμα, ὃ ἐγὼ βαπτίζομαι βαπτισθῆναι;) Haec verba et in hoc et in sequenti commate videri possunt interpretamenti caussa ex *Marco* adiecta; desunt enim in codicibus et versionibus antiquis plerisque. Facile apparet, horum verborum sententiam a sententia verborum πιεῖν τὸ ποτήριον, ὃ ἐγὼ μέλλω πίνειν, et τὸ μὲν ποτήριον μὲ πίεσθε, non discrepare, quum nomen βάπτισμα, *sortem adversam* significet, et βαπτίζομαι ex consuetudine loquendi hebraica idem sit, quod μέλλω βαπτίζεσθαι.

23. Τὸ μὲν ποτήριόν μὲ πίεσθε, *vos quidem idem quod ego, poculum ebibetis;* perferetis quidem sortem, similem ei quae mihi subeunda est. Τὸ δὲ καθίσαι — τοῖς πατρός μου) *Sed summam illam apud me dignitatem non licet mihi concedere, nisi quibus a patre destinata fuerit.* Οὐκ ἔστιν ἐμόν, sc. ἔργον. Non decet, non licet, non convenit. Ἀλλ' hic est εἰ μή, quemadmodum LXX. saepe vertunt כִּי אִם. Sic quoque ἀλλὰ apud Marcum c. IX, 8. a Matthaeo c. XVII, 8. εἰ μὴ redditur.

Re-

Respondet igitur Iesus, non licere sibi proximam a se dignitatem ulli Apostolorum tribuere, nisi iis, quibus illa destinata esset a patre suo, habita scilicet ratione virtutum mentis et fructuosae industriae in docenda et propaganda religione.

25. Οἴδατε — κατεξουσιάζουσιν αὐτῶν) *Scitis principes nationum in eas dominari, et magnates* (vicissim) *eos in potestatem suam redigere,* Ἄρχοντες h. l. sunt *reges*, βασιλεῖς, Luc. XX, 25. In verbis κατακυριεύειν et κατεξουσιάζειν non est emphasis, sed posita sunt pro κυριεύειν et ἐξουσιάζειν apud Lucam l. c. *Regum* et principum in civitatibus est, exercere imperium. Μεγάλοι videntur esse magnates, ministri principum. Hi interdum κατεξουσιάζουσιν αὐτῶν, in potestatem quasi suam redigunt *ipsos*, sc. reges et principes. Sic *Seianus* ante paucos annos Tiberium ita in potestatem suam redegerat, ut is omnia ex eius nutu gereret. Sed μεγάλοι potest etiam significare *reges magnos*, ad discrimen *minorum dominorum*. Tum sensus esset: Quomodo populi tractantur a regibus, ita reges ipsi ab his, qui inter ipsos plurimum viribus pollent, sic e. g. Romanorum imperatores habebant instrumenta servitutis adeo reges.

26. οὐχ οὕτως δὲ ἔσται ἐν ὑμῖν) *Vos non decet illos imitari.* Non licet nobis pro imperio agere cum aliis. ἀλλ' ὃς — διάκονος) *Sed qui cupiat inter vos esse maximus, is se ut vestrum ministrum gerat.* Θέλει γενέσθαι; *cupit esse.* Θέλειν pro hebr. חָפֵץ. Μέγας pro μέγιστος. Vid. Matth. V, 19. Qui vestrum, inquit Iesus, in regno meo excellendi desiderio tenetur, is sciat, sibi maius quam caeteris onus ministerii et industriae imponi. Non tantum neminem despiciat, sed etiam commoda sua rationi-

tionibus publicis postponat. Hoc tantum caeteris erit maior, quo sit melior.

27. Καὶ ὃς — δοῦλος) Idem repetitur aliis verbis. *Qui velit inter vos esse princeps, se ut famulum vestrum gerat.* Πρῶτος, hebr. רֹאשׁ, quod LXX. 1 Chron. XI, 6. ἄρχων vertunt.

28. Ὥσπερ — ἀντὶ πολλῶν) *Quemadmodum et ego* (Messias) *munus meum suscepi, non eo consilio ut mihi ministretur, sed ut aliorum commodis inserviam, adeoque vitam meam profundam pro multis,* morte mea redimam multorum felicitatem. Suum exemplum proponit discipulis imitandum. Ὁ υἱὸς ἀνθρώπου, pro ἐγὼ, ut supra c. XVII, 13. Ἔρχεσθαι saepe de iis dicitur, qui in publicum prodeunt negotii suscipiendi et gerendi causa, ut supra c. XI, 18. 19. Δοῦναι τὴν ψυχὴν αὐτοῦ, hebr. נָתַן נַפְשׁוֹ idem est ac ἑαυτὸν, 1 Tim. II, 6. Gal. II, 20. Λύτρον proprie est pecunia, quae datur pro captivo ab hostibus redimendo, vel mulcta iudici data pro redimenda vita, כֹּפֶר et פִּדְיוֹן, Exod. XXI, 30. ubi LXX habent λύτρα. Cf. Num. XXXV, 31. Latius autem sumitur, ubi neque de pecunia, neque de hostibus, neque de iudice, quibus pretium solvatur, sermo est. Δοῦναι τὴν ψυχὴν αὐτοῦ λύτρον ἀντὶ πολλῶν, *profundere vitam suam ad redimendam multorum felicitatem.* Sic Gen. XXII, 13. ἀντὶ Ἰσαὰκ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ, *pro vita Isaaci filii sui redimenda.* Ἀντὶ πολλῶν, i. e. *pro universa hominum multitudine.* Vid. Rom. V, 15. coll. v. 12. 18. Codex Cantabrigiensis ad calcem huius commatis haec habet: ὑμεῖς δὲ ζητεῖτε ἐκ μικροῦ αὐξῆσαι, καὶ ἐκ μείζονος ἔλαττον εἶναι. εἰσερχόμενοι δε, καὶ παρακληθέντες δειπνῆσαι, μὴ ἀνακλείνεσθαι εἰς τοὺς ἐξέχοντας τόπους, μήποτε ἐν-

ἐνδοξότερός σε ἐπέλθῃ, καὶ προσελθὼν ὁ δειπνοκλήτωρ εἴπῃ σοι, ἔτι κάτω χώρει καὶ καταισχυνθήσῃ. ἐὰν δὲ ἀναπέσῃς εἰς τὸν ἥττονα τόπον, καὶ ἐπέλθῃ σε ἥττων, ἐρεῖ σοι ὁ δειπνοκλήτωρ. σύναγε ἔτι ἄνω, καὶ ἔσαι σοι τοῦτο χρήσιμον. Haec appendix legitur etiam non solum in plerisque Italiae libris et apud Patres nonnullos latinos, sed etiam in margine Syrae philoxenianae, addita nota, inveniri haec in exemplaribus *graecis* hoc loco. *Griesbachius* suspicatur, eum, qui graeco Matthaeo primus haec assuit, ex apocrypho quodam Evangelio haec mutuatum esse; apocryphi autem auctorem relata ab iis, qui Christum docentem coram audissent, suo modo utcunque retulisse literisque consignasse. — Caeterum cantabrigiensem hic refutant vaticanus codex et sahidica versio, auctuario isto carentes. Vid. *Griesbachius*.

29. Ἀπὸ Ἰεριχώ) Christus per Peraeam iter fecerat, c. XIX, 1. iam traiecto Iordane per Ierichuntem pergit Hierosolyma. Haec urbs ab Hierosolymis tribus fere milliaribus distabat. Multa hic ommittunt tres Evangelistae, Matthaeus, Marcus et Lucas, quae referuntur a Ioanne, c. X, 22. — XI, 57. Vid. *Michaelis* ad hunc locum nostrum. Quum Evangelistae non servent accuratum temporis ordinem, non necesse esse videtur, ut de iis conciliandis anxie solliciti simus. Cf. tamen *Storrium über den Zweck der evangelischen Geschichte und der Briefe Iohannis*, p. 344.

30. Δύο τυφλοί) Lucas (c. XVIII, 35.) unius tantum coeci mentionem facit, et hunc coecum sanatum esse tradit, priusquam Iesus Hierichuntem veniret; Matthaeus contra et Marcus, (qui etiam hunc coecum filium Timaei fuisse notat,) id factum esse docent post egressum ex urbe. Itaque nonnulli arbitrati sunt, Iesum unum eorum sanasse

ante

ante ingressum in urbem, alterum post egressum ex urbe, Matthaeum vero compendii studiosum, ambos illos hoc loco comprehendisse; quae Theophylacti fuit sententia. Alii existimant, unum tantum notum fuisse, alterum ignotum, vel unum tantum auxilium Christi implorasse. Cf. STORRIUM *über den Zweck der evangelischen Gesch. und der Briefe Iohannis*, p. 345. §. 66. Sed potest etiam omnis haec diversitas orta esse ex diversitate narrationum ore propagatarum. Huiusmodi discrepantiae etiam apud alios historiarum Scriptores passim reperiuntur; adeoque Evangelistarum fides historica hoc modo non minuitur, sed potius ipsorum veritatis studium confirmatur. υἱὸς Δαβίδ) Sic Iudaei κατ' ἐξοχήν nominare solebant *Messiam*.

31. Ὁ δὲ ὄχλος — σιωπήσωσιν) Metuebat populus, ne ad aures Pharisaeorum perveniret, Iesum publice nomine Messiae appellari, quod omnibus eum comitantibus crimini dare potuissent. μεῖζον,) adverbialiter: *magis*.

32. Στὰς) quum stetisset, i. e. *substitisset*. Φωνεῖν, *vocare*, h. l. significat *advocare, arcessere*. Quum Iesus iam morti esset proximus, non recusavit titulum Messiae. τί θέλετε ποιήσω ὑμῖν;) Ut fides poscentium manifesta fieret.

33. Ἀνοιχθῶσιν) ut supra c. IX, 30. *ut visum recipiamus*.

CAP. XXI.

Inter praecipua Iesu Christi facta notandus est ultimus ille, isque maxime solennis in urbem Hierosolymitanam ingressus, quem omnes quatuor Evangelistae commemorandum esse iudicaverunt. Ab hoc Iesu introitu in urbem usque ad vesperam, qua a Iudaeis captus est, spatium est quin-

quinque dierum. Sunt nostra hac aetate, qui calumnientur, fecisse Iesum spem externi et civilis regni a se instituendi, res novas molitum esse, adeoque seditionibus dedisse occasionem. Sed hanc calumniam res ipsa refellit. Nam per hos quinque dies nihil aliud fecit Iesus, quam quod per triennium fecerat; nihil novi spectavit, sed se sui prorsus similem gessit. Declaravit quidem liberius et luculentius quam unquam antea, se esse Messiam; ingressus est urbem inter publicas acclamationes; singulari usus est auctoritate, regiique aliquid prae se ferre coepit; sed a seditione excitanda, et rebus novis moliendis adeo alienus fuit, ut potius omnem affectati regni politici suspicionem quam longissime a se amoveret. Nam, ut legimus Luc. XXI, 37. interdiu in templo docuit per hos quinque dies, sed noctu, egressus urbe, pernoctavit circa montem, qui mons olearum dicitur, in solitudine, remotus a turba hominum. Quum vero per triennium multa fecisset, quae fidem facerent, se esse Messiam a Deo promissum, iam tandem publice etiam profiteri voluit ac debuit id, quod Iudaei ex dictis et factis colligere potuissent, si mens fuisset recta. Sed in omnibus ita se gessit, ut facile pateret, se non affectare regnum civile, nec talem esse Messiam, qualem Iudaei sibi fingebant. Conferri possunt: I. M. H. Harras *Bemerkungen über den lezten Einzug Iesu in Ierusalem,* in Eichhornii *Biblioth. univers. literaturae biblicae*, Tom. X. partic. 2. et D. Io. Guil. Rau *Progr. ad illustrandam Evangelistarum de solemni I. Chr. in urbem Hierosolymam ingressu narrationem.* Erlang. 1798.

1. Καὶ ὅτε ἤγγισαν εἰς Ἱεροσόλυμα) *Et quum pergerent versus Hierosolyma.* Quae hic narrantur, gesta sunt die XI. mensis Nisan, et quidem die lunae septimanae, in qua

qua Iesus ultimo supplicio affectus est. καὶ ἦλθον εἰς Βηθφαγῆ πρὸς τὸ ὄρος τῶν ἐλαιῶν, *et venissent Bethphagen, ad montem olivarium;* vel potius; *quum in via essent ad Bethphagen.* Cf. v. 2. *Bethphage* erat vicus ad montem olivarum situs. *Mons olivarum,* ab olivis praecipue nomen adeptus erat, et imminebat urbi ab oriente, et ab urbe itinere Sabbati (Act. I, 12.) i. e. quinque stadiis distabat. Alii existimant, Bethphagen fuisse tractum aliquem montis Oliveti, ita dictum a ficubus, quibus consitus erat, a פַּג *ficus immatura, grossus,* et בַּיִת quod non solum *domum,* sed etiam *regionem* significat. Quamvis enim praecipue ab olivis nomen desumeret mons *olivetus,* produxit tamen et ficus et palmas, et pro harum varietate in diversis montis tractibus enascentium, varia etiam istis tractibus indita sunt nomina. *Gem. Sota.* 9. *invenerunt senem rebellem in Bethphage ter. Glossa: quicquid est in ambitu exteriore Hierosolymorum, vocatur Bethphage.* Ex mente igitur Talmudicorum Bethphage nomen esset integri tractus, non villae aut oppidi. Sed vicum fuisse, non procul a Bethania, propiorem Hierosolymis, ad orientem montis olivarii, plerique consentiunt. Vid. *Büschingii Harmonia Evangelistarum.* p. 35. s. Hoc patet etiam e commate sequente. Marcus c. XI, 1. et Lucas c. XIX, 29. praeter Βηθφαγῆ commemorat Βηθανίαν. Hoc ita intelligendum esse videtur: Iesum venisse in confinia Bethaniae et Bethphages, in eam montis olivarum regionem, ubi utriusque vici agri contermini sunt. Bethania erat vicus ultra montem olivarum situs, quindecim ab Hierosolymis stadiis distans.

2. Πορεύεσθε — ἀπέναντι ὑμῶν) *In proximum hunc vicum abite.* Hunc vicum non alium fuisse nisi Bethphagen,

gen, facile perspicitur. καὶ εὐθέως — ἀγάγετέ μοι) Asinis vehi non solum ignobiliores, sed et honestiores, ipsique principes solebant; quia terra Canaan non adeo ferax erat equorum, quam vicinae regiones et praecipue Aegyptus. Iud. X, 4. XII, 14. 1 Sam. XXV, 20. 1 Reg. I, 33. Equis in bello maxime utebantur; asinus erat Symbolum pacis. Hodie adhuc frequentem esse usum asinorum in oriente, notum est. Vid. *Niebuhrs Reisebeschreibung nach Arabien*, Pars I. p. 167. et *Beschreibung von Arabien*. p. 44. 164.

3. Ἐάν τις ὑμῖν εἴπῃ τι) *Si quis vobis contradixerit.* Cf. Marc. XI, 3. Luc. XIX, 31. Εἰπεῖν h. l. est *interrogare*, ut Matth. XIII, 10. coll. Luc. VIII, 9. Igitur verba haec etiam verti possunt: *Si quis vero vos interrogaverit*, sc. cur hoc facitis? Ὁ κύριος, i. e. ὁ διδάσκαλος, Matth. VIII, 25. X, 24. 25. ἀποστελεῖ) ἀποστέλλει habent Codd. tantum non omnes. Sed praesens h. l. habet vim futuri. Notum fuisse Iesum iis, ad quos missi fuerunt discipuli, dominis nempe asinae, per se patet.

4. Τοῦτο δὲ — λέγοντος) De hac phrasi vide notata ad c. I, 22. Effatum, quod Matthaeus citat, legitur Zachar. IX, 9. sed non totidem verbis, ut Evangelista magis sensum quam verba spectasse videatur.

5. Εἴπατε τῇ θυγατρὶ Σιών) *Dicite filiae*, i. e. *civitati Sion*, i. e. incolis Hierosolymitanis. Hoc depromtum est ex Ies. LXII, 11. Zacharias autem l. c. habet: *Exulta valde, filia Sion: iubila, filia Ierusalem*, Quod sensum vsrborum attinet, notandum est, urbem Hierosolyma in se continuisse colles quosdam, quorum unusquisque suum sibi peculiare nomen habuit, ut ex Iosepho constat. Collis *Sion* prae caeteris celebris fuit; et

inde

inde factum est, ut eius nomine quandoque urbs tota designaretur. Porro בַּת צִיּוֹן, et θυγάτηρ Σιὼν nihil aliud quam *ipsos urbis Hierosolymorum incolas, ipsos Hierosolymitanos* significat. Nam in sacris literis ii, qui urbem aliquam, vel regionem incolunt, persaepe urbis vel regionis eius בַּת, *filia* vocantur. Cf. Ies. XLVII, 1. Ier. XLVI, 24. Thren. II, 2. Est figura, scriptoribus orientalibus in stilo sublimiori usitata, qua populum aut civitatem ut *mulierem, puellam, virginem* sistunt. Quod ipsum ex scriptoribus Arabicis illustrari potest. Sic *Achmed Arabsiades* in vita Timuri Part. I, p. 230. edit. *Mangeri*, *Persiam* sub imagine *formosae virginis* sistit, qua potiri Tamerlanus vehementer cuperet. Unde et metropolis אֵם reliquarum circumiacentium quasi *mater* Hebraeis appellatur. *Sal. Glassii* Philolog. sacra, edit. Dathii pag. 1024. et p. 101. Ἰδὲ — πραὺς) *Venturus tibi rex est mansuetus et placidus.* Πραὺς, hebr. עָנִי, quod non tantum pauperem, sed etiam mansuetum significat. Sic etiam Alexandrini h. l. reddiderunt. Describitur igitur rex *mansuetus, mitis, facilis* et *popularis.* Caeterum verba צַדִּיק וְנוֹשָׁע הוּא quae apud Zachariam praecedunt, a Matthaeo sunt omissa. καὶ ἐπιβέβηκὼς — ὑποζυγίᾳ) *Et insidens asino et pullo filio asinae*, i. e. asinae pullo vectus; est enim in his verbis Hendiadys; vel καὶ ante πῶλον reddi debet: et *quidem.* Πῶλος, ὄνος et υἱὸς ὑποζυγίᾳ sunt Synonyma. Ὑιος ab Hellenistis etiam usurpatur de *animalibus*, ex Hebraismo frequentissimo, et ὑποζύγιον sc. ζῶον vel κτῆνος est animal, sub iugo incedere solitum, s. gestandis oneribus assuetum. Verbis υἱὸν ὑποζυγίᾳ accuratius definitur praecedens

πῶ-

πῶλον, nempe intelligendum esse *pullum asinum* adhuc lactantem, qui matrem sequeretur. Caeterum hoc Zachariae effatum omnino continet descriptionem Messiae, regis talis, qualem Iudaei tum temporis expectabant; quod *Eckermannus* etiam concedit. Vid. eius *Theolog Beytr. Erstes Stück*, pag. 87. sq. Adde (CHRIST THEOPHIL. KUINOEL) *Messianische Weissagungen des A. T.* p. 107. sqq. Rabbinos etiam hunc locum de Messia interpretatos esse, alii dudum monuerunt, quorum nonnullos nominat *Wolfius* in curis ad v. 4. huius cap.

7. Ἤγαγον τὴν ὄνον καὶ τὸν πῶλον) Pullo tantum opus erat. Sed asina etiam adducta est, quasi in pompam. καὶ ἐπέθηκαν — ἱμάτια αὐτῶν, *et imposuerunt illis* (asinae puta et pullo) *vestimenta sua.* Vestimenta Orientalium erant pallia, vel lintea, sine arte et ornatu. Haec imposuerunt asinae et pullo loco ephippii et sellae, qua Hebraei veteres et Persae carebant. καὶ ἐπεκάθισαν ἐπάνω αὐτῶν) *Et collocarunt eum super illis*, vel potius *uni ex illis*, sc. pullo. Vel omissum est nomen εἷς, vel Pluralis positus est pro Singulari, quomodo fieri nonnunquam solet apud Hebraeos. Sic Iudic. XII, 7. Iephta sepultus dicitur *in urbibus* Gilead, h e. *in una illarum.* Similia loca ex *Iosepho* apud Krebsium invenies. Pro ἐπεκάθισαν multi Codd. Verss. et Patres habent ἐπεκάθισεν, *insedit.* Verbum καθίζω apud Profanos et transitivam et intransitivam habet significationem, ut et *insidere* et *collocare* inferat. Sed lectio ἐπεκάθισεν e Marci XI, 7. ubi legitur ἐκάθισε, in hunc locum translata esse videtur.

8. Ὁ δὲ πλεῖστος — ἐστρώννιον ἐν τῇ ὁδῷ) *Plerique autem e populo straverunt etiam viam, alii vestimentis, alii arborum frondibus.* Lightfootus putat, eos iuxta viam

viam tentoriola et tabernacilla ex vestibus et ramis confinxisse, ad morem festi Scenopegiae. Sed substravisse videntur ipsi vestes, tanquam *tapetes*, ut 2 Reg. IX, 13. Nam tabernacula ex frondibus et ramis fieri breve et inexpectatum iter Iesu vix permittebat. Straverunt igitur isti homines vestimenta et frondes ἐν τῇ ὁδῷ, *iuxta viam*, ad utramque extremitatem viae, ita ut equitans per mediam viam sine periculo iter facere potuerit. Hebraei, omninoque populi Orientis regi advenienti reverentiae testificandae caussa, vestes, flores, tapetia substernere solebant 2 Reg. IX, 13. Hoc honore excipiebatur Alexander M. (Ioseph. Ant. II, 8. 5.) et Agrippa quum Hierosolyma veniret (Philo de Legat. ad Cai. L. I.). Hunc morem etiamnum obtinere apud Orientales docent nos itineraria. Vid. *Chardins Reisen*, Tom. III. p. 103. s. 209. edit. in forma minora. *Schulz Leitungen des Hoechsten*, p. 442. s. Tom. V. al.

9. Ὁι δὲ ὄχλοι — λέγοντες) *Homines autem praecedentes et subsequentes alta voce clamabant.* Erant Iudaei qui partim ad festum properabant, partim, comperta Lazari resuscitatione, ex urbe egressi, obviam processerant Christo Io. XII, 9. sqq. Ὡσαννὰ τῷ υἱῷ Δαβὶδ) *Opitulare Messiae.* Hebr. חוֹשִׁיעָה־נָּא *serva*, vel opitulare quaeso. Fuit autem haec solennis formula acclamationis, ideoque hebraice expressa ab Evangelistis, qua utebantur Iudaei in festo tabernaculorum, quum ramos gestarent ex Domini mandato, Levit. XXIII, 40. Tunc etiam recitabant Psal. CXVIII, 24. 25. 26. Quumque festum summa laetitia peragerent, eodem modo laetitiam ob adventum Messiae, cuius tempora omnibus festis repraesentari credebant, iam exprimunt. Dubitat tamen

Wol-

Wolfius in curis ad h. l. an haec acclamatio e solemnibus festi tabernaculorum desumta sit. Potest etiam repetita esse e Ps. CXVIII, 25. qui partem magni Hallel constituit. *εὐλογημένος)* בָּרוּךְ, sc. יְהִי, laudandus et extollendus, vel etiam: *salve: willkommen.* 1 Sam. XV, 13. cf. *Goeze* ad h. l. *ὁ ἐρχόμενος ἐν ὀνόματι κυρίᾳ) Qui venturus erat divino mandato ac potestate.* Sic intelligenda sunt haec verba, si *ἐν ὀνόματι κυρίᾳ* refertur ad *ὁ ἐρχόμενος.* Alii malunt referre ad *εὐλογημένος,* quia haec verba petita sunt ex Ps. CXVIII, 26. ubi accentuum ratio *τὸ* בָּרוּךְ ad בְּשֵׁם יְהוָה referre iubet. Tum sensus erit: *Fortunetur numine Iovae is, qui venturus erat,* Messias, laetissima Israelitarum spes. Nam *εὐλογεῖν,* ut hebr. בָּרַךְ significat etiam *fausta quaevis apprecari,* et interdum construitur cum בְּשֵׁם יְהוָה, e. c. Ps. CXXIX, 8. ubi phrases *εὐλογία κυρίᾳ ἐφ' ὑμας,* et *εὐλογήσαμεν ὑμᾶς ἐν ὀνόματι κυρίᾳ* eandem habent vim *ὡσαννὰ ἐν τοῖς ὑψίστοις)* sc. *μέρεσι,* vel *ἀρανοῖς. O qui es in coelis altissimis,* ut *Beza* vertit. Τὰ *ὕψιστα,* neutrum plurale loco nominis substantivi *ὕψος,* idem est ac *ὁ ἀρανὸς.* Sic Iob. XXX, 2. מְמַּרוֹמִים, ubi Alexandrini habent *ἐξ ὑψίστων.* Commutantur etiam *ἐν ὑψηλοῖς* et *ἐν ἀρανοῖς* Hebr. I, 3. et VIII, 1. Erant igitur gratulationes publicae et maxime solennes, quibus excipiebat populus dominum. Permisit autem Iesus, ut haec fierent, quia iam tempus aderat, quo declarandum et profitendum erat publice, se esse illum Messiam a Deo promissum, omniumque Iudaeorum votis diu expetitum.

10. Καὶ *εἰσελθόντος — ἡ πόλις) Postquam autem ingressus erat Hierosolyma, perturbata est tota civi-*

tas,

tas, variis haud dubie pro ingeniorum diversitate motibus excitatis, trepidantibus Pharisaeis, inveterato odio atque invidia actis, exultantibus iis, qui spem patrum mox implendam sperarent.

11. Ὁ προφήτης) Quem hactenus ut prophetam agnovimus, nunc ut verum Messiam veneramur.

12. Εἰς τὸ ἱερὸν τοῦ θεοῦ) Christus hic se gessit pro domino templi, et filio Dei, egitque pro auctoritate, omnibus circumspectis, Marc. XI, 11. ut qui in domo sua versaretur. In universum hic monendum est, per ἱερὸν seu templum non intelligi palatium illud, quod הֵיכָל dicebatur, et Sanctum cum Sancto Sanctorum comprehendebat, sed potius spatium aliquod quadratum, quaquaversum spatium 500 ulnarum comprehendens, quod מַקְדָּשׁ appellabatur. Intra hoc spatium tria erant atria, mulierum scilicet, Israelitarum et Sacerdotum. Ante atrium vero mulierum erat Spatium חֲנֻיּוֹת, i. e. *tabernae* dictum, in quod aditus patebat pollutis a mortuo, et gentibus, unde nonnullis *atrium gentium* audit, ubi indies vendebantur vinum, sal, oleum, aliaque requisita ad sacrificia; itemque boves et pecora, in spatiosa area atrii gentium. Auxerat emporium appropinquans *Pascha*, ad quod quum requirerentur innumera pecora, divendenda illuc adducebantur. Ex hoc loco eiecit Christus τοὺς πωλοῦντας καὶ ἀγοράζοντας. Evertit etiam mensas τῶν κολλυβιστῶν. Quinam fuerint isti *collybistae*, optime discas ex *Talmude* et *Maimonide* in tractatu Shekalim. Cap. I. *Praeceptum affirmativum est de Lege, ut det unusquisque ex Israele dimidium Sicli annuatim; etiam pauper qui ex eleemosyna sustentatur, ad hoc tenetur, ab aliis nummum emendicans* etc. Trapezitae vendebant peregre advenientibus hemi-

hemisiclum, non sine lucro. Idem c. 3. *Opus est, ut habeat unusquisque hemisiclum, quem pro se persolvat. Quum ergo accedit ad Trapezitam, ad Siclum mutandum duobus hemisiclis, lucrum ei aliquod reddere tenetur, quod vocatur* קוֹלְבוֹן (κόλλυβος.) *τὰς καθέδρας τῶν πωλούντων τὰς περιστερὰς, sellas vendentium columbas.* Vox *καθέδρα* h. l. non accipienda est de cathedris Doctorum in templis docentium, quas columbarum venditores occuparint, ut nonnullis visum est, sed de sedibus, quas sibi propolae ibi comparare solebant. Columbis defungebantur pauperes vice maiorum victimarum, ut passim in *Mose* videre est. Has autem solebat, accepto pretio, dare offerentibus praefectus oblationum, ut notat *Maimonides* de *Instrumentis sanctis* cap. VII. cui consentit liber *Shekalim* cap. V. sect. 1.

13. Γέγραπται — κληθήσεται) Ies. LVI, 7. *Aedes mea praecibus destinata est.* Marcus ex Iesaia addit *πᾶσι τοῖς ἔθνεσιν.* Recte. Nam atrium gentium Proselytis etiam et omnibus verum Deum colentibus ex aliis nationibus patebat. Sed strepitus negotiatorum impediebat cultum Dei. *ὑμεῖς δὲ — λῃστῶν*) *Vos autem eam in latronum speluncam commutastis;* vos ita profanatis locum sacrum, ita vos geritis in templo, ut latrones in speluncis suis solent. Latronibus similes erant in eo, quod templo abusi sunt ad sordida lucra captanda, ad occultanda, spolia et furta; faciebant fere idem, quod Arabes, Cananaei, Idumaei facere solebant, in antris petrarum et montium insidiantes hominibus. Cultus eorum non tam erat cultus Dei, quam negotiationis occasio. Mercatores e templo eiecit Iesus bis, semel primo muneris anno, quo venit Hierosolyma, (Io. II, 14.) iterum nunc paullo ante mortem. Iudai in hoc,

quod emporia habuerunt in templo, imitati sunt Graecos et Romanos, qui in porticibus templorum habebant eiusmodi fora. Hanc templi profanationem tolerare Iesus noluit. Ceterum nulla hic esse vestigia seditionis, facile intelligitur. Nam Iesus pro auctoritate sua solus hoc fecit, nec turba hominum nec discipulis adiuvantibus.

14. Καὶ προσῆλθον — χωλοὶ) *Adducti sunt ad eum coeci et claudi.* Hellenistae interdum neutralibus utuntur pro passivis. Sic ἐξέρχεσθαι usurpatur pro ἐκβάλλεσθαι Matth. XII, 44. et ἀπελθεῖν et βληθῆναι synonymice permutantur. Marc. IX, 43. coll. v. 47. Vid. *Goezium* ad h. l. *Schleusnero* in Lex. magis placet: *adierunt eum precibus.*

15. Τὰ θαυμάσια ἃ ἐποίησε) *res stupendas quas fecerat*, solennem introitum in urbem, et eiectionem mercatorum e templo. Θαυμάσια, sc. ἔργα Sirac. XLIII, 25. ubi θαυμάσια καὶ παράδοξα ἔργα coniunguntur. Insolitum et plane inauditum erat, hominem privatum, ut putabant principes sacerdotum et Pharisaei, sine auctoritate Synedrii talia ausum esse. Maxime autem iis displicebat, quod se pro Messia gereret, et faustas acclamationes populi et puerorum probare videretur. παῖδας κράζοντας ἐν τῷ ἱερῷ, καὶ λέγοντας, ὡσαννά). Pueri vel a primis annis edocti suit fasciculos tractare, atque agitare, atque agitantes *Hosanna* canere. *Succah*, cap. 3. Repetebant itaque verba, quae ex parentibus vel aliis maioribus natu audiverant, ut puerilis aetas adultorum facta imitari solet.

16. Οὐδέποτε ἀνέγνωτε) Ps. VIII, 3. ὅτι ἐκ στόματος — αἶνον;) *Per infantes et lactentes laus tibi dabitur.* Ex versione Alexandrinorum, qui pro hebraico עז posuerunt αἶνον. *Dathius* vertit: *Ex ore infantum et lactentium parasti munimentum*, sc. contra inimicos tuos,

tuos, quod in textu sequitur. Sermo est in Psalmo de existentia et providentia Dei, quae ex operibus naturae tam clare pateat, ut omnes non obtusi et stupidi ingenii homines, pueri adeo eam facile cognoscere possint. Hoc dictum applicat Iesus ad rem praesentem. Me esse Messiam, inquit, vel pueri perspicere possunt. θηλάζων hic pro eo cui lac praebetur; alibi pro ea quae lac praebet. αἶνος, ὁ ἔπαινος, *collaudatio*, *laus*.

17. Ἐξῆλθεν ἔξω τῆς πόλεως) Non pernoctavit Iesus in urbe, sed potius in villis prope urbem, praecipue in latere montis oliveti sitis. Luc. XXI, 38. Hoc autem fecit non tantum propter insidias vitae suae structas, sed etiam, ut omnem affectati regni terrestris suspicionem quam longissime a se amoveret, quam fovere poterat urbs per se populosa, concursus aliunde ad festos dies, et nocturnum tempus eiusmodi conatibus opportunum. Cf. Io. VI, 15. εἰς Βηθανίαν) *Hieronymus* de loc. Heb. *Villula in secundo ab Aelia milliario in latere montis oliveti.* ηὐλίσθη) Utuntur hac voce Graeci saepe, ut vertant לָלִין, quod est *pernoctare*. Sed potest hic proprie sumi haec vox, ut significet *sub dio agere*. Luc. XXII, 39.

18. Πρωΐας δὲ ἐπανάγων εἰς τὴν πόλιν) *Mane vero urbem repetens.* Die XII. mensis Nisan, die Martis eius septimanae, in qua supplicio crucis affectus est. Ἐπανάγειν, *regredi*. Sirac. XXVI, 28.

19. Μίαν, pro τινά, ut supra c. VIII, 19. XIX, 16. Ἐπὶ τῆς ὁδοῦ, *iuxta viam*. Nam ἐπὶ Alexandrini interdum usurpant pro hebr. עַל, *iuxta*, e. c. Num. XXVI, 3. 2 Reg. II, 7. Καὶ ἰδὲν — μόνον) Vid. notanda ad Marc. XI, 13. ubi hic locus accuratius explicandus erit. καὶ ἐξηράνθη παραχρῆμα ἡ συκῆ) Solebat Christus per signa

et symbola doctrinam suam adumbrare. Hic ficum, arborem in Iudaea vilissimam, et quidem nulli propriam, sed in via publica stantem, arborem quae neque fructus ferebat neque promittebat, elegit, in qua demonstraret, tantam suam esse potentiam ad puniendos nocentes, quantam demonstraverat in beneficiis conferendis; et simul praefiguraret imminens Iudaeorum contumacium exitium, quod tempore fructuum nullos tulissent, ut clarius indicatur a comm. 33. ad 41.

21. Τὸ τῆς συκῆς) sc. γενόμενον, vel ἔργον, σημεῖον, *hoc quod factum est ficui.* τῆς συκῆς est genit. obiecti. τῷ ὄρει τούτῳ) Vide supra c. XVII, 20.

22. Πάντα) Vide supra c. XVIII, 18. 18.

23. Οἱ ἀρχιερεῖς καὶ ὁ πρεσβύτεροι τοῦ λαοῦ) καὶ οἱ γραμματεῖς, quod addit *Marcus.* His tribus hominum generibus describitur synedrium magnum, cuius erat, veros falsosque prophetas discernere. Cf. Marc. XI, 28. Disputabant autem cum Iesu, magna populi multitudine praesente; quod innuunt verba: προσῆλθον αὐτῷ διδάσκοντι. ἐν ποίᾳ ἐξουσίᾳ;) *Qua auctoritate?* Unde tibi ius istud? Nam synedrii erat, ius docendi in templo concedere, ab iis autem nullum ius Christus acceperat. Supererat igitur, ut Dei mandato se tueretur, cuius in templum ius summum erat. ταῦτα ποιεῖς) nempe, quod publice doces, et nuper propria auctoritate negotiatores e templo eiecisti.

24. ἐρωτήσω — λόγον ἕνα) *Vicissim ego vobis quaestionem aliquam proponam.* Κἀγώ, *vicissim ego.* Sic וְאַנִי reddunt LXX. Deut. XXXII, 21. λόγος, h. l. est *res, τί;* Cf. Act. XV, 6. Ὃν ἐὰν εἴπητέ μοι, *ad quam si mihi responderitis.* Εἰπεῖν, h. l. significat *respondere.*

dere. Cf. Marc. XI, 29. Hinc etiam Alexandrini אמר per ἀποκρίνεσθαι reddiderunt, Gen. XXIX, 26. Exod. XXI, 5.

25. Τὸ βάπτισμα — ἀνθρώπων;) Sensus est: *A quo Ioannes potestatem accepit docendi et baptizandi? An a Deo, vel ab hominibus?* Τὸ βάπτισμα est synecdochice Ioannis praedicatio totumque adeo eius ministerium. Marci I, 4. ἐξ pro ἀπὸ, hebr. מן. Οὐρανὸς, coelum, apud Talmudicos frequenter significat Deum, et solet opponi coelum hominibus. Sic Dan. IV, 23. שמיא de Deo usurpatur. Cf. not. ad. Matth. III, 2. διελογίζοντο) Rationes conferebant in utramque partem, ut constat ex sequente dilemmate. ἐκ ἐπιστεύσατε αὐτῷ) Tum in ceteris, tum in testimonio, quod de me perhibuit. Nam Ioannes non semel declaravit, Iesum esse verum Messiam.

26. πάντες — προφήτην) *Nam omnes Ioannem ut vatem reverebantur.* Ἔχειν h. l. est *aestimare, censere, reputare.* Cf. Marc. XI, 32. Luc. XX, 6.

27. Οὐδὲ — ποιῶ) Errant, qui effugia et latebras Christum quaesivisse, et quaestionem quaestione elusisse, sibi persuadent. Expectabat potius responsionem, ex qua argumenta demonstrandae rei, de qua agebatur, peti potuissent. Nam affirmata quaestione proposita, prono nexu sequebatur, se esse Messiam. Postquam vero inimicos ita deprehendit animo perversos, ut fateri, quod res erat, nollent, se quoque dicturum negavit, ex qua potestate faciat ista. Et sane frustra fuisset eius oratio, dissimulantibus illis ex malitia factum, in totius populi sensus incurrens, in quo manifesta auctoritatis suae argumenta posita essent. Contentus igitur erat, malitiosae calliditatis eos convicisse, paratus interea, si ingenue fuisset responsum,

ex

ex ipsa responsione auctoritatem suam eiusque origines demonstrare. Ne autem aliquid intentatum relinqueret, quod ad eos evincendos pertineret, parabolas addidit v. 28. sqq. quibus perversos eorum mores, contumaciam, malitiam et secuturas iustas poenas graphice depingit.

28. Ἄνθρωπος) Addunt τὶς codd. haud pauci. *Aliquis.* Ἐργάζε, *operam fac.* Nam ἐργάζεσθαι proprie significat *opus rusticum facere, agrum colere.*

29. Εἶπεν, ἐ θέλω) Imago publicanorum et meretricum, qui diu ita vixerant, quasi iura negarent sibi nata; deinde vero ad frugem redierunt, et Iesum pro doctore divino agnoverunt. Cf. v. 31.

30. Ἐγὼ Κύριε) sc. ὑπάγω, quod etiam Codd. nonnulli addunt. *Praesto adsum, recte pater.* Matthaeus pronomine ἐγὼ reddidit vocem Hebraeorum הִנֵּנִי, qua uti consueverunt ii, qui ostendere alteri vellent, se paratos esse accepta mandata peragere. LXX transtulerunt ἰδὲ ἐγώ, Gen. XXII, 1. 1 Sam. XXII, 12. *Pater* usu loquendi Hebraeorum vocatur κύριος, ut Gen. XXXI, 35. Filius hic imago est principum Iudaeorum, qui oratione ac vultu pietatem profitebantur, revera homines superbi, invidi, crudeles. Paratos se esse fingebant ad peragenda mandata divina in omnibus rebus: sed contumaciam suam abunde declararunt vel eo, quod Iesum divinitus missum, respuerent. Nec Ioannem, nec Christum admittebant.

31. Ἀμὴν—βασιλείαν τ̃ Θε̃) *Scitote, portitores et meretrices citius quam vos pervenire ad felicitatem in regno Messiae expectandam*; improbissimos quosque *vobis monstratores esse viae in regnum Dei* Illi vos docere possent, quid agendum sit iis, qui beneficiorum Messiae participes esse cupiant. Debebatis eos recte du-

cen-

centes sequi, quorum vos duces esse oportuit. Christus τελώνας et πόρνας per synecdochen speciei pro genere in exemplum peccatorum κατ' ἐξοχὴν talium commemorat.

32. Ἦλθε γὰρ — ἐπιστεύσατε αὐτῷ) *Quum enim Ioannes vobis traderet veram doctrinam, non habuistis ei fidem*, non paruistis eius monitis. Ἐν h. l. significat *cum*, hebr. ב. Cf. Luc. XIV, 31. *Venire cum aliqua re* apud Hebraeos et Arabes est *afferre aliquid*. Hos. V, 6. 2 Ioan. comm. 10. Φέρειν διδαχήν. Ὁδὸς δικαιοσύνης idem est ac ὁδὸς ἀληθείας, *vera religio, doctrina vera*, 2 Petr. II, 2. coll. v. 21. Alexandrini sic expresserunt hebr. דֶּרֶךְ צַדָּקִים Prov. XVI, 31. et דֶּרֶךְ הַשֵּׂכֶל Prov. XXI, 16. Ὁδὸς nempe est *doctrina*, et δικαιοσύνη est *veritas*. Ioannes ἦλθε ἐν ὁδῷ δικαιοσύνης, i. e. ὁδηγῶν εἰς δικαιοσύνην, vel διδάσκων τ. δ. *docens, quomodo ad veram religionem et virtutem pervenire possetis*. Καὶ ἐν ἐπιστεύσατε αὐτῷ, *sed vos non agnovistis eum pro vero et divino doctore;* non admisistis eius doctrinam; non paruistis eius monitis. Ὑμεῖς δὲ — αὐτῷ) *Vos tamen ad hoc exemplum non resipuistis, ut idem faceretis.* Applicatio similitudinis v. 29—31.

33. Ἄλλην παραβολὴν ἀκούσατε) *Aliud exemplum accipite.* ἀμπελὼν) est imago reipublicae et religionis iudaicae, Deo auctore constitutae. Cf. Ies. V, 1. s. ubi v. 7. haec explicatio additur: Vinea Iovae omnipotentis est *familia Israelitarum* et *Iudaei* praedium eius amoenissimum, singulari summi numinis cura excultum, et contra vim hostium cuiuscunque generis, bonis legibus et disciplina tam civili quam sacra optime munitum. Φραγμὸν αὐτῷ περιέθηκε) *Muro circumdedit*, ne bestiae vastarent

Φραγ-

Φραγμὸς, *septum, murus*, quo ager, hortus, vinea cingitur, *Feldmauer*, גָּדֵר, Prov. XXIV, 31. Ληνὸς, hebr. יְקֶב, lacus, fovea in monte vel saxo, in qua restagnat aqua; h. l. *lacus torcularis*. Hesych. ληνὸς, ὅπερ φαῦλοι πατοῦσι. ᾠκοδόμησε πύργον) *turrim extruxit*, unde tanquam e specula fures observarentur a custodibus, ipsique domini vineae delectandi caussa habitarent. Nam πύργος est adificium privatum, in loco edito, prospectus caussa in vineis, hortis, villis exstructum; non igitur cogitandae sunt turres, p. 72. Murum, turrim, torcular nihil necesse est sigillatim explicare, quum in universum iis omnia significentur, quae aut ad tutelam, aut ad ornatum pertinent: omnia denique beneficia, quibus ad bonam frugem a Deo provocamur. ἐξέδοτο αὐτὸν γεωργοῖς) Ἐξέδοτο, *elocavit*, certa fructuum pactione, quod genus colonos Romani partiarios vocant. Sequitur enim: ἀπέστειλε λαβεῖν τὸς καρπὸς αὐτῦ. Γεωργοὶ in applicatione parabolae sunt doctores, sacerdotes et primores populi.

34. Ὅτε δὲ — καρπὸς αὐτῦ) *Tum, instante vindemia, servos suos ad agricolas mittit, qui annuum e vinea reditum sibi apportarent.* Sic recte vertit Reichardus. Nam ὁ καιρὸς τῶν καρπῶν est *anni tempus colligendis fructibus opportunum*; λαβεῖν, *colligere*.

35. Καὶ λαβόντες — ἐλιθοβόλησαν) *At vero agricolae servos eius alios verberarunt, alios interfecerunt, alios lapidaverunt.* Οἱ δοῦλοι in applicatione sunt Prophetae missi a Deo, ut sacerdotes ac primores populi officii sui admonerent, et inquirerent, an populus pietatis fructus ferret. Λαβόντες more hebraico h. l. pleonastice positum, in versione recte ommittitur. Δέρειν, quod alias

est

est *pellem detrahere*, *excoriare*, h. l. ut saepe, est pro δάιρειν *verberare*, *percutere*, ut Act. XXII, 19.

37. Ἐντραπήσονται τὸν υἱόν μου) *Rationem habebunt filii mei; sie werden Achtung vor meinem Sohn haben.* Sic Symmachus vertit בְּנִי יִכָּלֵם 1 Sam. XXV, 35. Cf. Sap. II, 40. Ostendunt haec verba, non quid futurum esset, sed quid iure ac merito expectaretur. *Filius* h. l. est Messias, Iesus ipse.

38. Κατάσχωμεν τὴν κληρονομίαν αὐτοῦ) *Ut patrimonio eius potiamur.* καί h. l. valet *ut*. Cf. c. V, 15. His verbis ostenditur, sacerdotes ac principes Iudaici populi hoc egisse summo studio, ut divinam legem cogerent ambitioni suae et quaestui inservire; quod idem est, ac si colonus domino possessionem intervertat.

41. Κακοὺς κακῶς ἀπολέσει) *malos male perdet.* Loquutio petita ex purissimo sermone Graeco. Indicat enim τὸ κακοὺς exitii caussam, τὸ κακῶς eiusdem gravitatem; figura autem repetiti paene eiusdem verbi indicat convenientiam supplicii ad delicti magnitudinem, ut recte observat *Raphelius* in notis Polyb. ad h. l. Ex collatione aliorum scriptorum Marc. XII, 9. et Luc. XX, 16. apparet, primum hoc simpliciter dixisse senatores, ignaros quo sensus dicti evaderet; (cf. 2 Sam. XII, 5. 6.) quum vero Christus apertius significasset, ad ipsos haec pertinere, avertisse a se omen. Cf. quae notavit GOEZ ad h. l.

42. Οὐδέποτε ἀνέγνωτε) Ps. CXVIII, 22. Quod minime in se quadrare posse arbitrabantur, id ad ipsos potissimum, ad plebem autem consequenter pertinere *Iesus* ostendit Psalmi testimonio. λίθον — γωνίας) *Lapis, inutilis visus architectis, lapis angularis est factus.* Ego, quem ne dignum quidem vestrae societatis membrum indi-

catis

catis, sum caput ecclesiae summum, verus Messias. λίθου pro λίθος, ut in illis *Petronii* verbis: Hunc adolescentem, quem vides, malo astro natus est. *Virgilius:* Urbem, quam statuo, vestra est. Οἱ οἰκοδομοῦντες, i. e. οἱ ἀρχιτέκτονες, more hebraeo, Participium pro nomine. Significantur ii, quorum esset familiam Dei augere, ornare et excolere, membra senatus publici Hierosolymitani. Act. IX, 11. coll. v. 5. Εἰς κεφαλὴν γωνίας, est genus dicendi hebraicum, pro: κεφαλὴ γωνίας, hebr. רֹאשׁ פִּנָּה. Caput autem h. l. est *extremitas, die Ecke. Lapis angularis* totius aedificii iuncturam sustinet, et primus in oculos incurrit; ergo est Symbolum hominis, qui omnibus est conspicuus, et magna praeditus auctoritate, sicuti contra lapis repudiatus ab aedificantibus est Symbolum hominis contemti. Sensus igitur huius dicti est: Is, qui ab omnibus contemtus erat, a Deo in luce collocatus, et magno honore affectus est. Christum intelligi, dubio caret. Is enim, quem Iudaei ne in vivis quidem videre voluerunt, et interfecerant, a Deo omnium Dominus est declaratus. Sententia haec, a Christo ad exprobandam Iudaeis coecitatem suam et in ipso repudiando pervicaciam ex V. T. oraculis allegata, identidem in N. T. repetitur, e. g. Act. IV, 11. Rom. IX, 33. 1 Petr. II, 6. παρὰ — ὀφθαλμοῖς ἡμῶν) Αὕτη, sc. κεφαλὴ γωνίας. *Is ipse lapis angularis a Domino nobis obtigit, et est mirabilis in oculis nostris.* Retinuit Matthaeus versionem Alexandrinam, tanquam usu tritam, quae hic plane et tantum non morose Hebraeum textum expressit. Alii foemininum positum esse existimant pro neutro, τέτο vel ταῦτα, hebraico more, vel *haec res,* זֹאת. Quicquid sit, sensus omnino esse videtur: Deo ita volente, is qui contemtus erat ab hominibus, Dominus omnium constitutus est: quae res omni admiratione est digna.

43. Διὰ τοῦτο λέγω ὑμῖν) *Propterea*, quia hunc lapidem reiecistis, ampliusque reiecturi estis, *confirmo vobis.* ὅτι ἀρθήσεται — καρποὺς αὐτῆς) *Regnum Dei vobis eripietur et alii nationi tradetur, quae fructus suos edet*, accommodate illi doctrinae vivet. Ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ h. l. sunt *iura et privilegia civium Dei.* Iudaei hactenus maximis beneficiis et privilegiis prae omnibus reliquis gentibus ornati fuerant; erant populus, Deo inprimis carus. Haec iura illis ademtum iri, Iesus pronunciat. Sensus igitur est: Iudaica natio non amplius erit populus Dei; alia natio habebitur pro populo Dei, dignior hoc nomine. Ἔθνος h. l. non tantum gentiles significat, sed coetum hominum e Iudaeis atque gentilibus collectum, omnes pios christianae doctrinae professores.

44. Καὶ ὁ πεσὼν — λικμήσει αὐτόν) *Et quicunque in illum lapidem impegerit, confringetur; in quem vero lapis ille inciderit, eum conteret.* Alludit Iesus ad verba Ies. VIII, 14. 15. et XXVIII, 16. ubi lapis offensionis commemoratur. Πίπτειν ἐπὶ τὸν λίθον idem est ac *impingere, offendere in lapidem,* נָגַף, προσκόπτειν τῷ λίθῳ, Rom. IX, 32. id vero h. l. est Messiam, melioris religionis auctorem statoremque reiicere, despicere, dicta eius et facta sinistre interpretari. Λικμᾶν proprie est: *ventilare triticum, ita ut minutae partes in auras dispergantur*, metaphorice: *conterere, comminuere*, et ex adiuncto: *penitus perdere.* Ἐφ' ὃν — αὐτόν) i. e. quoscunque ille lapis ipse Messias, offenderit capitales disciplinae suae hostes, ad frugem redire nescios, illos eversa republica Iudaica, misere perdet. Sic *Virgil.* Aeneid. XII, 684. sqq. de heroe, qui impetu non retorquendo, et vi inexpugnabili irruit in hostem, facile comminuendum: *Velut mon-*

tis

tis saxum de vertice praeceps quum ruit — armenta virosque involvens secum. Quoad rem, hoc commate idem bis dicitur. Cf. 1 Petr. II, 8. In allegoria igitur inest hoc: Qui Messiam eiusque doctrinam repudiant, ii miseri sunt et erunt. Nunc sacerdotes et Pharisaei intelligebant quidem, parabolam ad se spectare; v. 45. sed ira commoti vitae Iesu insidiabantur.

46. Καὶ ζητοῦντες — εἶχον) *Et quanquam eum libenter prehendissent, veriti tamen sunt vulgus, quod illum pro Propheta habebat.* Participium ζητοῦντες interdum per *etiamsi, quanquam*, circumscribendum esse, apparet ex Matth. VI, 27. VII, 11. Ζητεῖν, h. l. est Synonymum τὸ θέλειν, Cf. c. XII, 46. Κρατεῖν, *comprehendere, prehendere*, violenter manibus iniectis, aut dolo. ὡς προφήτην εἶχον. vid. v. 26.

CAP. XXII.

Similis parabola extat Luc. XIV, 16. sqq. alio tempore proposita, non tamen prorsus eadem est fabula. Iterum Iesus Iudaeis exprobrat contumaciam, beneficiorum divinorum contemtum ac animi levitatem, iisque iustas poenas comminatur.

1. Ἀποκριθείς, h. l. redundat, ut Matth. XI, 25. et innumeris aliis N. T. locis.

2. Ὡμοιώθη — τῷ υἱῷ αὐτοῦ) *Deus fere sic aget cum iis, qui ad religionem per Messiam instituendam, invitantur, ut ille Rex, qui convivium filio suo parabat.* Ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν h. l. est ratio Dei agendi cum iis, qui ad coetum Messiae, ad religionem eiusque beneficia invitantur, vel ipse Deus, summus Rex, qui cum Rege humano comparatur. Γάμοι hic non sunt *ipsum matri-*

mo-

monium, sed *convivium*, ut vertit Syrus. Cf. *Esther* I, 5. ubi τοῖς LXX. מִשְׁתֶּה est γάμος. Hoc autem loco non intelligitur *convivium nuptiale*, sed *inaugurationis*. Nam ex moribus Orientalium Reges die inaugurationis considerantur ut sponsi et mariti, rite et solemniter iungendi civitati et subditis, qui sponsae et coniugi comparantur. Legas velim Ps. XLV. tot. Exemplum huiusmodi convivii die inaugurationis instituti habemus 1 Reg. I, 5. 9. Comparatur igitur Deus cum rege, qui filium sibi consortem imperii adiungit, et die inaugurationis convivium parat, ad quod proceres regni, et primores populi invitantur.

3. Καὶ ἀπέστειλε—γάμους) *Et emisit famulos ad invitandos convivas.* Κεκλημένοι sunt *convivae*, sive semel sint, sive bis invitati. Quod nonnulli putant, ita tulisse Veterum mores, ut futuri convivae bis invitarentur, primum iusto tempore ante convivium nuptiale, ut convivae rite se praeparare possent; deinde brevi ante epulas ipsas, ut opportune adessent, id vix Veterum auctoritate confirmari poterit. Sistuntur potius homines, qui invitati quidem erant, sed ipso die convivii non veniebant; quare iterum invitabantur. Vid. tamen Christ. Theoph. Kuinoel peric. *evang.* Vol. II. p. 108. et Scriptores ibi cit. Καὶ ἤθελον ἐλθεῖν) *Sed venire recusarunt*, sine dubio eam ob caussam, quod novum regem agnoscere, eiusque imperio se subiicere nollent. Τὰς κεκλημένους in applicatione parabolae esse Iudaeos, primos ad beneficia religionis per Messiam institutae invitatos, facile patet. *Servi* autem sunt Apostoli, a Christo in his terris versante missi ad invitandos Iudaeos.

4. Πάλιν ἀπέστειλεν ἄλλους) Significatur invitatio apertior, facta per apostolos eorumque adiutores, postquam, Chri-

Christo resuscitato, in coelum evecto, et *spiritu* desuper misso, nihil ultra divinae liberalitatis requiri poterat. τὸ ἄριστόν μου ἡτοίμασα) *Convivium meum paravi*, s. paratum est. Ἄριστον in Homeri quidem carminibus positum extat de cibo, qui mane capitur, a Latinis *ientaculum* dictus; sed successu temporis, quam apud Veteres maxime solenne esset, nonnisi semel in die cibum capere, ἄριστον dicebatur *prandium*, cibus, quem praeter *coenam*, semel adhuc, tempore plane indefinito, sive mane, sive ante, sive circa meridiem capiebant. In dialecto vero Alexandrina ἄριστον eo quoque sensu ponebatur, ut declararet idem quod δεῖπνον, ἐυωχία, δοχή, *coena, epulum, convivium solenne.* Vid. Io. Frid. Fischer de vitiis Lexic. p. 580. et quos laudavit Kuinoel in peric. evang. ad h. l. Οἱ ταῦροί — ἕτοιμα) *Tauri mei et arietes saginati sunt mactati, et omnia parata.* Τὰ σιτιστὰ sunt *arietes saginati.* Cf. 2 Sam. VI, 13. 1 Chron. XV, 26. Θύειν, ut hebr. זָבַח, non tantum est *sacrificare*, sed etiam, ut h. l. *mactare*, e. g. Deut. XII, 15. coll. Io. X, 10. Opes regiae his verbis describuntur, quae sunt imago beneficiorum per Christum et doctrinam eius oblatorum.

5. Οἱ δὲ ἀμελήσαντες — ἐμπορίαν αὐτῆς) *Hi autem his neglectis, discesserunt alius in praedium suum, alius ad sua negotia.* ἴδιον ἀγρὸν pro ἀγρὸν αὐτῆς, nam Alexandrini quoque suffixum ῆ exprimunt vocabulo ἴδιος Iob. VII, 10. Prov. XXVII, 8. Caducarum rerum studio beneficia aeterna posthabuerunt.

6. Οἱ δὲ — ἀπέκτειναν) *Caeteri autem servos comprehensos ignominiose tractarunt, atque occiderunt.* Significantur iterum Iudaei, quorum multi eo temeritatis processerunt, ut legatos divinos, Apostolos, aliosque religionis

gionis christianae doctores ignominiose tractarent, quovis modo vexarent, adeoque interficerent.

7. Ἀκούσας — ἐνέπρησε) *Quo audito, rex iratus misit copias suas, homicidas illos peremit, eorumque urbem cremavit.* Post ὁ βασιλεὺς addunt ἐκεῖνος permulti codices antiquiores et recentiores, versiones, Damasc. Theophyl. Lucif. Per τὰ στρατεύματα significantur Romani, qui licet inscii divinorum decretorum, Hierosolyma devastarunt.

8. Οὐκ ἦσαν ἄξιοι) nimirum lauto hoc convivio; seu non merebantur, ut huic celebritati interessent. Ἄξιος a scriptoribus etiam graecis haud raro ita absolute poni, probarunt ALBERTUS et ELSNERUS ad Matth. X, 11.

9. Ἐπὶ τὰς διεξόδους τῶν ὁδῶν) *In exitus viarum rusticarum.* Matthaeus nempe vocabulo διέξοδοι expressit cum Alexandrinis interpretibus nomen hebraicum מוֹצָא, ita ut αἱ διέξοδοι τῶν ὁδῶν essent αἱ ἔξοδοι τῶν ὁδῶν, *exitus viarum rusticarum*, qui iidem intelligerentur esse earum aditus. Huic interpretationi non parum ponderis addit auctoritas versionum veterum, ut ostendit Io. FRID. FISCHERUS *de vitiis Lexicor. N. T.* qui etiam aliorum interpretationes diiudicat. p. 636. sqq. Intelliguntur itaque ὁδοὶ non urbicae, sed rusticae, quae sint imagines agrorum gentium exterarum, ad quas Deus post reditum Christi in coelum Apostolos missurus erat. Cf. Luc. XIV, 21. 23.

10. Καὶ ἐξελθόντες — ἀγαθούς) *Et egressi congregarunt quotquot repererunt, nobiles et ignobiles.* Ἀγαθὸς enim omnino dicitur is, qui in suo genere perfectus est, sicut πονηρὸς *mancus, imperfectus.* Nihil tamen obstat, quo minus probi et mali intelligantur. Ἐπλήσθη ὁ

γαμος

γαμος ἀνακειμένων) *completum est coenaculum convivis.* In uno exemplari legitur νημφῶν thalamus, sine dubio ex interpretamento. *Lucas* c. XIV, 23. ὁ δικός μου.

11. Εἶδεν ἐκεῖ ἄνθρωπον ἐκ ἐνδεδυμένον ἔνδυμα γάμου) *Conspexit hominem, qui non indutus erat vestimento coenatorio*, i. e. hominem haud praeparatum ad convivium, sed sordidis vestibus indutum. Similis parabola reperitur in *Koheleth* R. IX, 8. et *Midrasch Mischle* XVI, 11. ubi illi, qui curarunt et unxerunt se, poliverunt vestimenta sua, praepararunt se ad convivium, opponuntur illis, qui dederunt operam negotiis suis, et in regium palatium intrarunt *in turpitudine sua.* Homo sordidis vestibus indutus h. l. est, qui externe quidem profitetur religionem, sed turpiter vivit.

12. Ἑταῖρε—γάμου;) Quum inhumani et iniusti domini videatur, hominem ex triviis in convivium adactum, atque adeo sine sua culpa male vestitum, ex convivio hanc ob rem praecipitem dare; hanc difficultatem ita tolli posse post b. Wolfium nonnulli putant, ut dicant, ipsos convivii dominos eiusmodi vestes exhibere convivis solitos fuisse. Et recte quidem. Nam populorum Orientalium reges et principes etiamnum solent iis, qui in ipsorum conspectum venire volunt, vestes splendidas (*Kaftans*) mittere et donare, et qui has contemnunt et repudiant, in gravissimam eorum indignationem incurrunt. Cf. Gen. XLV, 22. 2 Reg. V, 22. X, 22. Esth. VI, 8. VIII, 15. Paulsen *Regierung der Morgenländer* p. 452. s. 466. sqq. Faber *zu* Harmars *Beobachtungen über den Orient.* T. II. p. 117. Ἑταῖρε, πῶς εἰσῆλθες ὧδε;) *Heus tu, qua fronte, non indutus vestimento coenatorio, huc intrasti?* Cf. Cap. XX, 13. VII, 4. ἐφιμώθη) *obmutuit, seu conticuit,* quia excusare se non poterat.

13.

13. Διακόνοις) *ministris*, i. e. iis, qui convivis ministrabant. εἰς τὸ σκότος τὸ ἐξώτερον) Vide supra cap. VIII, 12.

14. Πολλοὶ γάρ εἰσι κλητοὶ) Vide supra c. XX, 16. Caeterum totius huius parabolae argumentum est hoc: Vobis, Iudaei, beneficia regni Messiani offeruntur; doctrina mea vobis traditur; vos autem maximam partem praeiudiciis et vitiis vestris indulgentes, eam repudiatis, et legatos meos contumeliose tractabitis. Ergo respublica vestra devastabitur. Aliae gentes participes reddentur bonorum commodorumque, quae religionis doctrina cultoribus suis praebet; ii vero, qui religione suscepta, ei non convenienter vivunt, felicitate regni mei excludentur.

15. Τότε — ἐν λόγῳ) *Tum digressi Pharisaei ab eo, consultarunt de eo per sermonem illaqueando.* Pharisaei qui erant inter Synedrii legatos. Πορευθέντες, *digressi ab eo*, quum clam se subduxissent. Marc. XII, 12. ἀφέντες αὐτὸν ἀπῆλθον) Synedrium Christum interrogaverat, qua auctoritate munus docendi et abusus templi reformandi suscepisset, c. XXI, 23. sqq. Quum autem publica auctoritate nihil profecissent homines callidi, iam Pharisaei privatas molitiones adhibent, et captiosis quaestionibus eum tentant. Verbum παγιδεύειν proprie usurpatur de aucupibus et venatoribus, qui volucribus et feris insidiantur; deinde vero per metaphoram notat *insidiose alicuius perniciem quaerere.* λόγῳ (τινί) *sermone quodam*, interrogatione quadam. Voluerunt aliquid ab ipso elicere, cuius obtentu accusari posset rerum novatarum apud Romanum Praesidem. Nam alioqui nulla spes erat, illum interficiendi.

16. Μετὰ τῶν Ἡρωδιανῶν) Huius vocis terminatio *latina* est, (ut Ciceroniani, Pompeiani, Caesariani). Evan-

gelium hebraicum, quod Mercerus edidit: *cum servis Herodis*, i. e. aulicis. Hi itaque stabant a partibus Herodis Antipae, qui imperatori Romano valde erat deditus, eique tributum pendere licitum esse putabat. De *Herodianis* vid. *Wolfii curas* ad h. l. et cf. *Harwoods Neue Einleitung in das Studium des N. T.* ex versione *Schulzii*. P. II. pag. 15. 16. Contrariam sententiam defendebant Pharisaei. Sive ergo cum Herodianis sive cum Pharisaeis fecisset Christus, homines isti impii optimam eius accusandi occasionem habuissent. ἀληθὴς εἶ) *verax*, veritatis es amans. τὴν ὁδὸν τοῦ θεοῦ) Hebr. דֶּרֶךְ, qua via hominibus sit incedendum ut ad Deum et felicitatem aeternam perveniant, i. e. *legem divinam, praecepta vitae Deo placentia, religionem.* ἐν ἀληθείᾳ) בֶּאֱמֶת, ἀληθῶς, vere et sincere. σὲ μέλει σοι περὶ οὐδενός) *Non soles studio et cupiditati alicuius hominis aliquid dare*, nempe quo minus ea praecepta fideliter tradas. σὺ γὰρ βλέπεις εἰς πρόσωπον ἀνθρώπων) πρόσωπον, Hebr. פָּנִים, *persona*, vel externa personae conditio. Sensus est: Nullius hominis, qualicunque sit dignitate, aut vitae sorte, ita rationem habes, ut a veri rectique tramite deflectas, prave et inique iudicando, vel ad captandam benevolentiam, vel ad invidiam avertendam.

17. Ἔξεστι δοῦναι κῆνσον καίσαρι) *Licetne?* sc. per civitatis et religionis nostrae instituta. Haec enim praescribebant, ut Iudaei Deo solverent tributum, Exod. XXX, 12. quod destinatum erat usibus templi Hierosolymitani, nempe dimidiam partem sicli. Ex quo autem *Pompeius* Syriam fecerat provinciam Romanam, et simul Palaestinam Syriae finitimam subiecerat imperio Romano, tributum solvendum erat etiam Romanis. Erat itaque tum temporis Iudaea provincia tributaria, et Κῆνσος h. l. nihil aliud esse videtur quam

quam *tributum quotannis solvendum, in singula capita impositum*, φόρος, ut Lucas habet c. XX, 22. das *Kopfgeld*. Iudaei impatienter tulerunt hoc onus, et quaerere coeperunt, an cum officio, quod sibi ipsis, quod civibus, patriae et posteris, imo quod Deo ipsi deberent, consistere posset obedientia Romanis praestita? Negabat hoc *Iudas Galilaeus*, cum Zelotis, ad seditiones pronis, quorum partibus etiam Pharisaei favebant. Ioseph. XVIII, 1. 1. Aliis contra, qui pacem suadebant, rebellio non tam iniusta, quam inutilis et intempestiva videbatur. Ioseph. de B. I. II., 16. 4. Vicit tandem sententia eorum, qui defectionem agitabant, tanta animorum conspiratione, ut tota natio ad arma concurreret, omnesque communi exitio involverentur. Ergo valde captiosa erat quaestio Iesu proposita.

18. Τὴν πονηρίαν αὐτῶν) *malitiam et calliditatem eorum*. Existimabant Pharisaei, se ita callide Christo laqueos tetendisse, ut, quocunque se verteret, illos effugere non posset. Si pro Romanis diserte pronuntiasset, civium suorum et discipulorum animos a se alienasset. Si vero contra Romanos pronuntiasset, imo si vel verbum dixisset, quod eo spectare poterat videri, ipsum tanquam seditionis auctorem potestati praesidis tradidissent, Luc. XX, 20. XXIII, 2.

19. Τὸ νόμισμα τῆς κήνσου) Date mihi nummum aliquem eius monetae, in qua tributum exigi solet. In eo autem nummorum genere usitatissimus erat denarius, Caesaris imagine signatus, diversus a siclo dimidiato, quotannis a quolibet Israelita in sanctuarium solvendo.

20. Τίνος ἡ εἰκὼν αὕτη καὶ ἡ ἐπιγραφή;) Nummos imperantium vultu ac nomine signari, Persicum creditur esse institutum.

21. Λέγουσιν αὐτῷ. Καίσαρος.) Ergo ipsi fatebantur, numisma, quod Caesari solvendum erat, non esse siclum templi, in aerarium sacrum conferendum, sed ipsum monetae genus, quo tunc tributum Romanis solvi solebat. ἀπόδοτε — τῷ θεῷ) *Solvite igitur Caesari, quod debetis Caesari,* (δηνάριον, nummum publicum, qui imaginem Caesaris habet impressam,) *et Deo, quod debetis Deo,* (dimidium sicli templo dicatum). Videtis ipsi, Caesarem non exigere a vobis siclum sacrum, Deo solvendum, sed tributum eo nomine vobis impositum, quod a Romanis victi estis. Sequitur ergo, vos solvere debere tributum Romanis. Sed solvendum est etiam tributum in usus templi, ob legem divinam. Vide *Michaelis* Mosaisches Recht. P. III. p. 216. sqq. Ceterum si quid Caesar, aut alia potestas praecipiat adversum legi divinae, Deo potius quam hominibus parendum est. Ita Christus sapientissimo responso et seditionis motae et violatae religionis calumniam in quaestione insidiosissima effugit.

23. Σαδδουκαῖοι, οἱ λέγοντες μὴ εἶναι ἀνάστασιν) *Qui hominum in vitam restitutionem negant.* Non tantum resurrectionem corporum, sed et animorum immortalitatem, et praemia futurae vitae negabant Sadducaei. Fundamentum huius opinionis fuit, nullam substantiam esse extra Deum praeter res sensibiles. Act. XXIII, 8. Iosephus, *de B. Iud.* II, c. 8. I. 14. ψυχῆς τε τὴν διαμονὴν, καὶ τὰς ἅδε τιμωρίας καὶ τιμὰς ἀναιρεῖσι.

24. Μὴ ἔχων τέκνα) *Sine liberis.* Prudenter Matthaeus hic posuit τέκνα, et statim μὴ ἔχων σπέρμα, quomodo זֶרַע ponitur Gen. XXXVIII, 8. quod ad utrumque sexum pertinet. Luc. XX, 28. ἄτεκνος. Extat lex, de qua h. l. agitur, Deut. XXV, 5. sqq. ἐπιγαμβρεύσει — τὴν γυναῖ-

γυναῖκα ἀυτῦ) *Frater uxorem eius ducat.* Vocabulum ἐπιγαμβρέυειν respondet hebraico quod יִבָּם, significat *iure affinitatis aliquam ducere*, quomodo et LXX. τὸ ἐπιγαμβρέυειν usurpant Genes. XXXVIII, 8. Ὁ ἀδελφὸς ἀυτῦ, vel, eo recusante, proximus agnatus, saltim ex posteriorum temporum consuetudine, ut ex Ruthae historia liquet. Hoc autem intelligitur de eo, qui maritus non esset. καὶ ἀναστήσει σπέρμα τῷ ἀδελφῷ ἀυτῦ) *Ex eaque sobolem suscipiat fratri.* Deut. XXV, 7. Σπέρμα, *sobolem*, hebr. זֶרַע, *posteritatem*; in Ruthae historia τὸ ὄνομα, qua nimirum lex illum postnatum filium defuncti nuncupabat. Ergo τῷ ἀδελφῷ est *memoriam atque honorem fratris.*

25. Ἀφῆκε) Quomodo haereditas relinqui dicitur.

28. Τίνος τῶν ἑπτὰ ἔσαι γυνὴ) *Cuiusnam ex septem erit uxor?* Pharisaei statim post inchoatum visibile regnum Messiae, quale sibi animo fingebant, resurrectionem futuram esse putabant; unde *Iosephus* Pharisaica de futurae felicitatis ratione commenta comparat iis, quae apud Graecos de fortunatis insulis canebantur. Sadducaei autem a Christo putabant resurrectionem doceri secundum easdem opiniones, quibus utebantur Pharisaei, qui talia futura corpora sibi animo fingebant, qualia sunt in his terris, unde sequebatur, etiam in altera illa vita locum fore matrimoniis. Argumentum satis firmum contra resurrectionem esse putabant, quod, hac posita, necessario statuendum sit, turpissimam Polyandriam in illa altera vita locum esse habituram.

27. Μὴ εἰδότες τὰς γραφὰς) *Non intelligentes scripturas*, nimirum *verum sensum scripturae.* μηδὲ τὴν δύναμιν τῦ Θεῦ) *Neque omnipotentiam divinam.* Non intelligitis, quam late pateat vis divina, quae, quantaque

Deus

Deus efficere possit. Putabant enim, non posse sustentari animas sine corpore carneo.

30. Ἐν γὰρ — ἐκγαμίζονται) *Etenim in altera illa vita nec viri uxores ducunt, nec feminae nubunt.* Ἀνάστασις h. l. est conditio hominum post resurrectionem mortuorum. ἀλλ' ὡς — εἰσι.) *Sed angelorum more in coelo degunt.* Sensum explicat Lucas, c. XX, 36. ἐ γὰρ ἀποθανεῖν ἔτι δύνανται. *Nam angelorum sunt similes.* Atqui hi sunt spiritus, nullo corpore carneo instructi. Si igitur nos in futura illa vita angelorum similes erimus, non habebimus corpus carneum, e succis, carnibus et ossibus constans, aptum propagationi. Ergo ne locus quidem erit matrimonio. Natura futurorum illorum corporum describitur 1 Cor. XV, 42. seq. Ex hac igitur comparatione hominum in vitam restituendorum cum angelis non sequitur, nos carituros esse corporibus. Id enim, quod Iesus dicit, non est referendum ad animum. Profecto non cohaereret disputatio, si sensus esset: Non erimus in altera illa vita apti matrimonio, quoniam animus noster in aeternum durabit. Nexus potius est: Non erimus apti matrimonio, quoniam futura illa corpora nostra non habebunt carnem et sanguinem, sed immortalia erunt, quemadmodum angeli sunt immortales; nec opus erit sexuum commercio, cuius ope, singulis pereuntibus, universitas conservatur.

31. Περὶ δὲ τῆς ἀναστάσεως τῶν νεκρῶν) i. e. quod rem ipsam attinet. Nam hactenus obiectioni tantum respondit. Ἡ ἀνάστασις τῶν νεκρῶν h. l. alterius vitae statum denotat, non resurrectionem corporum, saltim eam non solam. Disputat nimirum Iesus contra Sadducaeos, qui animos et spiritus ullos esse plane negabant et morte omnia finita esse dicebant. Act. XXIII, 8. ἐκ ἀνέγνωτε — Ἰακώβ) Exod. III, 6. cf. Luc. XX, 38. Hebr. XI, 16. Vox

Dei,

Dei, ubi possessivum casum post se habet, significat *benefactorem optimum* atque *potentissimum*, εὐεργέτην. Ergo sensus verborum: *Ego sum Deus Abrahami* etc. est hic: Ego sum Deus is, qui Abrahamo, Isaaco et Iacobo benefeci, benefacio et semper benefacturus sum, εὐεργέτης et Patronus eorum perpetuus. Hunc sensum inesse verbis, ex sequentibus patet, ubi Iesus infert: οὐκ ἔστιν ὁ θεὸς — ζώντων) *Deus non est εὐεργέτης et Patronus mortuorum, sed viventium.* Ergo recte concluditur: Si Deus nunc adhuc est Deus (Patronus et εὐεργέτης) Abrahami, sequitur Abrahamum vivere et existere. Nam non existenti beneficia tribui haud possunt. *Corpus* etiam rediturum esse in vitam in se ex his verbis non sequitur, nisi sumas animum sine corpore aliquo existere non posse, adeoque Abrahamum mortuum, statim indutum esse corpore subtiliori alio. Sed non opus est. Nam Iesus adversus Sadducaeos disputabat, qui plane negabant esse animos, et morte omnia finita esse dicebant.

34. Οἱ δὲ — ἐπὶ τὸ αὐτὸ) *Pharisaei autem, quum audissent, eum Sadducaeos ad silentium redegisse, convenerunt.* Φιμῶν, quod respondet hebr. חָסַם Deut. XXV, 4. proprie notat *os capistro obstringere*, 1 Cor. IX, 9. deinde vero per metaphoram *ad silentium redigere.* Ἐπὶ τὸ αὐτὸ, sc. χωρίον, יַחַד Pf. II, 2. ubi LXX. habent: ἐπὶ τὸ αὐτό.

35. Καὶ ἐπηρώτησεν — λέγων) *Tum unus ex iis, legis doctor eum explorandi caussa interrogavit.* Pharisaei igitur partes suas uni demandaverant, prae ceteris idoneo, nempe legis perito e secta Pharisaeorum. πειράζων αὐτὸν, *exploraturus eum.* Interpretes haud pauci existimant, hunc legisperitum bono animo adiisse Iesum et ver-

verbum πειράζειν in bonam partem interpretandum esse, *sententiam alicuius explorare*, ob locum parallelum Marc. XII, 34. Sed videtur legis peritus hanc interrogationem malo animo proposuisse. Nam diserte dicitur εἷς ἐξ αὐτῶν, e numero et secta Pharisaeorum, qui convenerant, ut Christo insidias struerent. CHRYSOSTOMUS et THEOPHYLACTUS, suspicantur, hominem illum maligno quidem animo accessisse, sed meliori discessisse a Iesu. Haec sententia mihi olim probabilis est visa. Sed re accuratius considerata, mihi nunc verisimile est, apud Matthaeum et Marcum non de uno eodemque legis perito esse sermonem. Ὁ νομικὸς apud Matthaeum erat ex numero Pharisaeorum, qui insidiandi caussa adversus Iesum convenerunt. Sed ὁ γραμματεὺς apud Marcum sponte sua statim post eius cum Sadducaeis disputationem ad eum accessit, ἰδὼς ὅτι καλῶς αὐτοῖς (Sadducaeis) responderat, ergo bono animo. Pharisaei autem non statim, sed post communem deliberationem (ap. Matthaeum v. 34.) igitur alio die partes suas alicui demandaverunt qui cum Iesu disputaret; isque eandem quidem ei quaestionem, sed malo animo proposuit. Ὁ γραμματεὺς, apud Marcum videtur potius fuisse unus ex eorum numero, qui postea *Kareis textuales, scripturarii* appellati sunt, alieni non tantum a traditionibus Pharisaeorum, sed etiam ab erroribus Sadducaeorum. De huius sectae antiquitate placitis et fatis disputavit IAC. TRIGLANDIUS *in diatribe de secta Karaeorrm, syntagmati trium scriptorum de tribus Iudaeorum sectis* (Delphis a. 1703. 4. edito) adiecta, cap. III. et IV. Accedit, quod iste γραμματεὺς vix ausurus fuisset asserere praesentibus Pharisaeis, Deum et proximum diligere, esse πλεῖον πάντων τῶν ὁλοκαυτωμάτων καὶ τῶν θυσίων, atque sic Pharisaeis qui contrarium statuebant, in

os contradicere. Videtur igitur *Marcus*, quod saepius fecit, hanc narrationem, quia Matthaeus eam omiserat, ut memoria dignam Commentariis suis inseruisse. Ceterum non est mirum, hanc quaestionem Servatori nostro saepius propositam fuisse; erat enim maximi momenti, et controversa. Nec obstat, quod Marcus statim addit v. 35. καὶ οὐδεὶς ἐκέτι ἐτόλμα αὐτὸν ἐπερωτῆσαι, constat enim Evangelistas, quod περισάσεις rerum gestarum attinet, temporis ordinem saepe negligere. Sic Lucas cap. XX, 40. haec verba statim post disputationem Iesu cum Sadducaeis, Matthaeus cap. XXII, 46. post propositam Pharisaeis de Messia quaestionem ponit, Marcus vero v. 35. quaestionis illius post illa verba mentionem facit. Si vero concedamus, Marci notationem temporis, quo adversarii Iesu desierint ei quaestiones proponere, praeferendam esse, tres Evangelistae in eo conveniunt, illos eam ob caussam a captiosis quaestiunculis abstinuisse, quod perspexissent, Iesum non tantum Pharisaeis et Sadducaeis, sed etiam homini, discendi cupido aptissime respondisse, utque adeo disputando nihil ad eius perniciem effici posse.

36. ποία — νόμῳ;) *Quodnam praeceptum est in lege maximum*, gravissimum? ποία, pro τίς, ut c. XIX, 18. μεγάλη pro μεγίστη, *gravissimum*, *praecipuum*. Iudaeorum nempe doctores praecepta legis dividebant in gravia et levia; quaenam vero praecepta ad graviora, quaenam ad leviora referenda essent, quodnam reliquorum omnium esset maximum et gravissimum, inter se dissentiebant. Vid. GROTIUS et SCHOETTGENIUS hor. hebr. ad h. l. et cf. Matth. V, 19.

37. Ἀγαπήσεις — διανοίᾳ σε) *Dilige Dominum, Deum tuum, animo integerrimo omnique contentione.* Deut. VI, 5. Ἀγαπήσεις, *dilige*. Fut. pro Imperativo,

Κύριον, hebr. יְהוָה, *numen summum*, aeternum, immutabile. Τὸν Θεόν σε, *cui tu vitam tuam et quicquid in te est boni, debes* Cf. supra v. 31. *Diligere Deum* est, *colere Deum*, eique fide et obsequio esse addictissimum. Supervacanea est illorum diligentia, qui καρδίαν, ψυχὴν, διάνοιαν, nimium subtiliter hic distinguunt, quum vocum multarum cumulatio nihil quam intensius studium designet; sicut et Latini dicunt: corde, animo, atque viribus. Nam καρδία, לֵב, est *animus*, *mens*, et idem fere significant etiam vocabula ψυχὴ et διάνοια. Alii καρδίαν לֵב ad *voluntatem*, διάνοιαν ad *intellectum*, ψυχὴν ad *appetitiones* pertinere existimant. Vid. *Goezius* ad h. l. *Marcus* et *Lucas* habent: ἐξ ὅλης δυνάμεως σε, qui tamen explicationis caussa addunt etiam διανοίας vocabulum; cuius hic is est sensus, qui apud *Thucydidem*: διάνοιαν ἔχω πρὸς τὸ καλὸν τῆς πράξεως, i. e. *in id intentus sum*. Idem autem valet, sive dicas pro *viribus*, sive *omni studio atque contentione*. Sensus igitur totius huius praecepti est: Dilige et cole numen summum, aeternum, potentissimum, benignissimum, omnium rerum creatorem et conservatorem, omnium beneficiorum auctorem summum, optimum, maximum animo integerrimo, summaque contentione, ita ut in eum semper et ubique animum habeas intentum; omnibusque animi et corporis tui viribus recte et sapienter, atque sic utaris, ut ei proberis.

38. Αὕτη — ἐντολὴ) *Hoc est praecipuum et maximum praeceptum.* Πρώτη καὶ μεγάλη sunt mere Synonyma; unde Marcus c. XII, 30. μεγάλη omisit. Vid. supra ad v. 36.

39.

39. Ὁμοία αὐτῇ) Ita tamen, ut priori dignitate concedat, unde δευτέρα dicitur apud Marcum. Similis autem dicitur, quia actus itidem non externos tantum, sed et internos praecipit, et vim suam quam latissime extendit; adde et quod priori necessario nexu cohaeret, 1 Io. IV, 20. ἀγαπήσεις — σεαυτόν) Levit. XIX, 18. Tam sincere bene cupias omnibus, quam tibi ipsi; tam proodesse studeas cuivis, *cui prodesse ullo modo potes, quam tibi aliorum opem exoptas.* Ὁ πλησίον est ὁ ἕτερος, *quivis alius.* Rom. XIII, 8. Πέλας et πλησίον significant *prope.* Deinde ὁ πέλας et ὁ πλησίον significant *talem, qui prope est, vicinum, socium, domesticum, propinquum genere;* non autem talem modo, sed et *quemvis alium.* Quod autem scriptores sacri Pronomine σὲ addito, dicunt ὁ πλησίον σε, id faciunt more Hebraeorum, qui, quum *quemvis alium* designant, voce רֵעַ utuntur, eique Pronomen quoddam affixum adiiciunt, e. c. 1 Reg. XX, 35. 1 Sam. XV, 28. Levit. XIX, 18. Ἀγαπᾷν hic est *bene velle alicui, benigne et liberaliter cum alio agere, ei quovis modo prodesse.* Ὡς ut et Hebraeum כ, saepe comparat res similes, sed inaequales, ut Matth. V, 48. Io. XVII, 21. Act. III. 22. Est ergo ὡς σεαυτὸν *sincere diligere*, quomodo nosmetipsos diligere solemus. Ita amicus dicitur alter ipse. Cf. Matth. VII, 12.

40. Ἐν ταύταις — ὁ νόμος καὶ οἱ προφῆται κρέμανται) *Ab his duobus praeceptis reliqua omnia quae in lege Mosis et Prophetarum libris vobis praescripta sunt, pendent.* Hac formula Hebraei non minus, quam Graeci et Latini utuntur de rebus, quae ex aliis tanquam fonte, fluunt, in quibus caput omnis rei est. Recte itaque Thalemannus vertit: *his duobus praeceptis doctri-*

doctrina tota legis et prophetarum continetur. Paulus dixit, in eodem praecepto omnem ἐντολὴν ἀνακεφαλαιοῦσθαι, i. e. *contineri*, ut vertit Syrus. Rom. XIII, 9. Hebraei magistri istud ipsum dilectionis praeceptum vocant τὸ καθ' ὅλε legis.

41. Συνηγμένων — Ἰησοῦς) In templo haec esse gesta, patet ex Marc. XII, 35. sed alio fortassis die hanc quaestionem Iesus Pharisaeis et γραμματεῦσι proposuit.

42. Περὶ τοῦ Χριστοῦ) De illo promisso Messia. Hanc quaestionem Iesus proposuit Pharisaeis, ut eos convinceret, quam parum cognita ipsis esset vera dignitas ac provincia Messiae. Exspectabant nempe regem terrestrem, qui more aliorum in his terris principum splendide regnaturus esset. Sed ex verbis Psalmi: κάθου ἐκ δεξιῶν — ποδῶν σου concludere debebant Pharisaei, Messiam non in his terris visibili modo, sed in coelis, cum Deo regnaturum esse, unde sequebatur, etiam Davidem eius imperio subesse, et ob eam caussam eum ἐν πνεύματι Dominum suum appellasse. Pauli nova explicatio est contorta, et legibus grammaticis contraria. Nec *Kuinoelii* nova explicatio placet.

43. Ἐν πνεύματι) Spiritu prophetico. Erat enim David προφήτης Act. II, 30 et per ipsum loquebatur Spiritus S. 2 Sam. XXIII, 2. Act. I, 16. κύριον αὐτὸν καλεῖ) Ps. CX, 1. Ad Messiam pertinere hunc Psalmum, agnoverunt Hebraei veteres, et ipsos Pharisaeos Christi aetate hunc Psalmum de Messia intellexisse, ex eadem hac disputatione patet. Iesus igitur ex concessis cum Pharisaeis disputat, eisque hunc locum eo consilio proponit, ut illis meditandi materiam de Messiae dignitate suppeditet. Vid. D. Eckermanni *Theologische Beyträge.* Erstes Stück, p. 107. sqq. De Messia hunc Psalmum explicant etiam *Da-*

thius

thius et *Michaelis* cum plerisque. Cf. KUINOELII *Messianische Weissagungen des A. T.* p. 82. sqq.

44. Κάθου ἐκ δεξιῶν μου) *a me secundus esto: regna mecum.* A regibus sumta est tralatio, quibus haeres proximus, aut alioqui a rege princeps, dexter assidebat; is, qui deinde sequebatur, sinister. 1 Reg. II, 19. Matth. XX, 21. Quod hic dicitur *Deo dextrum sedere*, id Paulus 1 Cor. XV, 25. exprimit βασιλεύειν. Ergo Phrasis: *Messias Deo dexter* sedet, idem significat ac *regnat cum Deo.* ἕως ἂν — ποδῶν σου) *Tibique subiiciam omnes inimicos tuos.* Ἕως ἄν, hebr. עַד, verti potest *ut, ita ut, et tum*, ut Gen. XXXVIII, 15. Ies. XLII, 4. Matth. I, 25. Vid. SCHLEUSNERI Lexic. N. T. sub voce ἕως. Θεῖναι τοὺς ἐχθροὺς ὑποπόδιον τῶν ποδῶν, *facere hostes scamnum pedum*, i. e. ὑποτάσσειν *subiicere hostes.* Ὑποπόδιον τῶν ποδῶν est servitutis, et quidem abiectae, circumscriptio. Imago desumta est a consuetudine victorum, qui cervici victi pedem imponere solebant, quo significarent, se victores esse. Cf. Iudd. III, 26. Ies. LXIII, 1. sqq. Quo sensu haec verba accipiendi sint, quando de Messia est sermo, patet ex 1 Cor. XV, 25. sqq.

45. Εἰ οὖν Δαβὶδ καλεῖ αὐτὸν κύριον, πῶς υἱὸς αὐτοῦ ἐστι;) Inversa locutio, nam directa locutio fuerat: εἰ υἱὸς αὐτοῦ ἐστι, πῶς αὐτὸν κύριον καλεῖ; sed utro modo pronunnunties, vis argumenti eodem recidit. Davides, Messiam, unum ex posteris suis *Dominum* appellans, divini aliquid ei inesse agnovit.

46. Οὐδὲ ἐτόλμησέ τις) Sadducaeorum, Pharisaeorum, aut legisperitorum, quibus omnibus os obstruxerat. ἐπερωτῆσαι) Nempe πειράζων, quod ex superioribus repetendum est. Nemo amplius illum tentare quaestiunculis audebat.

CAP.

CAP. XXIII.

1. Τότε — λέγων.) *Deinde Iesus populum, inprimis discipulos suos ita allocutus est.* Ἐλάλησε τοις ὄχλοις, *docuit populum.* Καὶ h. l. valet *inprimis*, ut Marc. XVI, 7. Non ipsos legis doctores Pharisaeos, sed populum et discipulos suos allocutus est Iesus.

2. Ἐπὶ τῆς — οἱ Φαρισαῖοι.) *Legisperiti et Pharisaei vobis explicant legem Mosis.* De significatione vocis γραμματεῖς vid. notata ad Matth. II, 4. Non omnes γραμματεῖς faciebant cum Pharisaeis, ut patet ex Act. XXIII, 9. Cf. etiam notata ad Matth. XXII, 34. Hoc nostro loco legis doctores distingui videntur a Pharisaeis, tanquam *Textuarii*, Karaei, seu literam Mosis scriptam tantum tractantes a patronis traditionum, propterea vero coniungi, quod utrique populum docendi potestate instructi fuerint. Nam *in cathedra Mosis sedere* nihil est aliud nisi *docere et explicare legem Mosis.* Καθέδρα Μωσέως, מוֹשַׁב מֹשֶׁה, est *cathedra, in qua sedentes magistri* legem aut populo publice, aut discipulis privatim interpretabantur, quomodo cathedrae vox Graecis quoque et Latinis usurpatur, unde philosophos *cathedrarios* dixit Seneca. Archisynagogi aut alii publico magistri munere fungentes, in cathedra stantes legebant ipsa verba legis; deinde sedentes legem interpretabantur. Luc. IX, 17. sqq. Ἐκάθισαν, *sedent*, aor. pro praesenti.

3. Ὅσα ἂν εἴπωσιν ὑμῖν τηρεῖν, τηρεῖτε.) *Omnia igitur, quae vos iusserint observare, observate.* Εἰπεῖν, i. e. διδάσκειν, unde Alexandrini hebr. הוֹרָה Ioh. XII, 7. vertunt εἰπεῖν. *Omnia*, sed et sola illa quae vos doceant ex scriptis Mosis, non alia, quae non ex scriptis Mosis, aut

aut ad verum eorum sensum docent aut tradunt, si vel maxime dixerint esse traditiones Mosaicas. In lege Mosis multa erant praecepta, de quorum sensu ambigi poterat. In iis explicandis operam non malam navabant οἱ νομικοὶ, gnari linguae et historiae veteris, sine quarum cognitione legis pleraque recte intelligi nequibant. In his ergo eos Christus vult audiri a plebe, et eorum interpretationes, quamquam forte in duriorem partem nimium inclinantes, recipi. Id vero non eo pertinebat, ut si quid docerent, manifestis praeceptis divinis ipsique pietati contrarium, ut de Corbona parentibus praeferenda, sequendi essent duces coeci. κατὰ δὲ — μὴ ποιεῖτε) *At mores eorum ne imitemini.* λέγουσι γὰρ, καὶ ὰ ποιοῦσι, *iubent enim, quod ipsi negligunt.* Comparative verba huius commatis sumenda esse putat TOBLER, (*Gedanken zur Ehre Iesu Christi und seines Reichs*, p. 66. et 98. sq.) hoc sensu: *Praestat omnia observare, quae illi pro vero sensu legis Mosaicae vobis venditant, quam mores eorum imitari.*

4. Δεσμεύουσι — κινῆσαι αὐτὰ) Sensus est: *Dictant enim aliis difficillima praecepta, sed ipsi ne minimum quidem observunt.* Ratio redditur, cur mores eorum non sint imitandi. Sunt nempe isti homines austeri in alios, sibi autem indulgent, et ne minima quidem praecepta divina observant. Δεσμεύειν proprie est *in fasciculos ligare*, improprie *vinculis legum et praeceptorum constringere*, δογματίζειν. Φορτία βαρέα καὶ δυσβάστακτα, proprie *onera gravia et portatu difficilia*, improprie *praecepta aliis molesta et difficilia.* Lex ipsa per se erat onus satis δυσβάστακτον, sed Iudaici doctores praecepta eius quam latissime extendebant, neque admittebant probabiles exceptiones. τῷ δακτύλῳ δὲ αὐτῶν

ἐ θέλεσι κινῆσαι αὐτὰ, ipsi in talibus sunt negligentissimi. Proverbialis locutio, qua Romani utentes, dicunt etiam: *extremo* digito attingere.

5. Παντα δὲ τὰ ἔργα αὐτῶν ποιεσι πρὸς τὸ θεαθῆναι τοῖς ἀνθρώποις) *Omnia vero faciunt ad ostentationem.* Cf. supra c. VI, 1. sqq. Si quid ad legis praescriptum faciunt, id dant aurae populari. πλατύνεσι γὰρ τὰ φυλακτήρια αὐτῶν) *Dilatant enim phylacteria sua.* Phylacteria sunt membranulae, quibus hae quatuor legis Mosaicae Periochae inscriptae sunt: Exod. XIII, 1 — 10. Exod. XX, 1 — 17. Deut. VI, 5 — 9. Deut. XV, 13 - 21. Has thecis insertas Iudaei preces facturi, fronti et brachio sinistro alligant. Iudaeorum nempe doctores sensum literalem locorum Exod. XIII, 9. Deut. VI, 8. crassissimum retinentes, ex proprio cerebro Tephillin, quae capiti et manibus applicarentur, effinxerunt. Vocant autem תְּפִלִּין a תְּפִלָּה, preces; graece vocantur φυλακτήρια, i. e. *observatoria*, eo quod sint memorativa legis, Denkzettel, ac *conservatoria* etiam fortassis, eo quod vim quandam habere existimentur ad fugandos Daemonas. Quomodo conficiantur prolixe describunt *Buxtorf.* Synagog. Iudaica IX. et *Wagenseil* Sota p. 397 — 416. Credibile est, post reditum demum e captivitate Babylonica hoc excogitatum esse, prout tunc alia quoque huius generis ad iugum legis divinae magis aggravandum prodiere. Vid. Christ. Schottgenius in hor. hebr. ad h. l. et cf. quos Schleusnerus laudat in Lex. sub hac voce. Lata et admodum conspicua fecerunt sibi *Scribae et Pharisaei* sua phylacteria ut proportionatam inde apud populum reportarent devotionis famam atque aestimationem, quum haec pro indiciis studii legis, ac signis devotionis aestima-

ren-

rentur. καὶ μεγαλύνουσι τὰ κράσπεδα τῶν ἱματίων αὐτῶν) *Magnas faciunt fimbrias vestimentorum.* Fimbriae in vestium limbis, quibus fila hyacinthina addita erant, in mentem revocare debebant Israelitis praecepta Dei. Vide Num. XV, 38. 39. Has fimbrias, צִיצִית, magnas sibi faciebant Pharisaei ut populo pietatem suam probarent.

6. Φιλοῦσι δὲ τὴν πρωτοκλισίαν) *Amant primum in conviviis locum;* votis expetunt, tanquam ingens bonum, atque et am data occasione velut iure suo sibi vindicant. Καὶ τὰς πρωτοκαθεδρίας ἐν ταῖς συναγωγαῖς) *Et primam in synagogis sedem.* Vetustissimo Iudaeorum more, qui nullo in synagoga munere fungebantur, sedebant aetatis ordine distincti. Sed multis in locis irrepsit consuetudo, ut eruditionis famam aliquam consecuti honoratius sederent, quo pertinet hic locus. Extant in Hebraeorum libris decreta de hac re, quo loco legisperiti, quo Pharisaei sedere debeant.

7. Καὶ τοὺς ἀσπασμοὺς ἐν ταῖς ἀγοραῖς) *Et salutationes officiosas in locis publicis.* Ἀσπασμοί, *salutationes*, populis Orientis receptae in prolixa apprecatione, votis conceptis, et percontatione benevola constiterunt. Potestas nominis ἀγορά, et in plurali numero ἀγοραὶ in dialecto Macedonica, certe Alexandrina tam late patuit, ut indicarentur *omnia loca publica*, i. e. non tantum *fora*, sed etiam *plateae* et *viae* oppidorum. Vid. *Fischeri* Prolus. XI. de vitiis Lexic. N. T. ῥαββί) Vox Syriaca indeclinabilis, רַב et רַבָּא, *magnus*, item *magister* cum affixo primae personae est רַבִּי, magister mi. Solebat autem in salutationibus vox Rabbi bis exprimi, ut apparet ex Marci c. XIV, 45. R. *Nathan* in Aruch observat, an-

te Hillelem neminem Rabbinum fuisse vocatum: *Maimonides* nec Hellilem ipsum, sed Simeonem eius filium.

8. Ὑμεῖς δὲ μὴ κληθῆτε ῥαββί· εἷς γάρ ἐστιν ὑμῶν ὁ καθηγητής) *Vos autem nolite vocari Rabbi; unus enim est magister vester.* Pro καθηγητής Codd. quidam habent διδάσκαλος, quod *Beza Grotius, Seldenus*, praeferunt, nam vocem Rabbi et Rabboni a scriptoribus nostris ubique reddi διδάσκαλε, nusquam καθηγητά, *Grotius* contendit. Sed videtur διδάσκαλος alterius interpretamentum esse, saltem utraque vox nihil differt. *Glossar.* καθηγητής, *Doctor.* Plura loca vid. ap. Westen. Vetat Christus istas appellationes expetere eo sensu, quo a Iudaeis expetebantur. Nam qui eruditi erant inter Iudaeos, cum nomine doctoris auctoritatem etiam sibi vindicabant, quod visum esset docendi, et credi sibi volebant. Verba Rabbini esse verba Dei dicebant. At Christi sectatores non debebant populum ea docere, tanquam observatu necessaria, quae ipsis talia videbantur, sed ea tantum, quae Christus ipse necessaria pronunciasset. Iudaeorum alii alios sectabantur magistros, et ab eorum pendebant auctoritate: sed inter Christianos eo modo dici, ego sum *Cephae*, ego *Pauli*, *Apollo*, nefas est, Cf. 2 Tim. IV, 3. Erat igitur hoc praeceptum Christi necessarium quidem, sed locale. Licuisset Apostolis aliis in locis his ipsis nominibus uti, si forte ea alicubi alio sensu, qui nihil superstitiosae venerationis haberet, doctoribus vulgo tributa essent. Nempe universale praeceptum, cui locale illud tanquam fundamento inniteretur, erat hoc: abstinendum esse doctori verae religionis omni honore externo, qui scopo muneris sui adversetur, veri reverentia morali magis impedienda quam adiuvanda. Atque hoc ipsum Christus discipulis suis iniungere voluit; sed fecit, more suo, et ex popularitatis le-

ge,

ge, accommodate ad conditionem eorum localem, h. e. interdixit iis usu certorum honoris nominum, quae apud Iudaeos, vitio doctorum et auditorum, perverse usurparentur. Vid. D. Car. Lud. Nitzsch *de iudicandis morum praeceptis* etc. Commentat. VI, pag. 100. ὁ χριστὸς) omittunt permulti Codd. Verss. et Patres. Videtur irrepsisse ex comm. 10. ἀδελφοί ἐστε) Unius illius doctoris discipuli. Estis eiusdem doctrinae et disciplinae consortes, condiscipuli. Decet vos ab omni partium, sectarum et factionum studio esse alienos.

9. Πατέρα μὴ καλέσητε ὑμῶν ἐπὶ τῆς γῆς) Sensus est: *Doctorum humanorum neminem vocate Patrem.* Nam de doctoribus h. l. est sermo. Qui nempe sapientum aliquem tanquam scholae principem sectabantur, et velut in nomen eius iuraverant, eius sapientis filii vocabantur, ipsi illum vocabant אַבִּי vel אַבָּא. Sed quia אַבָּא maior erat titulus quam רַבִּי, ideo Christus hunc sibi, illum patri vindicat. Ἐπὶ τῆς γῆς, i. e. ἐξ ἀνθρώπων, vel *terrenum*, imperfectum, erroribus obnoxium. Πατὴρ ἐπὶ τῆς γῆς opponitur patri ἐν οὐρανοῖς, doctori summo, celsissimo, fallere et falli nescio. εἷς γάρ ἐστιν ὁ πατὴρ ὑμῶν ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς) Unus est vestrae familiae princeps ac dogmatum auctor, Deus qui per filium vobis ipse omnia scitu necessaria revelavit. Io. VI, 45. 1 Thess. IV, 9. Itaque illo sensu, quo Iudaei sapientes patres suos vocabant, Christiani patrem neminem debent agnoscere. Sed alio sensu patres recte vocantur, qui nos in Christo per Evangelium genuerunt, 1 Cor. IV, 15.

10. Μηδὲ — χριστός) Vid. comm. 8. Ex mente igitur Christi discipuli eius unum Deum agnoscere debebant auctorem verae religionis summum, (πατέρα) et doctorem

eius auctoritate praeditum, (καθηγητὴν) unum Messiam; nihil Petro, nihil Iacobo tribui volebat: scilicet eum in finem, ut divina verae religionis origo, quacum ex mente Christi coniunctim cogitanda est eiusdem praestantia moralis, nulla auctoritate humana obscuraretur, nec ullo modo vel doctores ad arrogantiam, vel auditores ad sectarum studium, reverentiae veritatis morali inimicissimum, inclinarentur. Cf. NITZSCH, l. c. p. 100.

12. Ὅστις δὲ ὑψώσει ἑαυτὸν, ταπεινωθήσεται) *Quisquis vero se super alios efferre voluerit, deprimetur.* Sententia Christo saepius usurpata, celebris haud dubie apud Hebraeos, quod docent loca ap. Wetstenium. Dicitur ὑψῶν ἑαυτὸν is qui magnifice de se sentit, nimium sibi tribuit, aliis se praefert, eosque superciliose spernit: tum vero etiam honores ambit, primos accubitus sibi vindicat etc. Talis igitur ταπεινωθήσεται, *contemnetur*, indignus erit aestimatione; nec Deo nec hominibus prudentibus probabitur. καὶ ὅστις — ὑψωθήσεται) Quisquis vero humiliter de se suisque rebus sentit, is honore vere dignus est, ac ipsi Deo, mentium inspectori probatur.

13. Κλείετε τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν) *Impedimento estis aliis, ne intrent regnum coelorum*, nempe clavibus sublatis, ut *Lucas* loquitur, c. XI, 52. i. e. suppressa vera interpretatione et quotidiana inculcatione locorum, in quibus agitur de poenitentia, fide et dilectione non ficta: quibus omissis, omnem operam impeditis ritibus urgendis et ampliandis. Regnum coelorum comparatur cum civitate Matth. XVI, 18. 19. quam doctores Iudaeorum, tanquam praefecti et moderatores, penes quos erat potestas populum Dei doctrina et sapientia imbuendi, bonis civibus augere debebant. At illi hominibus potius praecludebant viam ad salutem. Ὑμεῖς γὰρ οὐκ εἰσέρχεσθε,

ὑμεῖς, sc. εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν, *nam vos ipsi non vultis participes fieri regni divini*, non admittitis doctrinam Messiae, qua animis emendari et cives regni divini fieri possetis. τοὺς εἰσερχομένους) Praesens pro futuro: eos, qui alioqui intraturi erant, si viam recte panderetis. At nunc non modo non panditis, sed obstruitis etiam rituum septis, quibus occupati animi, ad meliora nequeunt penetrare. Caeterum in hoc et sequentibus versibus est *Apostrophe*, quam vocant, cuius figurae magna est efficacitas ad commovendos animos. Nempe legisperiti et Pharisaei non ipsi praesentes erant, quum Iesus haec diceret Vid. v. 1. Sed ad ipsos, tanquam praesentes essent, orationem flectit, et male ipsis fore sermone directo pronunciat, ut discipulos et populum eo efficacius ab improbis eorum moribus dehortetur.

14. *Graeci*, *Hieronymus* et *Antiqui* non habent hunc versum, sed est *Marci* XII. et *Lucae* XX. tantummodo. *Albertus Magnus* de Marco et Luca interpositum putat. Alii Codd. in his etiam Codices quos *Matthaei* inspexit omnino omnes, idque a primis manibus et in contextu versum hunc ante v. 13. habent. Omissioni occasionem dedisse videtur particula καὶ aliquoties repetita. ὅτι κατεσθίετε — χηρῶν) *Surripitis bona viduarum.* κατεσθίειν, *devorare* h. l. metaphorice est *ad se rapere, et in usum suum convertere.* Τὰς οἰκίας, i. e. *opes, bona*, ut hebr. בָּתִּים Gen. XLV, 18. quod Alexandrini vertunt ὑπάρχοντα. καὶ προφάσει μακρὰ προσευχόμενοι) *Idque* (efficitis) *sanctitatis specie longis utentes precibus.* Καὶ hic habet vim intendendi, et latine verti potest *idque.* Μακρὰ, pro κατὰ μακρὰ, neutrum plurale pro adverbio. Multum diuque precando, in locis publicis,

cis, ubi ab omnibus conspiciebantur, (Matth. VI, 5.) conciliabant sibi famam singularis in Deum pietatis, qua specie sanctitatis deceptae mulierculae, profusa in eos liberalitate, suis se opibus spoliabant. *διὰ τοῦτο — κρίμα)* *Quapropter gravior vos manet poena.* Κρίμα, *poena.* Περισσότερον, idem quod μεῖζον κρίμα, Iac. III, 1.

15. *περιάγετε — προσήλυτον)* *Peragratis mare et terram ut faciatis proselytum.* Περιάγειν h. l. ut supra c. IV, 23. sumitur intransitive omissa voce ἑμαυτὸν, *circumire, peragrare.* Ξηρὰ, sc. γῆ, sive ὁδὸς, hebr. יַבָּשָׁה. Apud Profanos ξηρὸν tantum in Neutro de terra occurrit, e. g. ἐν τῷ ξηρῷ, εἰς τὸ ξηρὸν. Tota phrasis est proverbialis, simulque hebraica, sollicitum inquirendi laborem significans. *Proselytus* (a πρὸς et ἔρχομαι) qui se a gentilismo adiunxit Iudaismo. Distinguebantur Proselyti in גֵּרֵי שַׁעַר *proselytos portae*, qui et גֵּרֵי תוֹשָׁב seu תּוֹשָׁבִים πάροικοι et παρεπίδημοι dicebantur, et גֵּרֵי צֶדֶק, *Proselytos iustitiae.* Illi repudiata idololatria tantum septem praecepta Noachidarum observabant, nec ad ecclesiam Israeliticam pertinebant, sed in republica tantum tolerabantur: hi integram legem recipiebant, eamque ob caussam in ipsam ecclesiae communionem transeuntes, eodem cum reliquis eius membris iure fruebantur. Hoc loco de posterioris generis proselytis est sermo. Exempla, quanto studio Iudaei flagraverint proselytos faciendi narrat *Iosephus*, Antiquitt. Lib. XX, cap. 2. Vid. etiam Io. Andr. Danzii dissertat. *de cura Iudaeorum in proselyt. faciendis.* Ienae 1688. 4. Plures citavit *Wolfius* in curis ad h. l. Καὶ ὅταν — διπλότερον ὑμῶν) *Et si factus fuerit, redditis eum vobis peiorem;* proprie *poenis dig-*

dignum, *maiorem vobis hypocritam*, vel simulatorem. Υἱὸς γεέννης, *filius gehennae*, i. e. *gehenna et cruciatibus infernalibus dignus.* Nam υἱὸς, ut hebr. בֵּן in tali nexu significat idem quod ἄξιος, *dignus*; ut בֶּן מָוֶת, υἱὸς θανάτου et similia. Verba διπλότερον ὑμῶν vulgo vertunt: *duplo magis quam vos*, eo sensu, ut duplo gravior eorum sit poena, qui decipiuntur et pervertuntur, quam eorum qui alios decipiunt et pervertunt. Sed haec explicatio vix potest habere locum, quum in nulla lingua eiusmodi numeralia, multiplicativa et proportionalia, vi significationis suae gradus comparationis admittant. Probo igitur *Kypkii* sententiam, qui putat, vocem διπλότερος, quae in comparativo nusquam apud profanos comparet, et nonnisi h. l. in sacris legitur, denotare hominem *fallacem*, *dolosum*, *simulatorem*, *hypocritam*. Sicut nempe ἁπλοῦς, est homo simplex, ita διπλοῦς, *homo duplex* est hypocryta, qui pietatem simulans omnibus vitiis est mancipatus. Διπλότερον igitur explicandum erit ut adiectivum in accusativo hoc modo: *facitis eum gehenna dignum*, qui *fraudulentior*, imo insignior sit *hypocryta*, *quam vos estis.* Insigniores autem hypocritas faciebant proselytos Pharisaei, dum non satis curabant ut veterem in Gentilismo malitiam et superstitionem abiicerent, sed novae adiungendae occasionem et exemplum ipsis suggerebant, efficiebantque ut simulatam pietatem apud Indaeos prae se ferrent, et fierent peiores quam antea fuerant.

16. Ὁδηγοὶ τυφλοὶ, *duces coeci*, indocti doctores. Vid. supra c. XV, 14. ὃς ἂν—ὀφείλει ἐστιν) *Si quis iuraverit per templum, non tenetur;* nullius momenti est huiusmodi iuramentum. Magistri Hebraeorum alia iuramen-

ramenta magna, alia parva censebant. Magnis iuramenta per Deum ipsum, et κορβᾶν per templum autem et altare minoribus iuramentis accensebantur. Horum gratiam facile faciebant Iudaei doctores, si quis se inconsulto calore iurasse diceret: at iuramenti κορβᾶν non item. Οὐδέν ἐστιν, *non tenetur*, vel potius: nullius est momenti vel effectus. ἐν τῷ χρυσῷ τοῦ ναοῦ) i. e. pecunia in gazophylacium missa; auro in *Corbonam* oblato. Non igitur aurum templi hic intelligendum est illud, quo micabant undique parietes et laquearia. ὀφείλει) *tenetur, obstrictus est* De implenda nimirum promissione hic agitur. Distinctio haec pharisaica spectabat ad quaestum et ad ditandum aerarium. Cf. ad totum hunc locum Matth. V, 33. sqq.

17. Ὁ ναὸς, ὁ ἁγιάζων τὸν χρυσὸν) Templum sanctius esse pecunia in gazophylacium missa Christus dicit; nullam enim aliam ob caussam, quam quia templi usibus serviret, sacri iuris erat haec pecunia, ut apud Romanos donaria, apud Graecos ἀναθήματα.

21. Καὶ ἐν τῷ κατοικοῦντι (al. leg. κατοικήσαντι) αὐτόν) Hic ostendit Christus, omnia ista, quae illi vocabant minora iuramenta, maximis esse aequiparanda. Nemo enim tam stultus censeri debet, ut rem inanimem testem advocet suae cogitationis et perfidiae vindicem. Quare in istis iuramentis censeri debet inesse metonymia, et per templum intelligi is, cuius est templum.

22. Ἐν τῷ οὐρανῷ) Illustrat Christus quod dixerat exemplo simili. Nam, inquit, et qui per coelum iurant, censendi sunt testem illum invocare, cui coelum pro solio est. Cf. c. V, 34.

23. Οὐαὶ — καὶ τὴν πίστιν) *Heu vobis, legisperiti et Pharisaei, simulatores, qui mentham, et anethum et cuminum decumatis, neglectis gravioribus*

legis

legis praeceptis de iure et aequo, de benignitate atque fide! γραμματεῖς h. l. sunt interpretes legis traditionariae e secta Pharisaeorum. Ἀποδεκατεῖν, *decimam solvere* Ita δεκάτην ἀποδεκατεῖν pro eo, quod est decimam solvere, dixerunt LXX, Gen. XXVIII, 22. Deuter. XIV, 21. τὸ ἡδύοσμον καὶ τὸ ἄνηθον καὶ τὸ κύμινον) *Lucas*, omisso aneto et cumino, exemplum mentae et rutae posuit, adiiciens deinde nomen generale καὶ πᾶν λάχανον. Τὸ κύμινον, *cuminum*, hebr. כַּמּוֹן, in agris et hortis satum, (Ies. XXVIII, 25—27.) quod Botanici vocare solent cuminum sativum, vel Romanum, vel cuminum semine longiore. Ol. Celsius, in Hierobotan. P. I. p. 516. sqq. Ex mandato divino omnium frugum decima erat solvenda. Quaestio autem fuit de oleribus, an lege decimarum comprehenderentur? Pharisaei affirmabant. Addita erat haec decimatio a Rabbinis *Babyl. Ioma* fol. 83, 2. Christus ut τὸ ἀκριβὲς Pharisaeorum in Rebus istiusmodi ostenderet, minutiora olera speciatim nominavit. Decimarum persolutionem non simpliciter reiicit, sed reprehendit Pharisaeos, quod eam potissimum cum praeiudicio et fraude praestantiorum praeceptorum sectarentur. ἀφῆκατε — πίστιν) *Negligitis graviora legis praecepta, iustitiam, humanitatis officia, et erga alios homines fidem.* Verbum ἀφίημι h. l. sine dubio exprimit hebraicum עָזַב, quod etiam significat *missum facere*, et ab Alexandrinis καταλείπω et ἀφίημι vertitur; inprimis de neglectu divinorum praeceptorum usurpatur 2 Reg. XVII, 16. Τὰ βαρύτερα maioris momenti praecepta, et praestantiora, sed et *difficiliora*, ad quae servanda requiritur cupiditatum moderatio, et pravos effectus vincendi severum studium. Nam graeca vox βαρὺ utrumque significat, *praestans*, et

id

id quod est difficile. Huiusmodi praestantiora et difficiliora praecepta statim nominatur. Κρίσις, ut hebr. מִשְׁפָּט sumitur modo latius, ut omnia hominum inter se officia comprehendat, modo strictius, ut ea denotet, quae iure exigi possunt, opposita misericordiae sive beneficentiae. Ὁ ἔλεος, humanitatis officia. Desumta esse videntur haec verba ex Mich. VI, 7. πίστις h. l. videtur esse *fides et obsequium erga Deum*, et *fides erga homines*, *Treu und Glaube*, אֱמוּנָה, Ierem. V, 1. Lucas c. XI, 42. habet τὴν ἀγάπην τοῦ Θεοῦ. ταῦτα ἔδει ποιῆσαι) Non definit Christus iuris controversiam, sed hoc dicit: quando ita vobis lubet legem interpretari, praestandum quidem illud fuerat, sed ita, ut maiora ac potiora non omitterentur.

24. Διυλίζοντες — καταπίνοντες) i. e. *In minutis rebus dubii et anxii haerentes, at res gravissimas temere negligentes.* Nam τὸ *percolare culicem et camelum deglutire* proverbiale est, denotatque in rebus minimis superstitionem, rerum autem graviorum neglectum. Praeterea etiam κάμηλον καταπίνειν pertinet ad locutiones hyperbolicas. Κώνωψ hic *culicem* significari *vinarium*, qui in vino acescente natus, eodem alitur et nutritur. Iudaei colo aut sudario vinum percolare solebant, ne culex vinarius, aut aliud quoddam animalculum immundum ab incautis deglutiretur. Vid. Buxtorf. ad rad. חָנַן. Hinc factum est, ut Phrasis Rabbinica חָנַן יַבְחוּשִׁין διυλίζειν κώνωπα et figurate acciperetur, et quidem ita, ut significaret a peccatis levioribus cavere, ut interim graviora admittere non dubites. Ceterum ipsum quoque illud *peccata graviora admittere* peculiari Phrasi, figurate expressum est: καταπινειν τὴν κάμηλον. *Ioh. Vorstius* de Adagiis N. T. p. 771. edit. *Fischeri*.

25.

25. Καθαρίζετε — ἀκρασίας) *Purgatis externum poculi et patinae, quod autem intus est, plenum est rapinae et intemperantiae;* i. e. cibus et potus in patinis et poculis, inique a vobis est acquisitus, et intemperanter a vobis deglutitur. Τὸ ἔσωθεν est *cibus ac potus*, qui in paropside et poculo continetur. Potus et cibus per metonymiam dicitur γέμειν ἐξ ἁρπαγῆς, quando comparatus est pro pecunia, maximam partem per rapinam, per oppressionem viduarum et orphanorum parta; idem dicitur γέμειν ἐξ ἀκρασίας, quando intemperanter abliguritur et absumitur. Pro ἀκρασίας tamen habent ἀδικίας codices plurimi et optimi; quae lectio etiam in nonnullis versionibus et patribus extat, et omnino praeferenda esse videtur. Tum ἀδικία est cibus et potus iniustis artibus acquisitus. Alii ob locum parallelum Luc. XI, 39. ubi legitur τὸ τὲ ἔσωθεν ὑμῶν, his verbis hunc inesse sensum putant: Quum corpus lavatis, animo non purgato, tantumdem agitis, ac si diligenter lavaretis patinas et pocula, quum interim cibus et vinum plene essent impurae fecis. Scriptores enim nostri saepe partes comparationis permiscent, quando alterum ex altero facile potest intelligi. Sic etiam h. l. externa et interna poculi immundities cum ea, quae est in animo, permiscetur. Plena oratio fuerat: ἔσωθεν δὲ γέμεσι τὰ ποτήρια καὶ οἱ πίνακες ἀκαθαρσίας. ἔτως καὶ ὑμεῖς τὸ μὲν ἔξωθεν καθαρίζετε, ἔσωθεν δὲ γέμετε ἐξ ἁρπαγῆς καὶ ἀκαθαρσίας. Sed prior explicatio praeferenda esse videtur. Nam Hebraei nunc a re comparata ad imaginem, (c. XIII, 22.) nunc ab imagine ad rem comparatam redeunt, ut Rom. IX, 33.

26. Καθάρισον — καθαρὸν) i. e. *cura inprimis, ut cibus et potus qui in patinis et poculis continetur, legiti-*

gitime sit acquisitus; tum enim externum vasorum purum erit, non tibi nocebit. Τό ἐντὸς τῦ ποτηρίε est id, quod in poculo continetur, *potus.* Καθαρίζειν potum et cibum, nihil aliud est, nisi curare ut legitime ac iuste sit acquisitus. Τὸ ἵνα h. l. sumitur ἐκβατικῶς, et innuitur quid futurum sit, si Pharisaei et legisperiti iusto et legitimo modo sibi comparaverint ad usum vitae necessaria ac iucunda; nihil nimirum tum ab externa patinarum et poculorum immunditie esse metuendum, siquidem animus sibi bene conscius nulla re coinquinetur.

27. Τάφοις κεκονιαμένοις) *Sepulcris dealbatis.* Κονιάζειν, *calce obducere, dealbare.* Iudaei sepulcra solebant signare calce, tum ornamenti caussa, tum ne quis imprudens locum calcaret atque pollueretur, ut *Wetstenius* ex Scriptis Iudaeorum ostendit. Prohibitum nempe erat Iudaeis, loca immunda adire, in quod eo usque Rabbinistae extendebant, ut tota sepulcri longitudo, quae e. g. in spelunca vel agro erat, et sub terra longius protendebatur, immunda quoque iudicaretur. Ne igitur Iudaei polluerentur, tantum spatii, quantum sepulcrum intus complectebatur, exterius quoque in superficie et lateribus calce oblinebatur.

29. Ὅτι οἰκοδομεῖτε – δικαίων) *Nam vatum sepulcra instauratis, et exornatis monumenta piorum* insontium, iniuste peremtorum. Οἰκοδομεῖν hic est *instaurare*, et reaedificare, ut hebr. בָּנָה Ier. XXXI, 38. Κοσμεῖν τὸ μνημεῖον τινὸς apud Graecos significat, sepulcrum alicuius quocumque honore afficere, omnes observare ritus qui in honorem mortui vel in ipsa sepultura vel post eam solemnes sunt. Vid. *Kypkii* observatt. ad h. l. Tales ritus et honores apud Iudaeos erant frequens aedificatio

catio synagogarum et consuetudo preces fundendi apud maiorum sepulcra, rogandique mortuos, ut pro orantibus apud Deum intercedant; recitatio laudum maiorum etc. Vid. VITRINGA *de synagoga vetere* Lib. I. Part I. c. 2. p. 219 – 24. Aliis κοσμεῖν h. l. est in sepulcris dealbatis ponere *cippos*, στήλας, i. e. columellas cum memoria et titulo aliquo. 1 Maccab. XIII, 27. sqq. Ceterum Christus non simpliciter taxat Iudaeorum erga Prophetas et pios reverentiam, sed hypocrisin, quam in hac etiam re ostendebant. Vultis quidem, inquit, videri magni facere prophetas aliosque Dei servos, quorum monimenta non sine ostentatione reficitis, sed nihilo meliores estis, quam illi erant, qui eos interfecerunt. Iam enim animo geritis, quod brevi prodituri estis reipsa. Idem meditamini, quod illi faciebant.

30. Εἰ ἤμεν — τῶν προφητῶν) *Si maiorum nostrorum aetate vixissemus, non fuissemus eorum socii in occidendis prophetis.* Pro ἤμεν optime codices habent ἤμεθα, e dialecto Alexandrina, quae imperfectum ἤμεν pro ἦν frequentat. Εἶναι h. l. est *vivere, in vivis esse.* Vid. supra c. II, 18. ἐν τῷ αἵματι) *in caede* Sicut enim Graeci φόνον dicunt ἀντὶ αἵματος, ita Hellenistae αἷμα ἀντὶ φόνου, quia caedes plerumque non sine sanguine patratur.

31. Ὥστε — τῶν προφητῶν) *Igitur ipsi adversus vos testes estis, filii quod sitis eorum, qui interfecerunt Prophetas.* Genuini parentum vestrorum estis filii, ut natura, ita ingenio et indole. Ἑαυτοῖς, *contra vos ipsos.* Nam hebr. ל interdum vertendum est: *contra*, ut Ier. I, 18. Cf. Marc. VI, 11. cum Luc. IX, 5. Elegantissime hoc a Salvatore dicitur, aliquam habens aequivocationem. Nam et eorum ab illis parricidis originem

ha-

natalesque ducendos, et imitationem operum eorundem, similitudinemque ingenii atque morum significare potest.

33. Καὶ ὑμεῖς πληρώσατε τὸ μέτρον τῶν πατέρων ὑμῶν) *Vos maiorum vestrorum impietatem et contumaciam, vestra ipsorum improbitate augete;* supplete, quod maioribus vestris ad improbitatem deest. Quando vultis, hoc agite. Ita modum imperativum non raro usurpant Hebraei. Q. d. Pergite vos quoque imitari maiores vestros, ut tandem vestra improbitas ad summum gradum perveniat. Rabbini dicere solent: Deus non capit ultionem ab hominibus, donec impleta fuerit mensura eorum. Vid. *Buxtorfii* Lex. Talm. sub voce סְאָה. Pro πληρώσατε Codices quidam, sed pauci, habent ἐπληράσατε. Sed recepta lectio genuina esse videtur. Nihil tamen impedit, formae imperativi ex Hebraismo significationem praesentis tribuere, ut sensus sit: *Etiam vos impletis mensuram, cui implendae operam iam navaverant patres vestri.* Facitis eadem quae illi faciebant.

33. Ὄφεις — τῆς γεέννης) *O gens pessima, ac vere viperina natio, quomodo gehennae supplicium effugietis?* Sensus est: *Homines pessimi, maiorum pessimorum posteri, minime effugietis poenam gravissimam.* Ὄφεις vocat Iesus Scribas et Pharisaeos ob nocendi et occidendi libidinem, et falsae doctrinae venenum. Γεννήματα ἐχιδνῶν, *genimina viperarum,* pessimorum hominum progenies. Cf. Matth. III, 7. πῶς — γεέννης; *Tales quum sitis, qui fieri potest, ut gravissimum non huius tantum, sed et alterius seculi supplicium evitetis?* Minime effugietis. Κρίσις τῆς γεέννης, poena gravissima, inprimis alterius seculi. *Iudicium gehennae* frequentissima Rabbinis phrasis. Vid. loca, quae *Wetstenius* e Rabbinis ad h. l. congessit.

34.

34. Διὰ τοῦτο) Operose interpretes in his particulis connectendis laborarunt, hoc spectantes, ut ne ex verbis Christi perperam aliquis colligeret, Christum ipsum causam esse velle exitii hominum illorum, mittendo servos suos eo fine, ut illos occidendo praecipites in perditionis barathrum se coniicerent. Facillime rem expedire videtur GOTTFR. OLEARIUS in *observatt. sacr.* ad h. l. Videtur nempe Matthaeus in mente habuisse hebraicam particulam בָּזֹאת significatu eo, quo idem sit, quod *posthac* vel *interea*, cuius usus plurima exempla concordantiae Noldianae suggerere possint, et quam Scriptores N. T. voculis ἐν τούτῳ, ἐπὶ τούτῳ reddere, invenias. Potest etiam esse pleonastica formula transitionis. Cf. Marc. XII, 24. et Matth. XXII, 29. THALEMANNUS vertit: *Enimvero e Prophetis, viris sapientibus ac doctoribus, quos ad vos ablegabo, multos vel occidetis atque ad crucem agetis, vel flagellabitis in synagogis vestris, atque per singulas urbes divexabitis.* προφήτας, καὶ γραμματεῖς) Hoc dicit Christus, legatos, qui ad ipsos venturi essent, nihilo minores fore iis, quos vocabant prophetas, aut humana sapientia pollentes, quos appellabant γραμματεῖς, סֹפְרִים, et eorum principes, σοφὸς, חֲכָמִים. Hoc autem eo pertinet, ut, si eos non audiant, sint inexcusabiles, et ex eo iudicio, quod ipsi in parentes suos ferebant, se ipsos condemnarent. Ἐξ αὐτῶν, pro τινὰς ἐξ αὐτῶν, ad imitationem hebraici מֵהֶם, Nam. XXI, 1. σταυρώσετε) Efficietis calumniis, ut Romani quosdam cruci affigant. Non extat quidem exemplum huius rei in historia; sed plura monumenta historica ad nostram aetatem non pervenerunt.

35. Ὅπως ἔλθῃ — γῆς) *Unde etiam poenas dabitis omnium caedium in iustis et probis hominibus un-*

unquam perpetratarum. Ὅπως hic, ut saepe sumitur ἐμβατικῶς, ut innuat *eventum*, et sensus sit: *Unde eveniet* etc. Αἷμα, hebr. דָּם et in plurali דָּמִים non tantum *caedem*, sed etiam, ut hic, *caedis poenam* significat. Αἷμα δικαίου per hypallagen est poena homicidiorum in probis hominibus perpetratorum. Τὸ αἷμα ἔρχεσθαι ἐπί τινα dicitur ex Hebraismo, ut Levit. XX, 9. 11. ubi Alexandrina versio phrasin דָּמִין בּוֹ reddit: ἔνοχος ἔσται. Ἐκχυνόμενον h. l. est pro praeterito, ut alibi pro futuro. Sensus igitur huius loci est: tam horribiles fore ludaeorum poenas (in excidio Hierosolymitano) ut sufficere posse videantur luendis homicidiis omnibus, quae usquam in probis et innocentibus hominibus essent perpetrata. Nec immerito. Nam iure aggravat hoc reum, si, longam seriem punitorum videns, ne sic quidem passus est se a simili delicto absterreri. Id enim animum inemendabilem prodit, atque serveriori supplicio dignum est Ἀπὸ τοῦ αἵματος — θυσιαστηρίου) *A caede pii Abelis usque ad caedem Zachariae, Barachiae filii, quem necastis inter aedem et aram.* Quis sit Zacharias, de quo h. l. sermo est, dubitant interpretes. Plerique respici censent Zachariam, cuius historia narratur 2 Chron. XXIV, 19—25. nec obstare putant, quod ibi non Barachiae sed Iojadae filius appelletur; multis enim exemplis constare, quod binomines fuerint inter Iudaeos. *Hieronymus* notat, in Evangelio Nazaraeorum pro filio Barachiae filium Ioiadae fuisse scriptum. Alii υἱὸν h. l. interpretantur *nepotem*. Alii aliter. Posset etiam accipi de Zacharia propheta, cuius vaticinium adhuc extat. Quanquam enim in libris V. T. de caede huius Prophetae nihil legimus, potuit tamen huius rei memoria conservari per traditionem. Res tamen manet incerta. Cf. *Michaelis* ad h. l. μεταξὺ τοῦ

ναοῦ

ναὸς καὶ τὸ θυσιαστήριον) Facta est caedes in subdiali, quod חָצֵר vocant Hebraei, αὐλὴν Graeci, Iosephus ὕπαιτρον, in quo erat altare holocaustorum, ita ut subdialis pars aliqua inter altare et aedem templi, quae hic ναὸς stricte dicitur, Hebraeis הֵיכָל, intercederet. Inter aedem et altare fuerunt XI. cubiti, pro ambulacro sacerdotum.

36. Ἐπὶ τὴν γενεὰν ταύτην) γενεὰ hebr. דּוֹר. Dicit Christus, fore, ut eius ipsius aetatis plerique hoc horrendum Dei iudicium experirentur. De phrasi cf. Ier. LI, 60. et vers. Alexandr.

37. Ἱερουσαλήμ) i. e. Ἱεροσολυμῖται. ἡ ἀποκτείνουσα τοὺς προφήτας) Ut *Iesaiam*; sed et alios, quorum non extant nomina. Hoc crimen saepe commissum esse a Iudaeis, patet ex Nehem. IX, 29. 1 Reg. XVIII, 13. XIX, 10. 14. Ier. II, 30. XXVI, 23. τοὺς ἀπεσταλμένους) Ita vocat eos, qui prophetae ordinarii non erant, sed ad tempus divino spiritu induebantur, qualis ille *Zacharias*. πρὸς αὐτὴν) Locutio Orientalium populorum, qui primae et secundae personae post pronomen relativum aut participium subiungunt verba aut pronomina personae tertiae. ποσάκις — πτέρυγας;) *Quoties volui incolas tuos* (cives tuos) *congregare* (ad me) *quemadmodum gallina suos pullos sub alas congregare solet.* Ὄρνις, *avis, volucris,* per synecdochen *gallina.* Vid. SCHLEUSNERI Lex. sub hac voce. Sensus est: *Quoties benevolentiam meam atque tutelam tibi obtuli!* Protegere te volui ut gallina pullos suos alis tegere solet. τὰ τέκνα σου, i. e. *incolas tuos,* indigenos et exteros; nam τέκνα h. l. sunt incolae, ut Zachar. IX, 13. Incolae autem Hierosolymorum hic vocantur Iudaei omnes, quorum metropolis erat Hierosolyma, quo conveniebant omnes sacrorum iudiciorumque caussa,

quo et belli tempore receptum habebant. Hos Christus iam toto triennio multis miraculis, multis adhortationibus ac comminationibus ad veram poenitentiam et fidem perducere studuerat, ut eos hac ratione ab imminenti ira divina liberaret, Nam hoc est sub alas congregare. Similis phrasis occurrit Deut. XXXII, 11.

38. Ἰδὲ ἀφίεται ὑμῖν ὁ οἶκος ὑμῶν ἔρημος) Οἶκος explicari potest de *republica Iudaica*. Saepissime οἶκος denotat *familiam*, gentem. Sic Exod. I, 21. Deus benefecisse obstetricibus, ac fecisse eis domos dicitur, i. e. *gentem earum auxisse et propagavisse*. Sed 1 Reg. XI, 38. οἶκος de imperio, per successorum unius stirpis seriem retento, dicitur. Cf. Ps. CXII, 2. 3. Tota gens Israelitica consideratur ut domus seu familia, e qua paterfamilias sublatus est, vel quae prole mascula caret, cui certissimus interitus imminet, cuiusmodi domus apud Graecos passim ἔρημος vocatur. Hanc interpretationem multis argumentis confirmavit Christoph. Frid. Loesnerus in commentatione *de domo orba*, Lips. 1796. Aliis ὁ οἶκος h. l. est *templum Hierosolymitanum*, ut sensus sit: *Ecce, haec ipsa domus inanis iam vobis et deserta relinquitur.* Ἔρημος fit domus, ubi ab habitatoribus suis deseritur, quam desertionem denique eius ἐρημία, quum nemo sit, qui curam eius habeat, ruinae atque omnimoda destructio sequantur necesse est. Vanissimam nempe illam Iudaeorum fiduciam esse Iesus ostendit, qua fieri non posse putabant, ut hancce gloriae suae sedem desereret Deus, nominisque sui hostibus proculcandam permitteret. Haec interpretatio ob comma 39. praeferenda esse videtur.

39. Λέγω — ἀνρίς) *Scitote enim, ab hoc temporis momento vos non amplius visuros esse me* (in hoc ve-

vestro templo) *donec me pro Messia agnoveritis; i. e. nunquam* me posthac in templo videbitis. Sic interpretandum difficilem hunc locum esse putarem. Per particulam γὰρ verba haec cum v. 38. connectuntur, ubi Christus dixerat, domum hanc (templum) mox relinquendam esse desertam. Haec praedictio per gradus impleta est; et primus gradus erat, quod ipse Iesus templo praesentiam suam subtraxit. Verba igitur: ἀ μή με ἴδητε ἀπ' ἄρτι, ita restringenda sunt, ut sensus sit, Pharisaeos eum non amplius visuros esse in domo, in qua tum una erant, nempe in templo. Verbis ἕως ἄν — κυρίε alludere videtur Iesus ad acclamationem populi (c. XXI, 9.) publice eum declarantis pro Messia. *Non videbitis me*, inquit, donec mihi acclamaveritis: *Benedictus*, etc. i. e. *nunquam* me hic conspicietis. Nam accurate sciebat, Pharisaeos eum nunquam agnituros esse pro Messia. Simili sensu usurpatur ἕως ἄν Matth. V, 26. Est ergo hoc acute dictum. Innuit autem Iesus simul verbis his (comm. 38. 39.) fore, ut Deus locum illum plane deleret, iusti iudicii daturus exemplum. Grotius verba ἕως ἄν εἴπητε explicat: *donec libenter admodum dicturi sitis*, et Iesum dicere existimat, venturum tempus, quum libenter ipsi ea usuri sint acclamatione, qua nuper pueri usi fuerant, si ea ratione ipsius gratiam possent eblandiri. *Moldenhawerus* coniunctionem γὰρ urgens, ita interpretatur: *Dico enim vobis, vos ex hoc tempore non experturos esse auxilium meum*, (vel *gratiam meam*) *nisi dixeritis: Benedictus etc.* i. e. nisi me agnoveritis pro vero Messia.

CAP. XXIV.

1. Καὶ ἐξελθὼν — τοῦ ἱεροῦ) Audiverant discipuli Dominum dicentem (c. XXII, 38. 39.) ad ruinas suas spectare

templum mox praesidio divino nudandum. Quare unus ex iis (Marc. XIII, 1.) nomine omnium, operis magnificentia et firmitate oculos habens praestrictos, monstrandum Salvatori existimavit, quantum opus sit, quod oraculis suis destruat. Monstravit ei aedificia templi magnifica, ut solent, qui operis alicuius magnitudinem et firmitatem admirantur. Cf. Luc. XXI, 5.

2. Ὀυ — ταῦτα;) Nunc quidem adhuc videtis haec magnifica templi aedificia; sed breve post tempus, omnia devastabuntur. Quaestio affirmat, ut saepe. Ἀμὴν — καταλυθήσεται) *Vobis hoc confirmo, fore, ut omnia ista funditus evertantur.* Phrasis est hebraica, (2 Sam. XVII, 13.) in qua aliquid est ὑπερβολῆς. Hoc dicitur, templum penitus destructum iri.

3. Πότε ταῦτα — τῆ ἀιῶνος;) *quonam tempore haec evenient, et ex quibusnam signis adventus tuus interitusque mundi dignoscetur?* Interrogant discipuli primum de *tempore,* quo Christi praedictio excidium templi concernens eventum esset habitura. Porro quaerunt, *quodnam praesentiae Christi futurum esset signum?* Denique etiam συντέλειαν τῆ ἀιῶνος commemorant. Hanc vocem in N. T. de fine mundi accipi Matth. XIII, 39. 40. 49. cap. XXVIII, 20. aliisque locis, certum est. Loquuntur discipuli ex sensu gentis suae. Doctrina nempe *Iudaica* de adventu Messiae erat haec: Messias resuscitabit iustos, deinde mundus vastabitur per millenium, et novus introducetur per istud millenium. Vid. Lightfoot hor. hebr. ad h. l. Putabant igitur discipuli post templi destructionem statim secuturum esse huius mundi interitum, et novi mundi initium. Hoc vero loco per συντέλειαν τῆ ἀιῶνος intelligi finem seu consummationem illius aevi, quo status Reipublicae, sacrorumque Iudaicorum

rum persistere debebat, interpretes haud pauci cum HAMMONDO et CLERICO volunt. Hoc sensu sumitur Hebr. IX, 26. coll. 1 Cor. X, 11. Si hoc sumitur, non tres diversae quaestiones hoc v. proponuntur, sed παρουσία Christi, excidium templi et συντέλεια αἰῶνος sunt unum idemque, atque adeo Christus tantum de templi et urbis Hierosolymitanae excidio hic agit. Τὴν παρουσίαν τοῦ Χριστοῦ, et τὴν συντέλειαν τοῦ αἰῶνος esse synonyma, ex eo etiam patet, quod *Marcus* c. XIII, 4. habet: πότε ταῦτα ἔσται, καὶ τί τὸ σημεῖον, ὅταν μέλλῃ πάντα ταῦτα συντελεῖσθαι, *Lucas* autem: (c. XXI, 7.) πότε οὖν ταῦτα ἔσται; καὶ τί τὸ σημεῖον ὅταν μέλλῃ ταῦτα γίνεσθαι; De παρουσία Christi, arctissime cum interitu rerum Iudaicarum et συντελείᾳ τοῦ αἰῶνος τούτου iuncta cf. *Eichhorn* Bibl. der bibl. Litterat. III, 669. sqq. *T. C. Tychsen* Pr. de παρουσία Christi, et notionibus de adventu Christi in N. T. obviis. Goett. 1785. 4. De universo hoc loco cf. *I. N. Milow* über Matth. 24. und 25. in *Henke* Magaz. VI, p. 548. et *Ammon* über die Aeusserungen Iesu von seiner Zukunft zum Weltgerichte, Neues theolog. Iournal, III, 185. sqq.

4. Καὶ ἀποκριθεὶς — πλανήσῃ) *Iesus autem respondit: Videte, ne quis vos decipiat*, ne quis impostor vobis persuadeat, se esse Messiam. (v. 5.) Hanc cautionem Christus praemittit suae responsioni, quia discipuli, communi Iudaeorum occupati errore arbitrabantur, Messiam praesentem Gentium victorem extiturum, atque triumphorum suorum celebritate universum, qua patet, orbem esse impleturum; porro ex eius victoriis profundissimam pacem regni eius esse extituram, in qua felicissima futura esset eorum, qui in partes regni eius venirent, Apostolorum et discipulorum, conditio; tum denique unam veram religionem, sublato omni dissensu, idololatria et falsa pro-

phe-

phetia omni submota, orbem terrarum esse occupaturam. Hanc vero παρσίαν illustratura esse signa quaedam luculenta, vel extraordinarios quosdam eventus, quibus adesse iam eum ad regnum eiusmodi capessendum constet, recepta tum fuit, et hodie adhuc est Iudaeorum opinio, quam maioris illustrationis caussa ex recentiorum Iudaeorum scriptis proposuit, et in retro elapsorum seculorum historia et in monimentis Scripturarum accurate investigavit GOTTFR. OLEARIUS in observatt. sacr. ad Matthaeum, p. 671. sqq. Christus igitur ostendit discipulis, talem, qualem illi exspectarent παρσίαν eius frustra iam tum sperari, atque serio hortatur, ne imponi sibi a quopiam patiantur: Βλέπετε, μή τις ὑμᾶς πλανήσῃ.

5. Πολλοὶ — ὁ χριστὸς) *Multi sibi meam dignitatem arrogabunt se venditantes pro Messia.* Ὄνομα, שֵׁם, h. l. est *dignitas.* Ἔρχεσθαι ἐπὶ τῷ ὀνόματι τίνος est, *nomen et dignitatem alicuius usurpare, sibique vindicare; dignitatem alicuius iactare. Messiae* nomine populus iudaicus intelligebat vindicem libertatis. Luc. XXIV, 21. Quare quicunque se missos divinitus liberatores populi Iudaici dicebant, eo ipso *Christos* se profitebantur, et erant ψευδόχριστοι. Tales erant ii, quorum fit mentio Act. V, 36. 37. VIII, 9. 10. XXI, 38. *Ioseph.* B. I. II. 13. 4. Antiq. XX, 5. 1. καὶ πολλὰς πλανήσασι) Multos spe falsa illectos in exitium abripient, ut ex citatis locis apparet. Praedicit igitur Christus, futuros quidem esse, qui pro ipso gerere se audeant, se vero nuspiam sensibus suorum fore deprehendendum, Vid. tamen EICHHORNII *Allgem. Biblioth. der bibl. Litteratur*, Tom. III. p. 669. sqq. qui arbitratur, hoc et sequentibus versibus contineri tantummodo descriptionem calamitatum,

tum, quae excidium Hierosolymitanum antecessurae essent, poëtice expressam, more prophetarum, qui ornamentis orationis uti solent; commonere voluisse Iesum discipulos, ne quamvis calamitatem pro initio ultimi fati urbis haberent, sed firmiter sibi persuaderent, coeptam urbis obsidionem unicum fore signum consummationis rerum Iudaicarum; igitur non opus esse, ut ex historia ostendatur, quomodo singulae partes huius vaticinii eventum habuerint, sed solam universam notionem multarum magnarumque calamitatum cum respectu ad opiniones Iudaicas esse tenendam. Nos haec aliis examinanda relinquimus.

6. Μελλήσετε — μὴ θροεῖσθε) *Ubi vero bella bellorumque rumores audiveritis, ne animum despondeatis.* Quod attinet ad πολέμους, Wetstenius intelligit bellum Asinaei et Alinaei fratrum Iudaeorum cum Parthis in Mesopotamia et Babylonia gestum, quo ter praelio dimicatum est, narrante *Iosepho Ant.* XVIII, 9. 1. Verum quidem est, quod *Eichhornius* l. c. monet, haec bella proxime cum fatis Iudaeorum non fuisse coniuncta; sed videbantur tamen ipsi Palaestinae periculosa esse. Praeterea etiam bella minora gerebantur, quae magis ad Iudaeos spectabant. Vid. *Michaelis* ad h. l. *De rumoribus bellorum Westenius* exempla refert. Sic Bardanes et post eum Vologeses Izati Adiabenorum regi, Iudaeo, bellum indicunt, irrito conatu. *Ioseph. Anton.* XX. 3. 3. Isti rumores suspendebant animos Iudaeorum in Palaestina. Ios. B. I. II. 16. Potest etiam huc referri *metus belli a Caio*, quum imaginem suam templo inferre pararet. ὁρᾶτε μὴ θροεῖσθε) *Ne despondeatis animum.* Μή, sive praecedant imperativi βλέπετε, ὁρᾶτε, προσέχετε, sive omittantur, construitur non tantum cum subiunctivo, quod frequen-

quentius fieri solet, sed etiam cum imperativo, ut ostendit *H. Hoogeven in doctrina particularum graecarum.* Non igitur opus est, ut vel cum *Henr. Stephano* post ὁρᾶτε ponamus comma, vel cum *Beza* et *Bowyero* legamus θροῆσθε, et ἵνα subintelligamus. δεῖ γὰρ πάντα γενέσθαι) Δεῖ spectat Dei consilium, sapienter permittentis ea mala, ad quae Iudaei sua sponte ferebantur, quo magis iustitia ipsius patesceret. ἔπω ἐστὶ τὸ τέλος) *Sed nondum adest finis*, i. e. interitus reipublicae. Nam τὸ τέλος h. l. est finis Hierosolymorum et civitatis Iudaicae. Haec bella, et rumores de bellis non esse signa (inquit Iesus) totalis exitii reipublicae Iudaicae imminentis; nondum tunc fugiendum esse e Palaestina.

7. Ἐγερθήσεται γὰρ ἔθνος ἐπὶ ἔθνος) Significat Iudaeos, et qui aliorum erant gentium iisdem in civitatibus morantes, mutuis inter se caedibus collidendos; quod contigit Caesareae primum, deinde Scythopoli, Ptolomaide, Tyri, Gadaris, rursum Alexandriae, deinde et Damasci. βασιλείαν ἐπὶ βασιλείαν) Significat *tetrarcharum aut provinciarum aperta inter se bella*, Nam βασιλεία ex more hebraici sermonis interdum est *praefectura quaevis.* Huc referri debet Iudaeorum in Peraea habitantium bellum adversus Philadelphenos ob finium controversiam, *Cuspio Fado* procuratore; Iudaeorum et Galilaeorum bellum adversus Samaritas procuratore *Cumano* etc. De his et aliis tumultibus legendus est omnino Iosephus *de B. Iud.* Lib. II, cap. XII – XVI. Ceterum Iudaei etiam tempora Messiae sic descripserunt. *Sohar chadasch* fol. 8. 4. „illo tempore bella in mundo excitabuntur, gens erit contra gentem et urbs contra urbem: angustiae multae contra hostes Israëlitarum innovabuntur.„ *Breschit rabba*, sect. 42. fol. 41. 1. „dixit R. Eleasar filius Abina: Si vide-

videris regna contra se invicem insurgentia, tunc attende et aspice pedem Messiae.„ *Pesikta rabbathi*, fol. 2. 1. et 28. 3. "R. Levi dixit: statim cum temporibus Messiae pestis venit in mundum, et impii per eam consumentur.„ Cf. *Theologie des alten Test.* etc. Lips. 1796. 8. §. 187. p. 420. *Καὶ ἔσονται — κατὰ τόπους.) Et fames erunt et pestilentia et motus in diversis locis.* Λιμοὶ καὶ λοιμοὶ saepe iunguntur, ut 2 Chron. XX, 9. Ierem. XIV, 12. XXI, 7. et in proverbio dicitur: μετὰ λιμὸν λοιμός. *Fames* erat *Claudii* tempore. Act. XI, 28. Per σεισμοὺς plerique intelligunt *motus terrae*, omisso τῆς γῆς. Quum vero sub initiis huius calamitatis terrae motum in Iudaea extitisse non satis constet, alii malunt σεισμοὺς interpretari vel de motibus bellicis, vel de animi commotionibus. Κατὰ τόπους, non ubique terrarum, et singulis locis; sed variis, diversis locis. Hi autem terrae motus a Christo praedicti partim in Claudii, partim in Neronis tempora inciderunt. Potuerunt etiam extitisse fames, pestes, terrae motus, de quibus illius temporis scriptores nihil memoriae prodiderunt.

8. Ἀρχὴ ὠδίνων.) *Initium calamitatum.* Saepissime in Psalmis et Prophetis maximi dolores doloribus parturientis comparantur. Vid. Exod. XV, 14. Ies. XIII, 8. XXVI, 7. ubi ὠδῖνες, חִיל, חֲבָלִים signifícant *trepidationem*, *angorem*, *miseriam.* Sed plus hic dicit Christus: ea nempe, quae iam memoravit mala, adeo suprema non fore, ut primis demum doloribus pariturae mulieris conferri debeant, post quos dolor multo gravior in partu ipso sequitur.

9. Τότε) i. e. *circa ista tempora*; ita enim solet τότε laxius accipi. Nam quae sequuntur, partim ante iam narratas Iudaeorum calamitates (quod Lucas hoc loco aperte

te significat,) partim inter eas acciderunt. Nunc igitur docet Iesus, non tam iucundam fore eorum, qui in partes regni eius venturi essent, Apostolorum et discipulorum conditionem, ut ipsi tum sperabant, sed multis vexationibus et calamitatibus eos fore obnoxios. παραδώσουσιν ὑμᾶς εἰς θλῖψιν) *Vehementer affligent vos*, tormentis tradent, periculis obiicient vos. θλῖψις sunt *flagra*, *carcer*, *aliaeque id genus vexationes*. καὶ ἀποκτενοῦσιν ὑμᾶς) efficient, ut quidam vestrum, ἐξ ὑμῶν, ut *Lucas* inquit etiam interficiantur, sive populari tumultu, ut *Stephanus*, sive iudicii specie, ut *Iacobi* duo. Καὶ ἔσεσθε — ὄνομά μου) *Et invisi eritis omnibus gentibus mei caussa*, ob publicam disciplinae meae professionem. De phrasi διὰ τὸ ὄνομά μου, vid. supra c. X, 22. XIX, 29. Cf. 1 Petr. IV, 16. Non in Iudaeorum tantum venietis odium, sed et aliarum per orbem gentium. Quod coepit maxime sub Nerone, qui incensae a se urbis rumori Christianos, ut Tacitus narrat, reos subdidit, et quaesitissimis poenis affecit.

10. Σκανδαλισθήσονται πολλοί) Conspecto isto omnium gentium adversus Christianos odio, multi a Christianismi professione deficient. De significatione verbi σκανδαλίζεσθαι vide notata supra ad c. XVIII, 6. V, 29. καὶ ἀλλήλους παραδώσουσι, καὶ μισήσουσιν ἀλλήλους) Vox ἀλλήλων hic latius ponitur, pro eo quod diceremus, *alter alterum odio habebit, ac tradet*. Sensus est, futurum, ut Christianorum alii alios tradant, nimirum hi, qui a Christianismo deficiunt, eos, qui perseverant.

11. Ψευδοπροφῆται) *Falsi magistri*, inter ipsos Christianos. Sicut προφῆται dicebantur Hebraeis non hi tantum, qui praedicebant futura, sed et qui legem interpre-

pretabantur; sic etiam Christianorum doctores vocantur προφῆται.

12. Καὶ διὰ — τῶν πολλῶν) *Et propter ingravescentem malitiam refrigescet amor multorum.* Ἀνομία, *legum negligentia, licentia, factionum studium.* Ἀγάπη, *benevolentia, sensus humanitatis.* Sermo est de eo, quid eventurum sit inter ipsos doctrinae christianae professores. Multi inter hos, quum videbunt, se ab illis, quos sanctissimos et coniunctissimos habebant, prodi, nemini amplius fident et sibi solis consulere studebunt; ne beneficia in ingratos collocantos, aut sibi hostem statim emant, aut ipsi tandem egeant.

13. Ὁ δὲ ὑπομείνας εἰς τέλος, οὗτος σωθήσεται) τέλος h. l. *de fine reipublicae Iudaicae, et destructione Hierosolymorum* capiendum esse videtur, (ut v. 6. 14.) ita ut sensus sit: qui ad excidium usque Hierosolymorum, atque adeo ad finem reipublicae Iudaicae, in fide, sanctitateque vitae permanserit, is servabitur, s singulari Dei providentia incolumis salvusque evadet: quam Christi praedictionem eventum suum habuisse, docet historia de Pella, urbe Decapoleos, et locis montanis, quo homines pii, in ipso illo funestissimo bello Hierosolymitano, se contulerunt, stragemque communem evitarunt, auctore Eusebio H. E. Lib. III. c. 5. Posset vero εἰς τέλος verti *perpetuo, constanter,* et σώζεσθαι intelligi de omni illa salute et felicitate, quam religio praestat fidelibus suis cultoribus et in hac et in futura illa vita. Sensus tum esset: *Qui constans perseveraverit* (in tolerandis malis ob religionis meae professionem) *is salutem et felicitatem consequetur* cultoribus meis paratam. Haec explicatio praeferenda esse videtur.

14.

14. Καὶ κηρυχθήσεται — τοῖς ἔθνεσι) *Et promulgabitur haec doctrina de regno Dei* (haec religio mea) *in universo imperio Romano, ut gentes quoque exterae ea imbuantur.* Quid sit τὸ εὐαγγέλιον τῆς βασιλείας explicavimus ad Matth. IV, 23. Οἰκουμένη, (sc. γῆ) non semper est universus orbis terrarum, sed interdum imperium Romanum, ut Luc. II, 1. interdum autem magna imperii Romani pars, et inprimis Iudaea, ut Act. XI, 28. Hoc loco magna pars Romani imperii intelligitur; nam ante excidium Hierosolymitanum aliis etiam populis extra Iudaeam non paucis annunciatum est Evangelium, ut patet ex epistolis Apostolorum ad varios et multos coetus christianos ex Iudaeis et gentilibus collectos, et ex historiae ecclesiasticae monumentis. Μαρτύριον hic est *institutio, doctrina,* ut 2 Thess. I, 10. 2 Tim. I, 8. et μαρτυρεῖν, *docere*, Io. XVIII, 37. Exemplo gentium etiam barbararum Deus Iudaeos invitare voluit ad obedientiam Evangelii, et non obedientes contumacis incredelitatis apud omnes populos convincere, antequam severius in eos animadverteret. καὶ πότε ἥξει τὸ τέλος) finis iudiciorum Dei adversus gentem Iudaeorum.

15. Ὅταν οὖν ἴδητε τὸ βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως, τὸ ῥηθὲν διὰ Δανιὴλ τοῦ προφήτου) *Quum autem conspicietis profanum omnia devastaturum exercitum, de quo Daniel vates vaticinatus est.* Nunc docet Iesus, quo signo cognoscere possent discipuli eius et sectatores, adesse iam interitum urbis et reipublicae Iudaicae, τί τὸ σημεῖον τῆς ἑαυτοῦ παρουσίας, καὶ τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος; comm. 3. *Quando*, inquit *Hierosolymam exercitibus Romanorum videritis obsessam, tum eius appropinquasse desolationem, et fugiendum esse ex Iudaea cognoscite.* Cf. Luc. XXI, 20. βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως

est

est *abominatio vastatrix, vel desolans.* Illa autem *abominatio* est exercitus Romanus, cum signis et imaginibus, duce Cestio, in solo circa urbem castramentatus, cf. Luc. XXI, 20. et vocatur *desolatio,* s. *desolator,* quia venit ad desolanda et destruenda cum Hierosolyma, tum templum. Τὸ ῥηθὲν διὰ Δανιὴλ τοῦ προφήτου) Daniel triplici vice ita loquitur, ut Christus eo respexisse dici possit, nempe c. IX, 27. XI, 31. et XII, 11. ut dubium sit, utrum Servator ad omnia, an ad unum horum locorum alluserit? Maxime probabile est, Dominum respexisse ad Dan. IX, 27. quia ipse ordo et series rerum a Propheta praedictarum suadet, ut de eo urbis excidio sermonem esse credamus, quod sequi patratum adversus Messiam facinus, et cum omnimoda sacrorum cessatione coniunctum esse debebant. Hoc inde etiam confirmatur, quod versio τῶν LXX. verba Danielis שִׁקּוּצִים מְשֹׁמֵם expressit βδέλυγμα τῶν ἐρημώσεων. Ceterum interpretationem loci Danielis multis laborare difficultatibus, dissensiones interpretum aperte loquuntur. Vid. *Eckermanni theolog. Beytr.* St. I. p. 120. Certum est, veteres Iudaeos hunc locum de vastitate genti Iudaicae a Romanis inferenda, intellexisse. Iosephus saltim disertis verbis docet, hoc Danielis vaticinium de Romanis Hierosolyma devastantibus exponendum esse, Lib. X. Antiq. c. XI. §. 7. ἑστὼς ἐν τόπῳ ἁγίῳ) Quidam Codd. habent ἑστὸς. Sed potest etiam ἑστὼς esse Neutrum, contractum ex ἑστακὸς pro ἑστακὸς, adeoque ad βδέλυγμα referri. Vid. *Bowyeri coniect.* ad h. l. Ἐν τόπῳ ἁγίῳ. Ὅπου δεῖ, secundum *Marcum,* non in ipso templo, (id enim non erat nota futurae cladis, sed ipsa clades praesentissima) verum in templi conspectu, in solo circa urbem, quod solum Deo uni, non gentium Diis, sacrum esse oportebat. ὁ ἀναγινώσκων νοείτω)

Verba

Verba sunt Matthaei, non Christi, parenthesi includenda, ex Dan. IX, 25. desumta.

16. Τότε οἱ ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ φευγέτωσαν ἐπὶ τὰ ὄρη) *Tunc Iudaeae incolae* (s. qui in Iudaea fuerint) *se recipiant in montana.* Τότε, i. e. si non ante fugeritis, tunc saltem fugite, quum primum adventare expansis signis exercitum conspicietis, quum poni primum castra incipient; nam ad id usque tempus patebat fuga, nondum occlusis egressibus. Fuga suadetur, non incolis urbis Hierosolymorum; his enim urbe obsessa non amplius locus fuit fugae; sed ceteris Iudaeae incolis. Illud autem ἐπὶ τὰ ὄρη, sicut alludere ad *Lothi* historiam videtur, ita reipsa quoque est impletum. Sic ante obsidium Hierosolymorum Hierichontinos fugisse εἰς τὴν ὀρεινὴν narrat *Iosephus.* Sed et Christiani Scriptores prodiderunt, multis perfugium fuisse non Pellam tantum, sed et in alia loca regni *Agrippae* et *Syriae.* Euseb. Hist. eccles. L. III, c. 5. Ceterum Iesus his et sequentibus verbis non tam praecipit et iubet, quid faciendum, quam potius docet et vaticinatur, quid eventurum sit, repentinum nempe et improvisum fore hostium adventum, et obsidionem secuturum esse certissimum urbis et reipublicae interitum.

17. Ὁ ἐπὶ τοῦ δώματος μὴ καταβαινέτω ἆραί τι ἐκ τῆς οἰκίας αὐτοῦ) *Qui in tecto domus versabitur, non descendat ad auferenda, quae sunt in domo.* Tecta plana Iudaeorum ita erant comparata, ut non tantum in iis ambulare, sed et ex uno ad alterum progredi liceret. Vid. b. *Fabri Archaeologie der Hebraeer* p. 418. 419. Sensus igitur est: si super tecto speculatus vides exercitum hostilem urbi appropinquantem, noli tempus terere convasando omnia quae domi habes, aut sarcinulam colligendo, sed omni mora abiecta coniice te in pedes, et fuge per tecta,

cta, via brevissima, non per domum. Repentinam fugam suadet Christus, ob praesentissimum periculum.

18. Τὰ ἱμάτια) τὸ ἱμάτιον habent multi Codd. Verss. et Patr. Sed est haec vox earum in numero, quae plurali sono significationem habent interdum singularem. τὸ ἱμάτιον autem, ut videtur, est *pallium*, vel vestis exterior. Christus his etiam verbis summam festinationem in fuga suadet. Solebant enim Orientales, sicut Romani, dum opus rusticum facerent, vestem exteriorem humi, vel in casa deponere. *Hesiod.* Oper. II. 9. Γυμνὸν σπείρειν. *Georg. I.* 299. Nudus ara, sere nudus; i. e. sine toga et pallio.

19. Οὐαὶ δὲ ταῖς ἐν γαστρὶ ἐχούσαις καὶ ταῖς θηλαζούσαις) *Gravidis et lactentibus.* Nam gravidae in fuga parturient forsan, et parvi liberi magna fugae sunt impedimenta.

20. Προσεύχεσθε — σαββάτῳ) *Rogate* (Deum) *ne istam fugam accidere sinat hiemis tempore*, (s. tempore procelloso et pluvioso,) *vel sabbato.* Χειμών non tantum est hyems, sed etiam tempestas procellosa et pluviosa. Vid. supra ad c. XVI, 3. μηδὲ ἐν σαββάτῳ) Iudaei statuerunt, non licere die Sabbati ultra bis mille cubitorum spatium ambulando emetiri. Optandum igitur, dicit Christus, ne in Sabbatum incidat fugae necessitas, ostendens, longe ultra bis mille cubitos fugiendum. Legimus quidem apud Iudaeorum magistros, vitae periculo cessare legem Sabbati; sed ea exceptio non omnibus erat probata Quanquam autem erat cessatura ante excidium Hierosolymitanum stricta illa obligatio sabbati, paucissimi tamen fuere ante excidium templi, qui libertatem suam intelligerent. Quamdiu autem manebat persuasio, Christianos etiam teneri lege sabbati, contra quicquam facere grave fuisset delictum. Accedit, quod urbium et oppidorum por-

portae per totum sabbati diem clausae tenerentur, Nehem. XIII, 19. 22. ut adeo fuga impediretur.

21. Ἔσαι γὰρ — μὴ γένηται) *Tanta enim erit istius temporis calamitas, quanta ab orbe inde condito nec fuit unquam, nec in posterum futura est.* Post elapsam fugae occasionem, mala imminebunt omnibus malis humanis graviora, intus latrocinia, fames, pestis, extra ferrum et flamma. *Ioseph.* de B. I. V. c. 10. §. 5. μήτε πόλιν ἄλλην τοιαῦτα πεπονθέναι, μήτε γενεὰν ἐξ αἰῶνος γεγονέναι κακίας γονιμωτέραν. ἓδ' ἃ μὴ γένηται) Tribus negativis particulis non ter negatur, sed ut simplex negatio certior ac magis fixa appareat, interseruntur illa ἃ μὴ, quae valent πώποτε, ut Marc. XIV, 25. ἐκέτι ἃ μὴ πίω. Cf. etiam Luc. X, 19.

22. Καὶ εἰ μὴ ἐκολοβώθησαν αἱ ἡμέραι ἐκεῖναι, οὐκ ἂν ἐσώθη πᾶσα σάρξ.) *Nisi contraherentur et breviores redderentur dies (excidii sc. Hierosol.) nemo (Iudaeorum) superstes maneret.* κολοβὸν (a κολοβὸς, *mutilus, mancus*) proprie est *mutilare, detruncare*, deinde etiam *decurtare, contrahere, abbreviare.* Ante ἐκολοβώθησαν omissa est particula ἄν, quae temporibus maxime imperfecti et aoristi praefixa vim habet subiunctivi. Vertere posses etiam cum *Thalemanno: Nisi mitigarentur istae miseriae;* nam αἱ ἡμέραι, dies censorii per metonymiam sunt *ipsae miseriae.* Σάρξ, ut hebr. בָּשָׂר h. l. est *homo*, et per synecdochen gen. *Iudaeus.* Σωθῆναι, *in vita servari, incolumem evadere.* Sic hebr. חָמַלְטָ *eripere sese*, Gen. XIX, 20. 22. LXX. vertunt σωθῆναι. *Nemo Iudaeorum incolumis evaderet* est populariter et hyperbolice dictum. Universa orationis series docet, sermonem esse, non de omnibus omnino Iudaeis

daeis in universo terrarum orbe, sed de iis, qui tempore obsidionis erant Hierosolymis et in vicinis locis. Horum nemo vere incolumis evasurus fuisset, si illa calamitas durasset diutius. Bene illustrat hanc phrasin *Raphelius* ex *Polybio*, proverbium vetus memorante: *εἰ μὴ ταχέως ἀπωλόμεθα, ἐκ ἂν ἐσώθημεν, nisi celeriter periissemus, nunquam salvi fuissemus.* Multa erant, quae Hierosolymorum expugnationi moram allatura videbantur, hinc rebellio trium principum, et Vespasiani ex Iudaea discessus ad capessendum imperium, inde Iudaicae gentis obstinatio, odio Romanorum, prospera cum Cestio pugna et spe auxilii tum divini tum Iudaeorum transeuphratensium aucta, Hierosolyma urbs munitissima, omnibus rebus necessariis ad tolerandam longam obsidionem instructa. Accesserunt consilia ducum in exercitu Titi, suadentium, ut famem hostium operiretur, Ioseph. L. V. c. 12. §. 1. quae iuncta Iudaeae internecionem minabantur. Sed numine divino sapientissime ita moderante factum est, ut obsidio omnium exspectatione celerius finem haberet, dum tyranni Iudaici mutuis vulneribus concciderent, et loca munitissima amentes sponte desererent. IOSEPHUS *de B. Iud.* Lib. VI, c. 9. TACITUS historiar. Lib. V, c. XI. Hoc ita eventurum esse, praedicit Christus *διὰ τὲς ἐκλεκτὲς*, per quos plerique intelligunt Christianos, qui sparsi per Iudaeam et Galilaeam pecudum ritu caesi fuissent a sicariis, Zelotis et tyrannis, (utpote aversi a belli consiliis) si bellum diutius durasset. Sed intelligi possunt in universum *probi* et *pii* inter Iudaeos. Credibile est multos ex illis, excidium illud oculis suis contemplantes, postea ad fidem perductos esse, veritate vaticinii Christi ex eventu cognita.

23. Τότε ἐάν — πιστεύσητε) *Tunc si quis vobis dixerit: ecce Messias hic aut hic, minime ei credite.* Τότε, circa tempus obsidionis, et post urbis devastationem. ὧδε ὁ Χριστός) Messias, libertatis vindex, et Iudaeorum liberator, ut supra v. 5.

24. Ἐγερθήσονται γὰρ ψευδόχριστοι) *Existent enim falsi Messiae;* multi se gerent pro Messia. Eiusmodi impostores ante excidium Hierosolymitanum in Iudaea extitisse e. c. Theudam et Iudae Galilaei filios, et alios, docet IOSEPHUS, Antiqq. Lib. XX, c. 5. et c. 8. §. 6. Statim post excidium *Ionathas* multos in Cyrenaicam solitudinem perduxit, quem conatum *Catullus* provinciae praeses armis disiecit. *Ioseph.* de B. Iud. Lib. VII, c. XI, §. 1. 2. *Adriani* temporibus *Barchochebas* palam omnibus dixit, se esse Messiam. καὶ ψευδοπροφῆται) Παραχάραται τῶν ψευδοχρίστων, qui sacrarum litterarum testimoniis abutebantur, ut populo persuaderent, hunc aut illum impostorem esse verum Messiam. Exemplum iterum habet *Ioseph.* de B. Iud. Lib. VI. c. V. §. 2. καὶ δώσεσι σημεῖα μεγάλα καὶ τέρατα) *Qui promittent miracula et prodigia.* Διδόναι σημεῖα, alias significat *edere miracula*, (hebr. נָתַן Deut. VI, 22.) Sed interdum etiam significat *promittere* miracula, quo sensu נָתַן occurrit Deut. XIII, 2. IOSEPHUS Antiquitt. Lib. XX, c. 8. §. 6. de impostoribus sub Felice est Festo, Iudaeae procuratoribus: οἱ δὲ γόητες καὶ ἀπατεῶνες ἄνθρωποι τὸν ὄχλον ἔπειθον αὐτοῖς εἰς τὴν ἐρημίαν ἕπεσθαι. δείξειν γὰρ ἔφασαν ἐναργῆ τέρατα καὶ σημεῖα, κατὰ τὴν τοῦ Θεοῦ πρόνοιαν γενόμενα. Idem *de B. Iud.* L. VII, c. XI, §. 1. δείξειν ἔφασαν ἐναργῆ τέρατα καὶ σημεῖα. Sic flammas evomere putatum Barchochebam narrat Hieronymus. ὥστε πλανῆσαι εἰ δυνατὸν, καὶ τοὺς ἐκ-

ἐκλεκτοὺς) *ad pios etiam si fieri posset, decipiendos.* Marcus: πρὸς τὸ ἀποπλανᾶν. Sensus est, illos impostores omnem operam daturos, ut non tantum malos et seditiosos, sed etiam probos in suas pertrahant partes. Cf. v. 22.

26. Ἰδοὺ, ἐν τῇ ἐρήμῳ ἐστί) Messias scilicet, quod *Marcus* addit. Solebant id genus impostores abducere homines in solitudinem, ut tuto ibi manum colligerent, quod apud *Iosephum* passim videre est. Vide locum Iosephi supra citatum, *Archaeol.* Lib. XX, c. 8. §. 6. inprimis vero *de bello Iud.* Lib. II. c. XIII, §. 4. 5. de Magis et Aegyptio Pseudopropheta, sub Felice Iudaeae procuratore, imperante Nerone. μὴ ἐξέλθητε) *Ne ite*, ut illorum ductum sequamini. ἐν τοῖς ταμείοις) *in conclavi domus*, ut supra c. VI, 6. Nam quidam haud satis fidentes viribus clam colligebant sectatores.

27. Ὅσπερ γὰρ — ἀνθρώπου) *Quemadmodum enim fulgur celerrime ab oriente ad occidentem penetrat; ita adventus Filii hominis* (Messiae, adventus meus) *celerrimus erit et inopinatus.* Nihil enim velocius fulgure. Τὴν παρουσίαν autem Messiae esse adventum eius ad iudicandos puniendosque Iudaeos, per se patet. Simul vero inuere videtur Iesus, Messiam non amplius eo modo conspiciendum fore, ut dici possit, eum hoc vel illo loco esse, sed invisibili modo declaraturum suam vim et maiestatem.

28. Ὅπου γὰρ ἐὰν ᾖ τὸ πτῶμα, ἐκεῖ συναχθήσονται οἱ ἀετοί) *Ubicunque enim cadaver est, ibi aderunt aquilae.* Proverbialiter haec dicta esse, facile patet. Sicut cadaveribus aquilae advolare, iisque pasci solent; ita, quum urbs et gens impia internecioni matura fuerit, advolabunt illico milites Romani, aquilarum instar cum aqui-

lis suis, atque eam dilacerabunt et exedent. Quoniam tamen proverbia non de una re usurpari solent, universim sensus erit: Ubicunque sunt homines mali et abominandi, ibi adsunt flagella, quibus illi castigantur. Ipsum proverbium repetitum esse videtur ex Iob. XXXIX, 30. ubi de aquilis: ὃ δ' ἂν ὦσι τεθνεῶτες, παραχρῆμα εὑρίσκονται, (sc. ἀετοὶ, v. 27.) Contra eos, qui putant, aquilas non vesci cadaveribus, lege quae monuit MICHAELIS, (*Orient. Bibl.* Tom. IX. pag. 37. sq.) ad *Forskalii descriptiones animalium*, de *aquila*, *Nisr*, carne et cadaveribus vescente. Promiscue dici, nunc πτῶμα simpliciter, nunc addito νεκρῷ, ab optimis graecis scriptoribus, docuit *Sallierius* ad Thom. Mag. Ecl. Att. p. 765. Vid. etiam *Loesn.* ad h. l. Finem hic esse vaticinii de excidio Hierosolymitano, et responsionis ad primam et secundam quaestionem discipulorum, plurimorum interpretum est sententia, propter Marc. XIII, 24. et Luc. XXI, 25. Sed hactenus Christus de rebus, urbis excidium praegessuris dixerat. Nunc vero sequitur poëtica descriptio eversionis Hierosolymorum et reipublicae Iudaicae.

29. Εὐθέως δὲ — σαλευθήσονται) *Subito autem post illam calamitatem sol et luna obscurabuntur, et stellae splendorem suum amittent, et astra commovebuntur.* Qui haec et quae sequuntur de extremo iudicio et ultimo Christi adventu explicanda esse censent, ii vim verborum urgent, et omnes a Salvatore allegatas circumstantias. Ex horum sententia particula εὐθέως h. l. denotat *subito*, ut alias saepius, e. g. infra c. XXVI, 49. Marc. XIV, 45. Marc. V, 2. c. IX, 24. et accipiunt non de brevi intervallo, sed de subito post longa intervalla eventu. *Sol* et *luna* obscurabuntur proprie, sive gravi tempestate, futuram devastationem telluris nostrae antecessu-

cessura id fiat, sive aliis ex caussis. Quod dicitur: *οἱ ἀστέρες πεσοῦνται ἀπὸ τοῦ οὐρανοῦ*, id intelligunt *optice;* stellas fore quasi non essent, sine luce; Christum enim non sectari *ἀκριβειαν* astronomicam, sed captui vulgi accommodare sermonem. *Αἱ δυναμεις τῶν οὐρανῶν*, צְבָא הַשָּׁמַיִם *exercitus coelorum* est *multitudo stellarum*, aliis *ἡ στρατεία τοῦ οὐρανοῦ*, ut 2 Paralip. XXXIII, 5. Ierem. XXXIII, 22. Verba *καὶ αἱ δυν. τ. οὐρ. σαλευθήσονται* epexegesin esse putant phraseos: *οἱ ἀστέρες πεσοῦνται ἀπὸ τοῦ οὐρανοῦ*, et sensum esse: *coelum ipsum quasi concutitur horrenda illa rerum conversione.* Qui locum de Hierosolymorum eversione adiunctisque rebus unice interpretantur, illi multa habent, quibus caussam suam tueantur. Verba nempe Matthaei: *εὐθέως μετὰ τὴν θλῖψιν τῶν ἡμερῶν ἐκείνων*, lucem accipiunt ex Marc. XIII, 24. *ἐν ἐκείναις ταῖς ἡμέραις*, et Luc. XXI, 25. quibus confirmari videtur, sermonem esse de his, quae statim post ea quae ante dicta erant signa instantis adventus Christi eventura essent. Docuerat Iesus supra v. 15. sqq. quo signo cognoscere possent discipuli adesse iam interitum urbis et templi. Nunc vero v. 29. sqq. ipsam eversionem atque totalem Iudaeorum cladem imagine prophetica ob oculos quasi ponit. Accedit, quod Christus, narrantibus omnibus Evangelistis, perituram negat *ταύτην τὴν γενεὰν*, ante quam *haec omnia* contigerint, infra v. 34. Marc. XIII, 30. Luc. XXI, 32. Ergo quae hic de obscuratione solis, lunae et stellarum etc. dicuntur, improprie intelligenda esse videntur. Prophetae nempe his ipsis verbis praedicunt tempora calamitosissima ac tristissima, e. g. Ies. XIII, 10. Ezech. XXXII, 7. 8. Ioel II, 3. 4. Inprimis huc pertinet locus Ies. XXXIV, 4. *Astra coelestia contabescunt; coeli convolvuntur ut volumen.* וְנָבְלוּ

וְכָל־צְבָאָם יִבּוֹל כִּנְבֹל עָלֶה מִגֶּפֶן *omnesque eorum exercitus decidunt ut folium de vite.* Vix dubium est, depingi hoc Iesaiae carmine vastationem terrae Edomiticae a Nebucadnezare illatam. Sic *Virgilius* Georg. L. I. vs. 365. ss.

Saepe etiam stellas, vento impendente, videbis
Praecipites coelo labi, noctisque per umbram
Flammarum longos a tergo albescere tractus.

Stellae cadentes sunt Phaenomena, quae *Sternschnuppen* vocari solent. Si quis obiiciat, Iesum stilo isto poetico, et sublimiori dicendi genere, quo prophetae V. T. usi sunt, *nunquam* uti potuisse, responderi potest, Iesum hic, ubi futura praedicit, prophetae agere personam, et saepe usum esse imaginibus. Describere igitur videtur Iesus his phrasibus, more et stilo prophetico fata Iudaeorum tristissima, totalem aevi Mosaici, quod tum obtinebat, abolitionem, atque reipublicae Iudaicae finem. Nimirum post eversionem urbis multa Iudaeorum millia vendita et in servitutem redacta sunt. Confugerant multi Iudaei in Galilaeam; sed Romani eos persecuti, severissime eos conquisiverunt, et castella in quibus maxime latebant, incendio deleverunt, ut propemodum universa Galilaea flagrare videretur. Haec statim post excidium evenerunt. Templo autem diruto cessavit cultus Levitieus. Commentarii loco esse potest Iosephus de B. Iud. inprimis Lib. V, c. 13. et Lib. VI. c. I. *Grotius* existimat, Christo propositum fuisse significare discipulis, sicut excidium Hierosolymitanum habuit suas praevias calamitates, ita habiturum et universalis iudicii diem. Excidium Hierosolymitanum figuram et quasi pignus fuisse universalis iudicii. —

30. Καὶ τότε — ἀρχνῷ) *Ac tunc conspiciendum se praebebit in coelo filius hominis* (Messias) i. e. *tum ho-*

homines videbunt documentum, quo constet, Messiam in coelo esse, i. e. regnare, hostesque sibi subiicere. Ita verba haec interpretanda esse monet b. Morus, in dissert. theolog. et philolog. p. 145. Apud Marcum et Lucam de σημείῳ nihil est. Sed plane idem sensus est phrasium: *Videbunt, Messiam venire, gerere se Regem*; et: *videbunt documentum Messiae regnantis.* Nam haec ipsa fata tristissima Iudaeorum, et latior propagatio religionis christianae, quae secuta est postquam illud impedimentum Iudaicae civitatis legisque ritualis sublatum erat, documento esse poterant, Iesum esse Messiam, et regnare in coelis. Σημεῖον est *documentum*, monumentum, unde aliquid cognoscatur, concludatur, aut quo aliquid confirmetur. καὶ τότε —— δόξης πολλῆς) *Et tum plangent omnes tribus huius terrae, ubi viderint* (animadverterint) *Messiam nubibus vectum summa cum potestate ac maiestate agere*, et regnare. Πᾶσαι αἱ φυλαὶ τῆς γῆς, *omnes tribus terrae*, sunt Iudaei qui non crediderunt in Christum. Κόψονται, *plangent*, proprie *tundent se* vel pectora sua, quod est signum doloris, poenitentiae, et animi attoniti ob imminentia mala. Videntur haec verba desumta esse ex Zachar. XII, 12. et referuntur ad planctum, exstiturum ob iudicia illa severissima, quae tum exercebantur a Christo. Quae sequuntur verba: καὶ ὄψονται — νεφελῶν τοῦ οὐρανοῦ, non accipienda sunt proprie de adspectabili adventu, sed de luculenta operatione Messiae, qua suam declarat maiestatem, ut supra c. XVI, 27. qui locus omnino est conferendus. Ἔρχεσθαι ἐπὶ τῶν νεφελῶν τοῦ οὐρανοῦ stilo prophetico et poëtico significat *ostendere maiestatem vel iuvando vel perdendo.* Ps. XVIII, 18. Ies. XIX, 1. Declaravit autem maiestatem suam, partim per abolitionem oecono-

miae

miae Mosaicae, partim per propagationem suae religionis, quae facilior erat, impedimento illo Iudaicae civitatis legisque ritualis sublato. Alii haec et sequentia verba comm. 31. proprie de adventu Christi ultimo ad iudicium illud universale interpretantur.

31. *καὶ ἀποστελεῖ — ἕως ἄκρων αὐτῶν) Et mittet nuncios suos, qui cum tuba canora congregent omnes quos sibi elegit ex omnibus orbis terrarum plagis.* Per *τοὺς ἀγγέλους* plerique intelligunt *bonos genios*, ut sensus sit: Deum per providentiam suam effecturum esse, ut boni congregentur, ut supra c. XVI, 27. Quicquid enim per providentiam Dei singularem fit, id ministerio angelorum interdum tribuitur, quia angeli sunt ministri providentiae divinae. Sed rectius hic intelliguntur legati praecones-que doctrinae Christi ubique circumferendae et publicandae. Ἄγγελος enim, ut hebr. מַלְאָךְ saepe quemvis nuncium, vel legatum significat, ut Gen. XXXII, 4. Mal III, 1. Matth. XI, 10. coll. III. 2. 3. *Μετὰ σάλπιγγος μεγάλης, cum tuba canora, ἓν διὰ ὄυοῖν.* Phrasis *μετὰ σάλπ. μεγ. ἐπισυνάγειν* desumta est a more apud Iudaeos recepto populum sono tubarum convocandi; (de quo more vid. Levit. XXV, 9. Num. X, 2. Iudic. III, 27. VI, 34.) et significat solemniter, publice, *veluti tubae sono congregare.* *Ἐκλεκτοὶ τῷ Χριστῷ* h. l. esse videntur ii, quibus Christus beneficia religionis destinavit, quos sibi delegit, i. e. *futuri Christiani*, non ii qui iam sunt Christiani. Hos congregabunt legati eius. *ἐκ τῶν τεσσάρων ἀνέμων*) i. e. ex omnibus mundi regionibus. *ἀπ' ἄκρων οὐρανῶν ἕως ἄκρου αὐτῶν*) Explicatio eius, quod praecesserat. Ab uno extremo coelorum ad alterum, i. e. a toto terrarum orbe, qui coelo tegitur. Praedicit igitur Iesus,

post

post interitum civitatis iudaicae se effecturum esse, ut doctrina sua magis magisque propagetur, et omnibus orbis terrarum nationibus innotescat. C. v. 30. Alii cum Wetstenio per τὰς ἐκλεκτὰς intelligunt Christianos constantes, discipulos Christi per totum orbem dispersos, quos ipse servaturus sit in tantis motibus illaesos.

32. Ἀπὸ δὲ τῆς συκῆς μάθετε τὴν παραβολήν) *Hanc parabolam a ficu* (desumtam) *discite.* Iesus, ut memoriae discipulorum eo magis imprimeretur id, quod v. 30. et 31. dixerat; nempe laetiora disciplinae suae alumnis tempora secutura esse post fata Iudaeorum tristissima, similitudinem hanc proposuit, a ficu desumtam, oculis eorum in mente Oliveto sedentium (v. 3.) subiecta. ὅταν ἤδη — ἐκφύῃ) *Quum rami eius teneri fiunt* (teneriescunt,) *et folia progerminant.* Ἁπαλὸς, *tener*, vel potius *laevis*, *succulentus*, *humidus*. Nam corticis et libri laevor indicat, succum illum vitalem e radice ad librum evasisse. Γινώσκετε ὅτι ἐγγὺς τὸ θέρος, *colligitis inde instare aestatem*, *vel tempus vernum*, nam utrumque significat קַיִץ, quod LXX vertunt θέρος vel θερισμόν.

33. Οὕτω καὶ — ἐπὶ θύραις) Sc. ἡ βασιλεία τῶν θεῶν, quod Lucas addit c. XXI, 31. *Ita et vos, quum haec omnia videritis, exinde colligere poteritis, prope adesse regnum Messiae,* i. e. augustius appariturum esse. Nam post eversam rempublicam Iudaicam latius propagata est religio christiana. Illi etiam, qui praecedentia de ultimo Christi adventu interpretantur, fatentur, ea, quae nunc sequuntur ad comma usque 36. ad fata reipublicae Iudaicae pertinere. Dicendum igitur esset, Evangelistas in recensendis sermonibus Christi ordinis rationem non habuisse; in quo facile excusari possent, si Christus, quod veri-

verisimile est, non continua orationis serie, sed ut in mutuis colloquiis fieri solet, saepe interrupto sermone de his rebus collocutus esset cum discipulis. Collocanda igitur haec essent post comma 25. huius capitis. Sed hac hypothesi non opus esse videtur, quum omnia bene cohaereant.

34. Ἀμὴν λέγω — γένηται) *Sanctissime vobis confirmo, hac ipsa aetate adhuc ista omnia eventura esse.* Γενεὰ hebraeo דּוֹר respondens hic significat eius aetatis homines. Vid. c. I, 17. Certe multi eorum, qui tum vivebant, potuerunt non excidium tantum Hierosolymorum, sed et multa eo excidio posteriora conspicere, quod vel unius *Ioannis* exemplo manifestum est πάντα ταῦτα) de quibus scilicet initio dixerat, v. 7—31. huius capitis. Qui praecedentia de ultimo Christi adventu interpretantur, ii per τὴν γενεὰν intelligunt gentem iudaicam, non interituram ante mundi finem, repugnante contextu.

35. Ὁ οὐρανὸς — παρέλθωσι) *Citius coelum et terra pereant, quam ut sermones mei irriti reperiantur.* Certissime evenient quae praedixi. Παρελεύσονται, pro παρέλθοσιν ἄν. Comparatione enim rei, quae videatur maxime impossibilis, utitur Christus, ut ostendat, multo minus fieri posse, ut oracula sua non impleantur. Οἱ δὲ λόγοι μου οὐ μὴ παρέλθωσι, pro πρίν ἢ παρελθεῖν τοὺς λόγους μου. Vid. supra c. V, 18.

36. περὶ δὲ τῆς ἡμέρας ἐκείνης) καὶ τῆς ὥρας nimirum τῆς παρουσίας τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου, v. 28. Dixerat quidem Christus v. 34. ea, de quibus in praecedentibus sermo fuerat, hominibus illius aetatis adhuc viventibus eventura esse, sed ipsum diem vel temporis momentum non indicavit, ne discipuli secure vitam agerent, ut sequentia docent. ἄγγελοι οὐρανῶν) sc. *incolae*, i. e. angeli in coelis. Codices nonnulli et Patres, quibuscum versiones quaedam

dam consentiunt, addunt: οὐδὲ ὁ υἱὸς. Sed aberant haec verba a codicibus graecis et maxime Adamantii et Pierii, teste Hieronymo, et a codicibus graecis veteribus apud Ambrosium, et a codd. Paulin. aquil. E Marco (c. XIII, 32.) huc illata esse videntur.

37. Ὥσπερ — ἀνθρώπε) *Qualia autem erant tempora Noae, talia etiam erunt tempora Messiae.* Metonymice dicitur, fore ut eadem accidant tempore adventus Christi, quae Noae tempore acciderunt; subito et inexpectatam venturam esse calamitatem, nihil tale metuentibus hominibus. Quae sequuntur et ad tempora excidii Hierosolymitani et ad tempora extremum iudicium antecedentia referri possunt. Sed nexus cum praecedentibus suadet, ut ad solum excidium Hierosolymitanum referamus. Videtur autem Christus haec diversis temporibus et occasionibus dixisse. Cf. Luc. XII, 35. sqq. Luc. XVII, 34.

38. Ὥσπερ γάρ — πιβωτόν) *Quemadmodum nempe homines ante diluvium secure vitam agebant, edendo* etc. γαμοῦντες καὶ ἐκγαμίζοντες) contrahentes coniugia, et elocantes nuptum aliquas, i. e. nuptias iungentes. εἰς τὴν πιβωτόν) Ita LXX. transferunt hebraeum תֵּבָה, quos et Petrus sequitur, sed et *Philo*. Iosephus λάρνακα dixit. Ceterum homines ante diluvium hic non vituperantur propterea quod ederint et biberint, uxores duxerint et nupserint, sed describitur tantum securitas hominum ista aetate viventium. Occupati erant vitae negotiis, salvas esse suas res, nec sibi aliquid metuendum putabant.

39. Οὐκ ἔγνωσαν) ידע Hebraeis saepe est προσέχειν ut Eccles. IV, 17. Ies. I, 3. Ita sumitur γινώσκειν hic, aliisque multis in locis. *Non intendebant animum.*

καὶ

καὶ ἦρεν ἅπαντας) *Et omnes perdidit.* ἦρεν est מָחָה Gen. VII, 23. ἅπαντας, omne humanum genus, τὸν ἀρχαῖον κόσμον, ut Petrus loquitur, octo duntaxat hominibus exceptis. ἔτως ἔσαι) i. e. ita se res habebit, seu eadem fient in adventu filii hominis. Inopinata erit calamitas, et inexpectata.

40. Τότε δύο — ἀφίεται) *Tum e duobus in agro versantibus alter evadet periculum, alter succumbet.* ὁ εἷς παραλαμβάνεται) i. e. velut apprehensa manu educetur e communi pericuio. Praesentia pro futuris. Allusio enim est ad *Lothi* historiam, quam brevitatis caussa omisit *Matthaeus*, *Lucas* autem cap. XVII, 28. expressit. Alii: *Unus assumitur*, (παραλαμβάνεται) nempe ab hostibus, et captivus abducitur; *alter relinquitur*; (ἀφίεται) hostes eum aufugere patientur. Huius et sequentis versiculi sensus est, periculum tam magnum fore et inopinatum, ut vix unus et alter, fortuna et casu favente sit evasurus.

41. Δύο ἀλήθουσαι — ἀφίεται) *E duabus in pistrino molentibus altera eripietur e periculo, altera peribit.* Molere in pistrino erat ancillarum, ut docemur Exod. XI, 5. et Ies. XLVII, 2. Erant autem Veteribus molae trusatiles, quales etiamnum apud Orientales in usu sunt.

42. Γρηγορεῖτε ἄν) *Vigilate*, nempe mente; intento animo estote, et corpore Luc. XXI, 36. Γρηγορεῖν, *vigilare*, adhibetur etiam de iis, qui caute et circumspecte agunt, virtutis et probitatis studiosi sunt. Videntur haec, et quae sequuntur usque ad c. XXV, 31. spectare ad reditum Christi ad iudicium extremum, vel ad utrumque eius reditum. Nam in loco parallelo Luc. XII, 34. sqq. procul dubio de praemiis et poenis in futura vita exspectandis

dis sermo est, ut contextus docet. Videtur igitur Matthaeus varias interrogationes discipulorum de συντελείᾳ τοῦ αἰῶνος, iudicio extremo, et regni Messiani felicitate more suo omisisse, Iesus autem v. 43. sqq. orationem suam ad Apostolos, et reliquos suos sectatores direxisse. Cur sic statuamus, docebimus ad cap. XXV, 1.

43. Ἐκεῖνο δὲ — οἰκίαν αὐτοῦ) *Hoc autem scitis, Patrem familias, si resciret, qua vigilia venturus esset fur, vigilaturum esse sedulo, neque domum perfodi passurum.* Φυλακὴ h. l. ut saepius per metonymiam est *vigilia*, seu *pars noctis, qua excubiae aguntur.* Tempore Christi Iudaei, more Romanorum noctem in quatuor partes seu vigilias ita diviserunt, ut unaquaeque ternas horas complecteretur. Facile est, inquit Christus, praecavere periculum unius ac praefiniti temporis. Sed quia haec, quae dixi pericula tempus habent incertum, ideo semper metuenda, semperque cavenda sunt.

44. Γίνεσθε ἕτοιμοι) parati et praesto sitis. Sic animati estote, sic vivite, quemadmodum vixisse in adventu Messiae optabitis. ἔρχεται) i. e. venire potest inexspectatus, nisi eum semper exspectetis. ἔρχεται pro ἔρχοιτο ἄν.

45. Τίς ἄρα ἐστὶν) Non est hic τὶς interrogativum sed ὑποθετικὸν. *Si quis est* etc. ἐπὶ τῆς θεραπείας αὐτοῦ) Θεραπεία de *servis* aliquoties cum apud alios scriptores, tum apud Philonem dicitur, ut observat *Loesnerus.* Eodem modo *ministerium servile* dixit Iustinus XXIII, 1. *Legationes* pro legatis Livius XXVI, 19. 51. Describit munus οἰκονόμου, i. e. dispensatoris, cui munus Apostolorum respondet. 1 Cor. IV, 1. Nam ad solos Apostolos, non ad omnes Christianos hoc pertinet.

47. Ἐπὶ πᾶσι τοῖς ὑπάρχουσιν αὐτοῦ καταστήσει αὐτὸν) Ex dispensatore procuratorem faciet, qui maior ho-

nos.

nos. Significatur hac similitudine honos summus, qui illi habebitur.

49. Καὶ ἄρξηται — μεθυόντων) *Et sociis suis male tractatis, epulis et compotationibus* cum aliis *violentis indulgere coeperit.* Τύπτειν, *verberare* h. l. est *male tractare*, iniuriis afficere. Ἐσθίειν καὶ πίνειν h. l. non simpliciter est *epulari, convivari*, ut v. 38. sed propter addita verba μετὰ τῶν μεθυόντων, vino et epulis deditum esse, flagitiose vivere.

51. Διχοτομήσει αὐτὸν) *dissecabit eum*, i. e. morte crudeli interficiet. Species ponitur pro genere ad imitationem hebraici גזר. Illud supplicii genus, reum et maleficum in partes dissecandi apud Phoenices et Carthaginienses in usu fuisse, ostendunt *I. B. Michaelis in dissert. de poenis capitalibus Hebraeorum*, §. 33. et *Rommershausen in der Einleit. in das alte Testament.* p. 78. Modus supplicii hic fere fuit, ut primo pedes, mox crura, deinde manus brachiaque, denique caput abscinderent, truncum vero relinquerent; cuius supplicii vestigia extare volunt 1 Sam. XV, 33. 2 Sam. XII, 31. 1 Chron XX, 3. Amos I, 3. Interdum διχοτομεῖν significare videtur *uno alterove membro, nominatim auribus et* naso *abscissis dilaniare et foedare.* H. l. idem est quod δέρειν, *diverberare, flagris tergum secare.* Cf. Luc. XII, 47. Sensus igitur loci nostri esset: Dominus servum talem, qui vexaverit socios, munere suo deiectum, membro alio atque alio detruncato, misere foedari iubebit, ut gravi hoc exemplo ceteri admoneantur. καὶ τὸ μέρος αὐτῦ μετὰ τῶν ὑποκριτῶν θήσει) *Eum hypocritis annumerabit; conditionem eius parem faciet cum simulatorum conditione, afficiet eum poena simulatoribus digna.* Nam θέσθαι τι μετά τινος, sive ἐν τινὶ est, *referre, annu-*

numerare aliquid alicui. τό μέρος αὐτῷ autem est pro: τὴν τάξιν αὐτῷ. ὑποκριταὶ, quum de servis sit sermo, sunt fidem et obsequium simulantes.

CAP. XXV.

1. Scopus huius similitudinis ab ipso Christo v. 13. indicatur verbis γρηγορεῖτε οὖν. Quaeritur autem, utrum de adventu Christi ad excidium Hierosolymitanum, an vero ad iudicium extremum sermo sit. Equidem omnia, quae a cap. XXIV, 42. usque ad c. XXV, 30. dicuntur ad utrumque Christi adventum referenda esse puto. Certum enim est, Apostolos et Christianos illius aetatis in ea opinione fuisse, utrumque adventum satis propinquo intervallo coniunctum fore, ignorasse saltim, num excidium Hierosolymorum et iudicium universale uno eodemque tempore, an vero alterum post aliquod annos, alterum elapso demum multorum seculorum spatio eventum habitura sint. Cf. omnino 2 Thess. II, 1. Ipse etiam Christus omnes notiones, imagines et descriptiones regni Messiae, quibus Iudaei assueverant, ad regni sui descriptionem transtulit. Hi autem post adventum Messiae finem huius mundi adfuturum esse (Matth. XXIV, 3.) putabant, eodemque tempore mortuorum resuscitationem Io. XI, 24. et iudicium universale expectabant. Ad hunc igitur vulgarem loquendi usum et communes Iudaeorum notiones regni divini Iesus sapientissime multas regni sui descriptiones accommodavit. Non igitur mirum, si Evangelistae, neglecta distinctione inter adventum Iesu proximum et ultimum, quam ignorabant, sermones Iesu ita referunt, quasi de uno eodemque eventu intelligendi essent. Nos, eventu et historia edocti, facile cogitatione separamus res diversas, quas illi confunde-

debant. Ergo admonitiones, hac et sequentibus parabolis contentae ad nos etiam pertinent. Τότε — νυμφίε) *Tum similiter se res habebit in ecclesia mea ut cum decem virginibus etc.* Τότε, *tum* in reditu meo ad iudicium. De phrasi ὁμοιωθήσεται ἡ βασ. τ. ἐρανῶν, vide supra c. XIII, 24. XXII, 2. De more eundi sponso obviam, a quo parabola desumta est, nos pauca scimus. Hoc tamen constat, non tantum apud Iudaeos, sed apud Graecos quoque et Romanos more fuisse receptum, ut sponsus post desponsationem et ante consummationem matrimonii sponsam noctu cum magna pompa in domum suam deduceret, virgines autem, familiares vel consanguineae sponsae ad solemnia nuptiarum invitatae, non procul a domo sponsi expectarent, ut sponsum et sponsam praetereuntes comitarentur in domum, ubi convivium nuptiale celebrabatur. Vide *Harwood neue Einleitung in das Studium und die Kenntnis des N. T.* Pars III. Sect. 10. - Supponit haec parabola sic deducendam sponsam in domum mariti, quae tamen, vel petita e longinquo, vel mora aliqua intercurrente, detenta, non adducta est ante mediam noctem. Praesentia virginum pompam rei ac festivitatem ornavit. Ceterum in numero harum virginum non est subtilius haerendum nec in applicatione ad hunc numerum est attendendum. Ἐξῆλθον εἰς ἀπάντησιν τῷ νυμφίῳ) *Volebant obviam ire sponso*, eum deducere. Nam non omnes revera exceperunt sponsum adventantem. Verba ab Hebraeis, Graecis et Latinis saepius simpliciter ita ponuntur, ut omissum sit, *velle*, Ps. LVI, 1. καὶ τῆς νύμφης additum legitur in Codd. et versionibus nonnullis. Videtur additamentum esse Grammatici et error fortassis inde natus, quod vulgari consuetudine illa, sponso sponsaque in nuptiis lampades praeferri solebant.

2.

2. Φρόνιμοι, *prudentes*, i. e. *cautae et providae*, circumspecte agentes. Μωραὶ *stultae*, i. e. *nec sibi nec aliis prospicientes*, leviter et temere agere consuetae.

3. Αἵτινες — ἔλαιον) *Hae imprudentes lampadas suas, non autem oleum secum sumebant*, i. e. praeter oleum lampadibus infusum, nihil secum sumebant. Hunc sensum esse, apparere videtur e v. 4. inprimis v. 8.

4. Αἱ δὲ — λαμπάδων ἑαυτῶν) i. e. cum lampadibus ardentibus simul oleum in vasis afferebant. Vocabulum ἀγγεῖον respondet Hebraeorum כְּלִי atque de quovis receptaculo usurpatur; hoc autem loco significat *receptaculum olei*. Sic Alexandrini Num. IV, 9. כְּלֵי שֶׁמֶן reddunt ἀγγεῖα τῷ ἐλαίῳ.

5. Ἐνύσαξαν) νυσάζειν factum ex verbo νευσάζειν, ut perhibet Eustathius, significat proclivem esse ad somnum, capite nutare, quod Latini *dormitare* dixerunt. Indicat somni initium, ut καθεύδειν somnum ipsum, et quidem graviorem. In applicatione parabolae dormitantes sunt *securius viventes*, qui officio suo desunt, negligentes in recte honesteque agendo, nec de adventu Domini cogitantes.

6. Μέσης δὲ νυκτὸς) Serius quam pro more; ideo praecessit χρονίζοντος δὲ τοῦ νυμφίου. Alioqui ut nocte duceretur sponsa a novo marito moris fuisse antiquissimi, atque ex eo mansisse in nuptiis faces, notatum *Servio* ad Ecl. VIII,

7. Ἐκόσμησαν) Hebraeum הֵיטִיב Exodi XXX, 7. ubi de lychnis, ut hic, agitur, Graeci ἐπισκευάζειν vertunt; alibi κοσμεῖν, ut 2 Reg. IX, 30. *instruere*, *parare*.

9. Μήποτε οὐκ ἀρκέσῃ ἡμῖν καὶ ὑμῖν) Particula μήποτε ponitur in dubitationibus, et infellecto ὅρα, σκόπει, reddi potest *ne*, vel simpliciter sine illa ellipsi *fortasse*,

ut saepissime apud Philonem occurrit, observante Loesnero.

10. Εἰσῆλθον — γάμους) *introibant cum sponso in domum ubi nuptiae celebrabantur* Γάμοι h. l. significat per meton. vel *coenaculum* ut Matth. XXII, 10. vel *domum* potius, ubi nuptiae celebrabantur; nam sequitur: καὶ ἐκλείσθη ἡ θύρα

12. οὐκ οἶδα ὑμᾶς) i. e. vos non vidi in eorum coetu, qui me comitati sunt; ignotae mihi estis.

13. Γρηγορεῖτε — ὥραν) *Vigilate igitur; ignoratis enim tempus et temporis momentum*, quo nempe Messias veniet. Γρηγορεῖν h. l. tropice notat caute et circumspecte agere, nominatim officiis suis recte et accurate satisfacere, pietatis studiosum esse. Caeterum in parabolis non esse premendas partes singulas, sed intuendum scopum comparationis, recte praecipiunt bonae notae interpretes. Sic e. g. frustra quaeritur, quid significent lampades, oleum etc. Summa totius parabolae est haec: Aeque fatuos ac stultos esse eos, qui salutem aeternam sine vera fide et bonorum operum studio sperant, et opus conversionis procrastinant, ac virgines illae fatuae, quae in parabola describuntur; sapienter vero illos tantum agere, qui cum fide studium bonorum operum coniungunt, et ita vitam instituunt, ut semper ad bene moriendum sint parati.

14. Ὥσπερ γὰρ ἄνθρωπος) Ellipticus sermo. Hoc enim dicitur: Id futurum esse; vel fore ut idem aut simile quippiam accidat in regno Messiae, quale narratur in parabola. Ἐκάλεσε τοὺς ἰδίους δούλους) quos maxime ad hoc idoneos iudicabat v. 15. et quos accuratius et maiore fide quam mensarios negotium gesturos esse sperabat. *Seine eigenen Knechte.* καὶ παρέδωκεν — αὐτοῖς) Sic Apostolis, sic omnibus Christianis animi et corporis bona concredidit Chri-

Christus, aliis maiora, aliis minora, ut quisque pro sua facultate ad communem utilitatem suum conferat: quod expressius dicitur comm. sequenti.

15. Ἑκάστῳ κατὰ τὴν ἰδίαν δύναμιν) Pro cuiusque *facultate*, sive prout quemque norat ingenii solertia, industria in agendo, et felicitate in tuto collocanda pecunia ad foenus exaggerandum valere, ita grandius aes foenebre ei committebat. Δύναμις enim saepe *ingenii solertiam, rerumque tractandarum peritiam* designat. καὶ ἀπεδήμησεν εὐθέως) Sic Christus peracto opere suo in his terris abiit ad patrem.

16. Πορευθεὶς — πέντε) *Ac quinque talenta qui acceperat, ea ita collocavit, ut ex iis lucraretur alia quinque talenta.* εἰργάσατο ἐν αὐτοῖς) ἐργάζεσθαι, *negotiari*, satis Graecum est; sed illud ἐν est Hellenisticum. Graeci enim dicerent: ἐργάζεσθαι αὐτοῖς. ἐποίησεν) *acquisivit.* Ita ποιεῖσθαι ἀργύριον apud Pollucem. Ita multi bene utuntur donis a Deo sibi concessis.

18. Ἀπελθὼν) redundat ex hebr. idiotismo. ὤρυξεν ἐν τῇ γῇ) Ita Latinis defosso auro incubare dicitur, qui inutilem pecuniam detinet. Imago hominum, qui non recte utuntur donis acceptis.

19. Μετὰ — λόγον) Longo post tempore herus, ab itinere redux, confert cum ipsis rationes. Sic Christo aliquando redituro rationem reddent homines.

20. Ἐκέρδησα ἐπ' αὐτοῖς) *ex iis*, vel *per ea.*

21. Εὖ) Laudantis, ut et ἔυγε, quod quia Latini quoque eodem sensu usurpant, prudenter hic posuit latinus interpres. Alioqui *Macte*, aut *Bonum factum*, aut *Bene habet*, potuerat vertere, ἐπὶ πολλῶν σε καταστήσω) *Plura tibi committam.* Nam, ut recte Cicero ad Q. Fratrem: *Quanta est in quoque fides, tantum cui-*

que committendum. εἰς τὴν χαρὰν τ. κυρίου σ.) *Particeps esto herilis gaudii.* Ἡ χαρὰ τ. κυρίου, *gaudium Domini*, est gaudium quo Dominus fruitur, et quidem rex, qui repudiatus a rebellibus civibus, nunc regno potitur, ut patet ex Luc. XIX, 12. 15. Εἰσέρχεσθαι εἰς τὴν χαρὰν est *participem esse gaudii vel felicitatis.* Est hebraica phrasis, cui similis extat Ps. LXIX, 28. et XCV, 11. Rectius autem verba nostra vertuntur: *epulare cum Domino tuo.* Nam מִשְׁתֶּה, *convivium*, Esth. IX, 18. 19. vertitur χαρὰ, et Vulgata Ps LXVIII, 4. verbum יִשְׂמְחוּ vertit *epulentur.* Hoc autem loco χαρὰ denotare videtur coenaculum ipsum; nam ex verbo ἔισελθε apparet, de loco esse sermonem. Quum autem epulari cum Domino summi sit honoris et praemii amplissimi, indicat haec formula: *Dominus tuus te lautissime ornabit, et liberalissime remunerabitur.*

22. 23. Non opera ipsa ponderat Christus, (ad quae facienda non omnibus temporis tantundem, non aequa occasio,) sed fidele studium. Itaque saepe: *In tenui labor, at tenuis non gloria.*

24. Ὁ τὸ ἓν τάλαντον) In eo, cui minimum erat concreditum, negligentiae exemplum posuit Christus, ne quis speraret, excusatum se iri ab omni labore ideo, quod non eximia dona accepisset. Plus quidem exigetur ab eo, cui plus datum est, ut ait Lucas; sed et is fructum debet, qui minus accepit. σκληρὸς) Homo durus et asper. Sequentia ostendunt, indicari eum, qui non modo sit ἀκριβοδίκαιος, sed et πλεονέκτης, *homo avarus*, qui avaritia motus simul et austerus et crudelis est, et nullo erga alios misericordiae sensu dicitur. Vid. *Kypke* ad h. l. Θερίζων — ὃ διεσκόρπισας) *Qui metas ubi non seminasti, et col-*

colligas frumenta *ex areis*, *in quibus tu* ea *non ventilasti*. Διασκορπίζειν haud dubie h. l. positum est pro hebr. זָרָה, quod de ventilatoribus ponitur Ruth. III, 2. et significat *ventilare*, *vannare*. Συνάγοντα ὅθεν dictum est pro συνάγοντα ἐκεῖθεν, ὃ vel ὅπερ. Refertur enim ad verbum συνάγειν, quod est *colligere*, *congerere* frumenta ventilata in saccos, et condere in granarium. Ergo proverbiali hac locutione describitur homo alieni appetens. Cognatum est illud Graecorum proverbium apud *Aristophanem* in Equitt. Act. I. Sc. 2. τἀλλότριον ἀμᾷς θέρος. Sumtum autem est hoc proverbium ab avarorum moribus, qui duri semper sunt in operis urgendis. Imaginem in pigro servo habes hominum, qui sibi tantum vivunt, et aliorum commodis studere nimis molestum existimant.

25. Ἔχεις τὸ σὸν) Formula nihil ultra debere se profitentis.

26. Ἧδεις) Figura, quam συγχώρησιν vocant. Esto, ut dicis: noras me asperum et plus aequo petentem: tanto magis curandum tibi fuit, ne me rei meae fructu fraudares.

27. Τοῖς τραπεζίταις) τραπεζῖται sunt Danistae, qui mensulis in publico propositis, pecuniam foenore elocant, Latinis Argentarii. ἐγὰ ἐκομισάμην ἂν τὸ ἐμὸν σὺν τόκῳ) Ἐκομισάμην, hic est: ἦλθον κομίζεσθαι, ivissem receptum, i. e. exegissem. Sic homines pigri et privatis commodis suis intenti nullo modo se excusare poterunt ob neglecta dona divinitus sibi data.

29. Τῷ γὰρ — περισσευθήσεται) *Nam ei, qui recte utitur acceptis, plura et maiora committi solent.* Ἔχειν h. l. est *recte habere*, i. e. *bene uti*. ἀπὸ δὲ — ἀρθήσεται ἀπ' αὐτοῦ) *Non autem bene administranti rem*

rem sibi commissam, id etiam quod habet, auferri solet. Proverbium est, quod varie applicari potest. In alia serie occurrebat supra c. XIII, 12. Quum in toto hoc loco sit sermo de pecunia, sensus erit: Dives facile augere solet divitias; homo pauper vero plerumque illa paucula, quae habet, amittit. Quod igitur in vita communi fieri solet, id etiam hic locum habebit. Non male Cicero: *Lex ipsa naturae, quae utilitatem hominum conservat et continet, decernit profecto, ut ab homine inerti et inutili ad sapientem, bonum, fortemque virum transferantur res ad vivendum necessariae.* De offic. III.

30. Ἀχρεῖον δοῦλον) *Servum inertem et improbum.* Talis enim omnino hic intelligi videtur, quippe quid non solum pecunia sibi concredita nihil lucri Domino suo peperat, sed et hunc magna audacia *iniustiae* et *avaritiae* accusabat, et inertiae suae culpam in ipsum reiiciebat. Sic ἄχρηστος occurrit etiam in epist. ad Philem. v. 11. Ad sequentia cf. notata ad c. VIII, 12.

31. Ὅταν δὲ — δόξῃ αὐτῷ) Errare mihi videntur ii, qui hunc locum de adventu ad excidium Hierosolymorum et interitu reipublicae Iudaicae interpretantur; repugnat enim huic sententiae usus loquendi, et universa orationis forma. Quanquam autem hic sermo cum praecedenti cohaerere videtur, non tamen sequitur, Iesum ea omnia, quae c. XXIV. et XXV. leguntur, uno tenore dixisse; imo potius discipuli eum haud dubie interrogando interpellarunt; Evangelista autem interrogationes eorum omisit. Iudicium solenne a Messia ante regni eius initia exercendum Iudaei dudum exspectaverant. Vid. Christ. Wilh. Flügge *Geschichte des Glaubens an Unsterblichkeit* etc. Tom. I. p. 321. sqq. et p. 345. ss. *Beschreibung des Welt-*

Weltgerichts nach dem Talmud, in SCHMIDT Biblioth. für Krit. und Exegese des N. T. T. II. p. 72. ss. AMMON Biblioth. Theol. p. 571. ss. ut alios taceam. Non igitur nova tum et ignota fuit ea doctrina. Sed Iesus correxit populares errores, servatis imaginibus. FLÜGGE l. c. Tom. III. p. 37. HAENLEIN *über Theophanien und Christophanien*, Neues theol. Iourn. II, 277. sqq. Nonnulli non ad capita religionis, sed ad imagines Iudaicas referunt, quae de visibili iudicio dicuntur; nam, inquiunt, formulae ill us origo a Iudaeis ducitur, nec universe valere potest; iudicii vulgaris descriptio nec Deo d gna est, nec rationi conveniens, imo ducit ad vana commenta; nec perspici potest caussa, cur ii, quibus sors iam post mortem contig t, denuo iudicandi sint. Vid. HERDER *von der Auferstehung* p. 116. ss. I. W. SCHMIDT *über die christl Relig* p. 329. s. I. E. C. SCHMIDT *Lehrbuch der Dogm* p. 244. In eo tamen omnes consentiunt, olim omnes omnino homines, neminem excepto, suorum factorum mercede iustissima, et immutabili, Deo et Christo auctoribus usuros esse. ὅταν — δόξης αὐτῦ) *Ubi vero venerit Messias summa maiesta te conspicuus, et omnes angeli sancti cum eo, tunc occupabit thronum suum splendidum.* Ὁ υἱὸς τῦ ἀνθρώπυ, pro *ego*, ut saepe monitum; sed retineri h. l. potest vocabulum: *Messias*. ἐν τῇ δόξῃ αὐτῦ, Vulgatus bene: *in maiestate sua*, i. e. ea pompa et solemnitate, quae Messiam et iudicem humani generis decet. Vid. supra c. XVI, 27. 1 Cor. V, 27. θρόνος δόξης pro θρόνος ἔνδοξος est *thronus splendidus*. Similitudo a regibus sumta, qui, quum res maximas tractant, insident magnifico ac sublimi solio. Sensus est: tum sententiam iudiciariam feret; praemia et poenas tribuet. Fac le patet in hoc et similibus locis multa ad meram similitudinem formae iu-

di

diciorum humanorum expressa, neque ad literam capienda esse. Cf. notata supra ad v. 1. huius cap. *Beyträge zur Beförderung des vernünftigen Denkens in der Relig.* Heft 3. p. 61. sqq. *Tobleri Gedanken und Antworten zur Ehre Iesu Chr. und seines Reichs.* p. 244. sqq.

32. Πάντα τὰ ἔθνη) Omnes viventes et mortui totius orbis. Act. X, 42. c. XVII, 31. Qui omnia proprie capiebant, veriti sunt, ne amplum orbis spatium non sufficiat tot hominibus, qui unquam vixerunt et adhuc victuri sunt; contra horum vanum timorem disputavit *Süssmilch* in libro: *Ordnung des menschlichen Geschlechts* etc. T. II. p. 230. sq. et cf. *Doederlini* Theologi Iensnsis Theol. dogm. P. II. p. 255. edit. secundae. Sed iam monuimus (v. 31.) in hac descriptione non omnia ad literam esse capienda. Hoc unum igitur tenendum est, apparitorum esse manifestissime in illo die, discrimen esse bonorum malorumque evidens et aeternum. Credibile est quidem, expectandum esse aliquid adspectabile, eodem tempore ad omnes pertinens; quid autem et quale sit futurum, nemo facile definire ausit. Vid. *Mori* Epit. P. VII. §. 5. 6. Καὶ ἀφορίει — ἐρίφων) Tropice et parabolice haec dicta esse, nemo non videt. Nam Christus, rex et dominus se comparat pastori; homines autem, ex voluntate Patris sibi subiectos omnes, comparat gregi ovium et haedorum; ac bonos quidem et mites homines ovibus, malos autem, impuros et noxios haedis. *Hircus* enim est animal olidum et libidinosum; quare ipsi mali daemones שְׂעִירִים, *hirci* Hebraeis dicuntur. In die illo extremo separatio fiet bonorum et malorum, ut illi cum bonis et in iucundissimo eorum consortio gaudiis fruantur: hi vero cum malis et in eorum tristi societate poenis afficiantur.

33.

33. Καὶ στήσει — εὐωνύμων) Ad dextram iudicis collocari est boni ominis, sicuti ad sinistram, mali ominis. Illud est honoris, hoc ignominiae signum. Dextrae et sinistrae in iudicio post hanc vitam mentio est etiam apud Profanos et Iudaeorum magistros. VIRGIL. AENEID. "Dextra, quae Ditis magni sub moenia tendit. Hac iter Elysium nobis: at laeva malorum Exercet poenas, et ad impia tartara mittit.„ *Schīr R. I.* ◊. *Dextri et sinistri*; in illis praeponderat iustitia, in his poena. *Plutarch.* Apophth. ἐκέλευσε τὰς μὲν ἐπὶ δεξιᾷ τῆ βήματος θεῖναι, τὰς δὲ ἐπ' ἀριστερᾷ — τὰς βελτίονας — τὰς χείρονας.

34. Οἱ εὐλογημένοι) i. e. beati et felices, quos pater meus beneficiis suis cumulavit. Dicitur enim Deus benedicere hominibus, quum eos beat. Εὐλογημένοι τῆ πατρὸς dictum est pro εὐλογημένοι ὑπὸ τῆ πατρὸς, ad imitationem hebraicae phraseos בְּרוּכֵי יְהוָה Ies. LXV, 23. κληρονομήσατε) *possidete, occupate*, Hebr. יָרַשׁ τὴν ἡτοιμασμένην ὑμῖν βασιλείαν) *regnum vobis divinitus assignatum*, i. e. felicitatem vobis destinatam. Κληρονομεῖν τὴν βασιλείαν, sive βασιλεύειν, *regnare*, saepe dicuntur ii, qui nemini addicti, omninoque qui beati sunt et iucundissimarum rerum fructu florere videntur; ut fere in illo CICERONIS (Epp. ad divers. VII. 24.) *olim, quum regnare existimabamur*. Igitur quod Paulo Apostolo 2 Tim. II, 12. est συμβασιλεύειν τῷ χριστῷ, id quidem in loco simili Rom. VIII, 17. συνδοξασθῆναι. Vid. etiam Rom. V, 17. et 1 Cor. IV, 8. Dicitur autem haec βασιλεία, haec felicitas parata esse piis ἀπὸ καταβολῆς κόσμε, *a condito mundo*; quia Deus praevidit, eos religioni esse obsecuturos, et hanc felicitatem destinavit piis et probis.

35.

35. Ἐπέινασα γάρ) Amorem erga homines et beneficentiam laudat Christus, quia hac virtute omnes fere reliquae continentur. Sed non expresso genere, statim ad partes transit, et beneficiorum exempla aliqua recenset. ἐδίψησα) in multis Orientis regionibus maxima aquae est penuria. Potum igitur praebere sitientibus, magni beneficii loco habitum. συνηγάγετέ με) συνάγειν h. l. est *hospitio excipere*, ut 2 Sam. XI, 27. Iud. XIX, 18. Magna virtus erat illis temporibus hospitalitatem exercere, quia diversoria publica nondum erant.

36. Γυμνὸς) *vestitu leviore et tenui indutus*, semiamictus, minus bene vestitus. ἠσθένησα — με) *quum aegrotus essem, mei curam habuistis.* Ἐπισκέπτεσθαι, hebr. פָּקַד *adspicere, visitare aliquem* (1 Sam. XIV, 17.) dicitur etiam de iis, qui aliquem ita visitant, ut ei opem ferant eiusque egestati succurrant. Ruth. I, 6. Ἤλθετε πρός με, involvit etiam illud: *mei curam habuistis, solatio me recreastis.*

37 — 39. Λέγοντες. Κύριε) vel hinc apparet, multa huic descriptioni inseri parabolica. Nemo enim sibi facile persuaserit, Iesum in illo die iudicii cum singulis piis, vel etiam cum universo coetu piorum colloquia esse instituturum. Hoc unum igitur tenendum est: pios admiraturos esse bonitatem Christi, ipsorum facta exigua tam benigne interpretaturi, et remuneraturi; fore ut pii et probi Christiani in altera demum vita percipiant dulcissimos laborum et recte factorum fructus, atque edoceantur, quantum utilitatis ex eorum studiis redundaverit ad alios.

40. ἐφ' ὅσον — ἐλαχίστων) *Quatenus vel unum horum fratrum meorum minimorum his beneficiis ornastis.* Verbum ποιεῖν h. l. ut vel contextus docet, bono

sensu

sensu positum est, ut עָשַׂיִת Prov. III, 27. ubi Alexandrini interpretati sunt per βοηθεῖν. Ἐμοὶ ἐποιήσατε) i. e. perinde id habeo, ac si mihi fecissetis; quomodo uxori facta iniuria marito facta censetur. Vid. supra c. X, 40. Gal. V, 6.

41. Πορεύεσθε — ἀγγέλοις αὐτοῦ) *Facessite hinc infelices in supplicia sempiterna, diabolo atque eius angelis parata.* Οἱ κατηραμένοι, oppositi τοῖς εὐλογημένοις τοῦ πατρὸς v. 34. sunt *infelices*, miseri, ob immania scelera et inhumanitatem indigni amore divino et praemiis, puniendi potius. Vid. Ps. XXXVII, 22. Gen. XII, 3. Τὸ πῦρ τὸ αἰώνιον quid sit vid. supra c. XVIII, 8. Vocatur ὄλεθρος αἰώνιος 2 Thess. I, 9. et κόλασις αἰώνιος infra v. 46. Haec supplicia parata sunt diabolo καὶ τοῖς ἀγγέλοις αὐτοῦ, *legatis eius*, emissariis et ministris Satanae, qui more Satanae et ad eius exemplum consiliis divinis renituntur. 2 Cor. XII, 7. Apoc. XII, 9. coll. Io. VIII, 44.

46. Εἰς κόλασιν — ζωὴν αἰώνιον) Ζωὴν αἰώνιον esse felicitatem sine fine duraturam, omnes facile largiuntur. Quod autem Christus dicit, κόλασιν etiam malorum hominum fore αἰώνιον, id nonnulli pro Subiecti ratione intelligendum esse existimant de longa duratione, et monent, quicquid fere post huius vitae mundique decursum eventurum est, id communi nomine αἰώνιον vocari. Digna est etiam examine doctorum *Doederlini*, Theologi olim Ienensis sententia (in institut. Th. Christ. Parte II. p. 150. 151.) suspicantis, ζωὴν αἰώνιον respondere formulae βασιλεία τῶν οὐρανῶν, et esse civitatem, in quam piorum cohors adoptatur; κόλασιν αἰώνιον vero civitatem esse, sedemque impiorum, cui nec Deus finem imperabit, nec cives deerunt unquam; civitatis igitur potius quam poenarum describi perennitatem. Sed vel ideo ἡ κόλασις eorum,

rum, qui officia pietatis et charitatis neglexerunt, ἀλόγιος vocari recte potest, quia carebunt praemiis quae destinata sunt virtute praestantibus Christianis. Gal. VI, 7. 8. Haec iactura nunquam in totum reparari poterit. Vid. Mori dissertatt. theol. et philol. p. 359, ss. et Beyträge zum vernünft. Denken etc. Heft 3. p. 83. seqq.

CAP. XXVI.

1. 2. Duo hi versiculi non debebant avelli a cap. XXV continent enim conclusionem sermonum praecedentium. Οἴδατε — γίνεται) *Scitis post biduum Pascha celebrandum esse.* Τὸ πάσχα h. l. est *festum paschale*, alias etiam ipse agnus paschalis, quotannis die XIV. mensis Nisan post occasum solis a Iudaeis comedendus. Derivatur hoc vocabulum ab hebraica voce פֶּסַח, *transitus* a radice פָּסַח transiit, quia angelus mortis, Aegyptiorum primogenitos percutiens, Israelitarum domos, sanguine agni conspersas et quasi signatas, praeteriens, Israelitis pepercit. Exod. XII, 13. Μετὰ δύο ἡμέρας) Christus itaque, feria sexta passus, haec locutus est vel feria tertia, i. e. die Martis, vel feria quarta, seu die Mercurii, prout terminum vel excludendum hic vel includendum censeas. Plerique cum *Grotio*, *Cocceio*, *Bynaeo* quibus accedit *Michaelis*, diem Martis intelligunt. Diem Mercurii Iesus Bethaniae transegisse, die Jovis autem, post meridiem Hierosolyma rediisse videtur, ut ibi Pascha cum discipulis celebraret. Cf. infra v. 17.

3. Τότε, *circa illud tempus.* Non praecise eo die, quo Christus sermones suos finierat, sed in ultima illa hebdomade, qua Pascha celebratum est. οἱ ἀρχιερεῖς καὶ οἱ γραμ-

γραμματεῖς καὶ οἱ πρεσβύτεροι) Synedrii descriptio, quo nomine hunc coetum appellat *Ioannes* c. XI, 47. Eius synedrii munus erat de Pseudo – prophetis cognoscere. εἰς τὴν αὐλὴν) Αὐλή, proprie *subdiale*, ut et infra aliquoties, sed synecdochice *palatium*. Nam omnes aedes magnatum et opulentiorum hominum, quin omnes eae, quae habent locum subdialem vocantur αὐλαί. τοῦ ἀρχιερέως) Hic κατ' ἐξοχήν haec vox accipitur, pro eo qui dicebatur כֹּהֵן גָּדוֹל, eo enim anno maximum pontificatum *Caiphas* gerebat Io. XI, 51. Et merito addit Ioannes τοῦ ἐνιαυτοῦ ἐκείνου, quia vix unquam magis ambulatoria fuit pontificatus dignitas, ut ex *Iosepho* discimus. Instituerat hunc *Valerius Gratus*, destituit *Vitellius*. Caiaphae etiam *Iosephi* nomen fuit. Vid. *Ioseph.* antiquitt. Iud. Lib. XVIII, c. 2. §. 2. c. 4. §. 3.

4. Καὶ συνεβουλεύσαντο — ἀποκτείνωσιν) *Atque consultarunt de Iesu dolose capiendo et occidendo.* Dolo et insidiis opus erat, quia Iesus noctes non in urbe, sed in villis prope urbem, ad montem olearum sitis transigere solebat. (Luc. XXI, 37.) Locum autem, ubi latebat, nemo praeter discipulos et amicos noverat. Interdiu docebat quidem publice in templo; sed ibi prehendere eum nolebant, metu seditionis, quia plebs tota ab eius ore pendebat. Luc. XXII, 2. Tempus nocturnum his rebus agendis opportunissimum videbatur. Fortassis etiam clam eum interficere volebant; sed mutato consilio per praesidem Romanum eum necandum esse decernebant.

5. Μὴ ἐν τῇ ἑορτῇ, ἵνα μὴ θόρυβος γένηται ἐν τῷ λαῷ) ἑορτὴ hic vocatur totum illud tempus a mactatione agni ad finem Azymorum. Solebant alias apud Iudaeos, ut et Talmudici notant, sontium insigniores plecti ἐν ἀν-

ταις

ταῖς ταῖς ἑορταῖς, quo ad plures exemplum perveniret. Sed supplicium, quod Iesu destinabant, praeter morem differendum censebant extra tempus festi. Magis enim metuebant Galilaeos, tanquam ipsius Iesu populares, quam Hierosolymitas. Et erat omne hoc tempus seditionibus opportunum, ob maximum populi concursum. Mutabant autem deinde propositum, quum Iudas ministerium suum ad Iesum iis tradendum promisisset. Ceterum singulari Dei providentia factum est, ut a priori consilio discederet Synedrium. Debuit nempe in ipsum paschale tempus incidere mors Iesu, quo plures huius rei essent testes.

6. Ἐν Βηθανίᾳ ἐν οἰκίᾳ Σίμωνος) Non caret difficultatibus diversitas in temporis ordine, quo haec ab Evangelistis narrantur. Ioannes enim c. XII, 1. refert, contigisse πρὸ ἓξ ἡμερῶν τοῦ πάσχα. Noster comm. 2. biduo ante Pascha. Nihil est certius, quam a scriptoribus Evangeliorum multa referri non temporis ordine, sed ex rerum ductu. Videntur *Matthaeus* et *Marcus* hanc historiam hoc loco posuisse, ut notarent, quid *Iudam* ad facinus impulisset; nam immediate subsequitur id, quod ad *Iudam* pertinet. *Ioannes* c. XII. historiam hanc suo tempori reddidit, tum ad confirmandum, quod de Lazaro dixerat, tum ad connectenda, quae sequebantur. Vid. *Michaelis Einleitung* etc. pag. 887—893. edit. 4. et *Storr über den Zweck der evangelischen Geschichte* etc. p. 298. Ἐν οἰκίᾳ Σίμωνος τοῦ λεπροῦ, *in domo Simonis, qui olim leprosus fuerat*, sanatus fortassis a Iesu. Cf. Matth. XI, 5.

7. Προσῆλθεν — ἀνακειμένου) *Accessit mulier cum vasculo unguentario unguenti pretiosi, quod inter coenandum affudit capiti eius.* Γυνὴ, Maria nempe, soror Lazari, ut discimus ex Io. XII, 3. Ἀλάβαστρον *Hesychius* explicat: μυροθήκη, λίθος ψήφινος. Erat genus

vasis

vasis unguentarii sine ansis: παρὰ τῷ μὴ ἔχειν λαβήν, ut docet *Bielius* apud Albertum. Vid. *Matthaei* Lect. Mosq. Vol. I. p. 10. ubi Euthym. Zygab. Cat. ad h. l. ἀλάβαστρον δέ ἐστιν εἶδος ἀγγείου μυροδόχου. Cf. notata a *I. G. C. Ernesti* ad Glossas sacras Hesychii. De *Alabastro* cf. nota ta a nobis ad Marc. XIV, 3. et N. G. *Schroederum* in Commentario *de vestitu mulierum hebraearum*, p. 160. ss. qui docet ἀλαβαστρον esse lapidis genus nitidissimum et candidissimum, ex arab. *hasrat* et cum articulo *alhasrat*, *lapides molliores et albicantes*. Ceterum materia ponitur pro eo quod ex illa factum sit, ut אֲבֶן pro vase lapideo, Exod. VII, 19. et ἀλάβαστρον μύρου dicitur ut apud LXX. ποτήριον τοῦ οἴνου, Ier. XXV, 15. Matthaeus nomen generis, μύρου posuit, cui Marcus et Ioannes addunt νάρδου πιστικῆς. κατέχεεν ἐπὶ τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ) Ungebantur et convivae et mortui; et ditiores quidem unguento seu nardo, reliqui oleo; quod et hodie in Oriente fieri solet, et honoris maximi est argumentum.

8. Οἱ μαθηταὶ) aut enallage, aut quod Iudas improbe coeperat, alii imprudenter sequebantur; nam Ioannes c. XII, 4. solum Iudam proditorem nominat. ἀπώλεια) *iactura*, *perditio*, prodigalitas, ut Glossae veteres interpretantur.

10. Κόπους παρέχετε) *molesti estis*. Graeci usitatius, πράγματα παρέχετε. ἔργον γὰρ καλὸν εἰργάσατο εἰς ἐμὲ) *Pium enim mihi praestitit officium*. Εἰς ἐμὲ idem est ac ἐν ἐμοὶ, quod optimi codices apud Marc. XIV, 6. exhibent. Actiones lege non vetitas finis praecipue discriminat: finis autem hic optimus, Christum honore afficere.

11. Ἐμὲ δὲ οὐ πάντοτε ἔχετε) Mortem imminentem sibi significat. Animo quasi haec mulier praesagit, me mox esse moriturum, ideoque me ungere voluit.

12. Βαλοῦσα) Ponitur hic βάλλειν pro ἐκχέειν, *effundere*. ἐνταφιάσαι) Significat hoc verbum corpus ad funus componere, et ornamentis sepulcralibus ornare, quod fit curando, ungendo, condiendo et condendo mortuo. Ἐποίησε, *fecisse censetur*. *Perinde est*, inquit Iesus, *ac si hoc fecisset ad pollincturam mei*. Cf. Matth. X, 40. XXV, 40.

13. Ὅπου ἐὰν — εἰς μνημόσυνον αὐτῆς) *Ubicunque terrarum historia rerum mearum narrabitur, collaudabitur etiam quod ab ea factum est, ad memoriam eius recolendam*. De voce εὐαγγελίου vid. Prolegom. Post τοῦτο comma est ponendum. λαλεῖν idem hic est quod λέγειν, *narrare*, ut דִּבֶּר 1 Reg. XIII, 25. Εἰς μνημόσυνον αὐτῆς, ad eius laudem.

14. Τότε, *tum, hac occasione data*. Ἰσκαριώτης, vid. c. X, 4. Iudas portabat arculam seu cistellam pecuniae custodiendae destinatam, ex qua iam antea consueverat partem pecuniarum auferre, sibique reservare. Io. XII, 6. Igitur turpissima lucri cupiditate abreptus, quod sibi in unguento non divendito periisse credebat, ex domini divenditi pretio pensare voluit.

15. Τί θέλετε — αὐτὸν) Ad quod facinus nil nisi auri sacra fames eum impulit. ἔστησαν) *constituerunt*, ut optime hic vertit vetus Latinus. Id enim in iure est promittere. Sic etiam Hellenistae loquuntur, ut 1 Maccab. XIII, 38. Alii verba ἔστησαν αὐτῷ malunt vertere *appenderunt* ei, quae verbi notio occurrit etiam apud profanos Scriptores, nominatim *Xenophontem*, cuius loca *Raphelius* affert. Apud Zachar. c. XI, 12. LXX. hebr. וַיִּשְׁקְלוּ ver-

verterunt ἔσησαν, *appenderunt.* Nam argentum olim non annumerari, sed appendi et ponderari consueverat. Quum autem Christi aetate signatum argentum in usu fuerit, recte etiam vertitur *annumerarunt.* Videntur pontifices hanc summam praenumerasse Iudae, cum promissione maioris praemii, si, quod promiserat, praestitisset. Haec *Michaelis* est sententia, quae cum locis Marc. XIV, 11. Luc. XII, 5. optime conciliari potest. τριάκοντα ἀργύρια) sc. νομίσματα, *triginta nummos argenteos,* sive *Siclos* Hebraeorum, quod Iosephus Antiq. III, 8. 3. cum Graecorum tetradrachmis comparat. Vid. *Fischeri* Proluss. p. 73. s. Triginta sicli Hebraeorum aestimantur 22. Thal. ex Michaelis sententia.

16. Ἐυκαιρίαν) opportunitatem, occasionem, ut *Cicero* hanc vocem explicat.

17. Τῇ δὲ πρώτῃ τῶν ἀζύμων) *Primo die festi azymorum.* Post πρώτῃ supplendum esse ἡμέρᾳ, facile apparet. Τῶν ἀζύμων pro τῆς ἑορτῆς τῶν ἀζύμων. Φαγεῖν τὸ πάσχα אֶכֹל הַפֶּסַח Exod. XII, 11. 41. est *comedere agnum paschatis.* Negarunt nonnulli Iesum omnino tum agnum paschalem comedisse. Vid. praeter alios Sal. Deyling *de die Iesu Christi emortuali,* Misc. Lips. II, 513. ss. G. F. Gudii *demonstratio hermenevtica, quod Christus in coena sua σαρωσίμῳ agnum paschalem non comederit.* Lips. 1753. 4. quem solidis argumentis refutavit Conr. Ikenius diss. *qua contra Gudium demonstratur, coenam Christi σαρώσιμον vere paschalem fuisse.* Brem. 1742. Disceptatur tamen, num Christus coenam paschalem eodem cum reliquis, Pharisaicae maxime disciplinae Iudaeis, quod plerique censuerunt, an die uno citius, cum Karaeis comederit, quod Conr.

Ikenius tribus dissert. 1735. et 1739 defendit. Vid. *eius dissertationes Philologico—Theologas in diversa sacri codicis utriusque instrumenti loca* etc. Traiecti Batav. 1770. 4. p. 337. sq. Equidem sententiae *Ikenii* accedere non dubito. Videtur mihi nempe Iesus ultimam suam coenam paschalem non cum Pharisaeis eorumque asseclis, sed cum Karaeis et Sadduceis uno die prius comedisse. Nam, ut alia taceam, Ioannes cap. XVIII, 28. expressis verbis asserit, Iudaeos, (inter quos Pharisaei eminebant,) primo mane die Veneris, Servatorem in vinculis ad Pilatum ducentes, noluisse intrare in Praetorium, ἵνα μὴ μιανθῶσιν, ἀλλ' ἵνα φάγωσι τὸ πάσχα. Haec verba non nisi de agni Paschatis esu accipi possunt, unde sequitur, hunc agnum Iudaeis, in Praetorium ingredi recusantibus, instanti nocte adhuc comedendum fuisse, quod a Iesu eiusque discipulis nocte praecedente factum erat. In eo quidem omnes Iudaei, Pharisaei sive Traditionarii cum asseclis, Karaei, i. e. Scripturarii, non confundendi cum Sadducaeis (vid. notata ad c. XXII, 35.) ipsique Sadducaei consentiebant, agnum paschalem sub finem diei XIV. mensis Nisan, mactandum, et vespera, seu nocte sequenti, quae initium diei XV. faciebat, comedendum esse. Quum autem Iudaei illis temporibus nondum dies per integrum annum calendario ante designatos haberent, sed sub initium singulorum mensium, inprimis illorum, in quos festa annua, et maxime festum Paschatos inciderent, primum diem ex novilunio determinarent, eumque quaquaversum, accensis ignibus in montibus, dein vero emissis nunciis, omnibus gentis suae notum facerent: in hac determinatione plus una de caussa discrimen accidere poterat inter Rabbanitas seu Traditionarios, et inter illos, qui reiectis traditionibus Scripturam solam se-

sequebantur, ita ut altera pars integro die serius initium mensis constitueret, quique uni parti esset primus novi mensis dies, is alteri adhuc pro ultimo mensis praecedentis reputaretur, atque adeo, qui prioribus esset dies XIV. in posterioribus tantum XIII. haberetur, unde ultro patet, quod, si utrique vellent die XIV. Pascha mactare et XV. concedere, necessario hi integro die serius illis id facere debuerint, quia pro diverso computo, qui illis XIV. idem his demum XIII. esset. Iam vero duplex potissimum circa determinationem Novilunii fuit sententiarum divortium, utrum nempe novilunium ex conspectu lunae novae seu φάσεως, an ex calculo astronomico determinari debeat? Quum nempe Iudaei Traditionarii viderent, ob aërem nubilum evenire facile posse, nova luna non statim conspiceretur, tum quoque circa testium, qui eam se vidisse asserrent, ἀξιοπιστίαν sibi varios scrupulos formarent, stante templo introduxerunt, ut non ex solo conspectu novae lunae Neomeniam figerent, sed calculum astronomicum simul consulerent, tum quoque, pro summa, quam Synedrio M. vindicabant, auctoritate, huic deferrent, ut testes examinaret, et ubi eorum testimonium calculo astronomico conveniret, diem novilunii determinaret, eumque constitutum Iudaeis ubique locorum notum faceret. Contra vero illi, qui Scripturae soli, reiectis traditionibus inhaerebant, ut Karaei, ex sola φάσει novae lunae, a quibuscunque, etiam a privatis observata, novilunii tempus figebant, additis tantum certis signis, si forte luna ob nubilum aërem conspici non posset. Status igitur quaestionis fuit, an novilunium ex φάσει demum cum calculo astronomico sedulo collata, illique conveniente, an vero ex φάσει sola, a testibus oculatis fide dignis nunciata, figi debeat; quorum prius Rabbanitae seu Traditionarii, posterius Scripturarii,

aut Karaei, provocantes ad Exod. XII, 2. affirmabant. Cum Karaeis fecit Iesus, fecerunt etiam Sadducaei, quia et ipsi traditiones reiiciebant. Karaeos autem non demum Sec. VIII. post. Chr. n. ut *Morinus* voluit, sed iam sub templo II. aetate regis Alexandri Iannaei esse ortos, *Triglandius* in opere, supra ad Matth. XXII, 35. a nobis laudato cap. V. multis argumentis demonstravit. Obiectiones contra suam sententiam prolatas IKENIUS, ut mihi quidem videtur, solidis argumentis refutavit. Reiecit tamen eam inter alios nuperrime GABLERUS. Vid. eius Commentatt. tres: *Ueber die Anordnung des lezten Passamahls Iesu;* (Neues theol. Iournal. T. XIII, 441. ss.) *Ueber die Frage, ob Iesus wirklich das Osterlamm gegessen habe?* ibid. p. 472. ss. *Ueber den Anfang des Passahfestes bey den Juden*, ibidem T. XIV, 433. ss. Sed plura addere ab instituti nostri ratione alienum est.

18. Πρὸς τὸν δεῖνα,) Ita Graeci loquuntur, quum non quemvis hominem, sed unum aliquem designatum volunt, quem nominari nihil attinet. Hebraice פְּלֹנִי. Cf. Luc. XXII, 10. sq. Sine dubio iam antea convenerat inter Iesum, et hospitem, qui e sectatoribus eius erat, de triclinio, et de servo, qui ad portam exspectaret discipulos, eosque ad herum deduceret. Reticuit autem Iesus nomen hospitis, ne Iudas Cariotensis Pharisaeis domum proderet, adeoque Iesus impediretur, quo minus hanc ultimam coenam paschalem una cum discipulis suis secure celebrare posset. ὁ καιρός μου ἐγγύς ἐστιν) *Instat tempus meum.* Hoc duplici modo intelligi potest, vel: *adest tempus mortis meae*, vel: *instat tempus, quo epulum paschale cum discipulis meis habeam.* Posterior interpretatio nexui conventior, et commode Iesus poterat uti verbis

ὁ καιρός

ὁ καιρὸς ὁ ἐμὸς, quoniam coenam Paschalem cum Kareis prius celebravit, quam Traditionarii. ποιῶ est futurum atticum; a librariis vero quorumdam MSStorum haec forma attica mutata est in communem ποιήσω. Ποιεῖν τὸ πάσχα, *celebrare pascha*, et per synecdochen *epulum paschale habere*. Sic Exod. XII, 48. עָשׂוּת פֶּסַח est *celebrare Pascha*. Sed genus hoc loquendi non tantum est hebraicum, sed et pure graecum, quo etiam *Xenophon* usus est, dicens ποιεῖν τὰ Ὀλύμπια. Vid. *Raphelii* annotatt. Xenophont.

19. Καὶ ἡτοίμασαν τὸ πάσχα) Id ita accipiendum est, ut discipuli emerent agnum paschalem, probarent, aut probari curarent, mactarent, excoriarent et coquerent. Haec omnia insunt in verbo ἑτοιμάζειν. Mactationem existimandum est ab ipsis discipulis esse factam. Nam *Philo*, qui incolumi urbe Hierosolyma vixit, auctor est, cum aliae omnes victimae a sacerdotibus mactarentur, hac unam ab unoquoque patrefamilias mactatam fuisse, ut *Loesnerus* ad h. l. ex *Philone* de vita Mosis p. 686. E. observat.

21. ἀμὴν — παραδώσει με) Hoc dixit Iesus, ut Iudae conscientiam tangeret, eumque a tanto facinore absterreret.

23. Ὁ ἐμβάψας μετ' ἐμοῦ ἐν τῷ τρυβλίῳ τὴν χεῖρα) *Qui mecum manum in catino intingit.* Videtur *Iudas* prope Christum accubuisse, ita ut, quum plures essent in coena catini, illi ex eodem catino ederet, ex quo edebat Christus. Sed potest etiam sensus esse: *Unus ex familiaribus meis et quotidianis convictoribus*, ut ἐμβάψας idem sit ac, *qui intingere consuevit.*

24. Ὑπάγει) i. e. *moritur;* ita enim Hebraei הָלַךְ usurpant, ut Gen. XV, 2. ubi LXX. אֶנֹכִי הוֹלֵךְ vertunt: ἐγὼ δὲ ἀπολύομαι. Sic et Latini mortuum *abiisse* dicebant.

bant. Sed potest etiam ὑπάγειν recte verti *vadere, abire.* Potuisset nempe Iesus non abire, nempe in hortum, ubi alias pernoctare solebat, et sic irritum facere consilium proditoris. Sed volebat ire in locum, quem Iudas noverat, quia sciebat, implendum nunc esse, quod scriptum erat in Prophetis, moriendum nempe sibi esse. Iudas autem post tot Iesu admonitiones nullo modo erat excusandus. καλὸν ἦν αυτῷ, εἰ οὐκ ἐγεννήθη ὁ ἄνθρωπος ἐκεῖνος.) *Omnium mortalium miserrimus erit.* Non quod esse bene ei possit, qui non sit, sed quod homines ita possunt esse miseri, ut merito optent non esse. Proverbii vim haec locutio habet; nam Talmudici ita locuti sunt, ut patet ex locis apud *Schoettgenium* in horis hebr. ad h. l. et Scriptorum utriusque linguae profanorum loca huic similia affert *Gatakerus* ad Antonin. IX, 58.

25. Σὺ εἶπας) *recte dixisti;* ita omnino res se habet. Exod. X, 29. בֵּן דִּבַּרְתָּ LXX. vertunt εἰρηκας. Est igitur affirmantis et concedentis.

26. Ἐσθιόντων — μαθηταῖς) Ἐσθιόντων αὐτῶν, *quum commedissent*, μετὰ τὸ δειπνῆσαι, 1 Cor. XI, 25, versus finem coenae, illis adhuc accumbentibus. Moris fuit, ut Paterfamilias coena paschali peracta panem et vinum distribueret. Hactenus igitur non poterat novum vel insolitum videri id quod Iesus faciebat. *Nec gratiarum actio*, et *fractio panis* inusitata erat. (Nam idem significant εὐλογεῖν et εὐχαριστεῖν, sc. τῷ θεῷ.) Moris semper Iudaeis fuit, ut ex Talmudicis scriptoribus et *Philone* apparet, cibum nullum aut vinum sumere, nisi prius Deo, tanquam conditori donatorique laudes et grates egissent, addita praecatione. Antequam id fieret, cibus pro profano habebatur; hoc facto, ἅγιος, i. e. quo vesci fas esset.

Idem

Idem valet de fractione panis. Et quia panes Hebraeorum erant κλασοί, ideo receptum apud illos erat, ut frangere panem dicerent, pro *eius participes facere alios*, ut Ies. LVIII, 7. Marc. VIII, 19. Erant enim panes Hebraeorum ita magni, ut omnibus convivis sufficerent. Sed nova et inaudita erant verba, quibus in distribuendo pane et vino usus est Christus. Porrigens enim panem, dixit: λάβετε — τὸ σῶμά μου) Formula est similis ei, qua usus est Moses Exod. XII, 11. et qua Israelitae epulum paschale celebrantes uti debebant, v. 27. פֶּסַח הוּא לַיהוָה. Cf. Luc. XXII, 19. 1 Cor. XI, 24. ex quibus locis apparet, hoc voluisse Christum: *Quemadmodum hunc panem fractum vobis edendum exhibeo: sic corpus meum mox frangendum, affligendum et interficiendum pro vobis tradam.* Cf. infra v. 28. Multi putant, esse allusionem ad formulam illam Iudaeorum, qui in paschate a liberis rogati: quid hoc est? respondebant: *Hoc est corpus agni, quem patres nostri comederunt in Aegypto.*

27. Τὸ ποτήριον) Saepius calix circumferebatur in coena; sed hic de postrema potatione agitur. Fuisse autem in eo calice vinum aqua temperatum, docet nos liber *Mischnaiot de benedictione VII.* Et videtur hoc postulasse coeli eius ingenium, ut vina, praesertim paulo largius solito, nisi aqua temperata, non biberentur.

28. Τοῦτο — ἁμαρτιῶν) *Hic enim est sanguis meus, quo novum foedus sancitur, effundendus pro multis ad consequendam peccatorum veniam.* Lucae verba clariora sunt: τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου. *Hoc poculum vobis porrigendo instituo novam religionem sanguine meo,* (i. e. profusione sanguinis mei) *sanciendam.* Ἡ καινὴ διαθήκη, est *nova et*

et melior religio, vel *oeconomia*, opposita veteri. Discrimen inter utramque praecipue in eo est positum, quod illa Mosaica religio habebat formam foederis (בְּרִית) haec autem nova oeconomia, cuius auctor est Christus, magis formam habet testamenti. Ad illustrandum hunc locum egregie facit Hebr. IX, 15. sqq. Et αἷμα τῆς διαθήκης est sanguis, quo foedus solenniter sancitur; atque inde recte suppleas quod apud *Lucam* et *Paulum* est ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου, scilicet ἐγκαινιαθεῖσα. Discipuli sine dubio e testamenti veteris et Mosaico sermone vim horum verborum tenuerunt. Nonnullis haec verba desumta esse videntur ex Exodi c. XXIV, 8. ubi sacrificio solenni sancitur foedus, sive oeconomia Mosaica, huiusque quasi natales celebrantur. Sicut igitur Moses sanguine populum conspersit, et dixit: *hic est sanguis, quo effuso foedus sancitur, quod Iova vobiscum pepigit;* ita nunc Christus hac actione facit auspicia novae religionis. Ἐκχυνόμενον, *qui iamiam effundetur;* praesens pro proxime futuro, ut supra c. III, 10. c. V, 23. c. VI, 6. aliisque locis. Verbis autem εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν indicat Christus se morte sua, et sanguinis profusione promeriturum esse humano generi beneficia longe maiora ac praestantiora iis, quae religio Mosaica olim praestiterat Israelitis, nempe remissionem peccatorum, et maxima bona aeterna. Cf. EICHHORN *über die Einsezungsworte des heil. Abendmahls* Biblioth. d. bibl. Litt. VI, 759. ss. *Ueber die eigentlichen Worte Iesu bey Austheilung des Kelchs.* Neues theol. Iourn. VII, 183. ss. I. C. ERBSTEIN Epist. ad *I. G. Lindneruu de loco Exod. XXIV, 8. ad intelligendam sententiam ecclesiae Lutheranae de praesentia corporis et sanguinis I. Chr. in s. coena non idoneo,*

neo, in eiusd. *drey kleinen Schriften vom Abendmahl*, Berl. 1780.

29. Ὅτι ἀ μὴ πίω — τῆ πατρός μα) *Non bibam ab hoc inde tempore de fructu vineae ad eum usque diem, quo illum bibam vobiscum denuo in regno patris mei.* Γέννημα τῆς ἀμπέλα, hebr. פְּרִי גֶפֶן est *vinum*. Πίνω, Praes. pro futuro. Καίνον *Theophylactus* recte explicat καινῷ τρόπῳ *alio modo*, ut καινὸν positum sit pro κατὰ καινόν. Referunt haec interpretes ad conversationem Christi cum Apostolis post resurrectionem Act. I, 3. c. X, 41. Sed ἡ βασιλέια τῆ πατρὸς h. l. videtur esse regnum illud coeleste, ipsum coelum, ubi Deus peculiari modo praesens esse creditur. *Celebrare epulum coeleste* est phrasis usitatissima, qua exprimitur felicitas aeterna et gaudium coeleste. Ergo sensus erit: Non amplius in his terris vobiscum bibam et edam; desinet ab hoc tempore haec vitae meae ratio, et consuetudo quam vobiscum hactenus habui, donec in coelo denuo vobiscum laetus ero, et coelestibus gaudiis fruar. Verum quidem est, Iesum post reditum in vitam rursus edisse et bibisse cum Apostolis, sed consuetudinem non diu cum ipsis habuit. Edit et bibit cum iis tantummodo, ut crederent se vere vivum esse.

30. Ὑμνήσαντες) Psalmos nimirum CXVI—CXVIII, tanquam alteram partem magni Hallel. Priorem partem ante esum Paschatos cantare solebant, Psalmos nempe CXIII, et CXV. εἰς τὸ ὄρος) i. e. *versus montem*. Nam Gethsemane erat inter torrentem Cedron et montem ipsum.

31. Σκανδαλισθήσεσθε ἐν ἐμοὶ) *Sinistre iudicabitis de me*, deseretis me; nam σκανδαλίζεσθαι hic est, ab officio discipuli atque amici deficere, minusque digne de magistro

gistro sentire. Ἐν ἐμοὶ, occasione eorum, quae mihi evenient. γέγραπται γὰρ πατάξω τὸν ποιμένα κ. τ. λ.) Videtur hoc dicto ex Zachar. XIII, 7. quanquam mutatis verbis desumto, proverbii in modum uti Christus; ut sensus sit: *Fiet, quod dici solet, quodque alicubi scriptum meministis; Pastore percusso, oves disperguntur.* Atque ideo imperativum modum in indicativum mutavit, quia proverbiali locutioni magis id congruebat. Sensus est: Vos, discipuli mei, me duce et defensore orbati; metu hostium hinc inde dispergemini.

32. Προάξω ὑμᾶς) Translationem Christus continuat. Rursum pastoris more vos praeibo in Galilaeam, ibique dispersos colligam. Cf. c. XXVIII, 7. Sed haec verba Apostoli tum temporis nondum intelligebant.

33. Εἰ πάντες — σκανδαλισθήσομαι) *Etiamsi omnes a te defecerint, ego vero non deficiam.* Καὶ post ἐι deest in codicibus vetustissimis et optimis. Post ἐγὼ addendum esse videtur δὲ, quod habent codd. nonnulli. Cf. GRIESBACH.

34. πρὶν — ἀπαρνήσῃ με) *Priusquam gallus cantet, me tibi cognitum esse unquam, ter negabis. Marcus* c. XIV, 30. πρὶν ἢ δὶς ἀλέκτορα φωνῆσαι. Nam gallus bis canit, primum medinoctio, deinde sub adventum lucis. *Matthaeus, Lucas, Ioannes* cantum galli simpliciter nominare contenti fuerunt, gnari ubi nihil additur, matutinum intelligi. De gallicinio vid. notata infra ad v. 74. τρὶς ἀπαρνήσῃ με) ἀπαρνεῖσθαι h. l. est, negare se Iesum quis esset, nosse, ut Lucas παραφράζει.

36. Τότε ἔρχεται — ἐκεῖ) *Deinde venit Iesus cum illis in villam Gethsemane, atque dixit discipulis: Considete hic, dum abeo illuc precandi caussa.* Χωρίον, *villa, praedium.* Γεθσημανῆ, vel ut vetustissimi codi-

codices habent, γεθσημανεί, nomen villae in vicinia oliveti ultra torrentem Kedron sitae. Conflatum esse nonnulli putant ex גַּת *torcular* et שֶׁמֶן, *oleum*, ut sit *locus torcularium olei.* Vid. *Schleusneri* Lex. ἀυτε) *ibi isthic*: proprie est genit. pronominis αὐτὸς, et vox τόπε cum praepos. subauditur, ut sit: ἐπ' αὐτῆ τόπε, in isthoc loco.

37. Ἀδημονεῖν) Habet hoc verbum significationem ingentis doloris, et maximae atque mortiferae tristitiae. Apud Hippocratem in morbo mortifero sunt ἀδήμονες, supra modum tristes.

38. Περίλυπος — θανάτε) *Vehementer angitur animus meus;* ego sum multo tristissimus; parum abest quin moerore conficiar. περίλυπος, *valde tristis.* Sic περιχαρὴς, *admodum laetus;* περιχάρεια, *abundans laetitia.* Ἕως θανάτε, pro λίαν, cui geminum est, quod est in versione Ion. IV, 9. σφόδρα λελύπημαι ἐγὼ ἕως θανάτε, hebr. עַד־מָוֶת. De caussis anxietatis vid. GABLER im *Neuen theol. Iourn.* XII, 109. ss. 217. ss. HARWOOD *Abhandl. über die zur Beuirkung der Seelenangst unsers Heilandes wahrscheinlicher Weise zusammengestossene Umstände,* in seinen *Vier Abhandlungen.* Berl. 1774. *Anmerkungen über Christi Todeskampf im Garten* etc. Beyträge zur Beförderung des vernünft. Denkens in der Relig. T. III. p. 8.

39. Ἔπεσεν ἐπὶ πρόσωπον αὐτῆ) Mos cum summa demissione precantium. εἰ δυνατόν ἐςι,) Distinguendum est inter ἀδύνατον per se, et inter ἀδύνατον hoc vel illo posito. Sensus est: si tua decreta ferunt, ut alio modo tuae gloriae et hominum saluti aeque consulatur. παρελθέτω ἀπ' ἐμῆ τὸ ποτήριον τοῦτο) *Calamitatem immi-*

nen-

nentem a me averte. Cf. supra c. XX, 22. et ibi notata. *Poculum* nempe, quod ab se exhauriendum esse, sciebat Iesus, erat supplicium vitae ultimum et saevissimum, cum omni genere contumeliarum gravissimarum acerbissimarumque. Quod hic et apud Lucam est ποτήριον, Marco ποτήριον et ὥρα dicitur. Cf. Ioan. XII, 27. Loquitur Christus de isto horrore, quem tum animus sentiebat, ut nonnulli putant. Alii existimant, Christum uno eodemque tempore exprimere voluisse, tum quid vellet in se, si spectetur mors sola, cum tanta ignominia et cruciatu coniuncta, tum quid vellet Patris voluntatem respiciens. Omnino videtur tremuisse, quia dubitaverit, an etiam hoc opus omne per tot dolores ad finem usque superaturus esset. Cf. infra c. XXVII, 46. Nec mirum! Maximi enim momenti erat opus ab ipso peragendum, a quo pependit salus generis humani, peccatorum remissio, futura religionis propagatio, institutio novae cuiusdam oeconomiae etc. Voluit praeterea Deus, ut Iesus omnibus animi et corporis viribus praesentibus animam exhalaret, quo nos discere-mus, eum sponte mortuum esse. πλὴν οὐχ ὡς ἐγὼ θέλω ἀλλ' ὡς σύ) sc. γενέσθω, quod addit *Lucas.* Πλήν, *verumtamen.* Hic more Hebraeorum, qui neque potentialem neque optativum modum habent, θέλω est pro θέλοιμι, vel ut Graeci loquuntur, ἔθελον.

40. Τῷ Πέτρῳ) ei praecipue, et per eum ceteris. ἕως ἐκ ἰσχύσατε) Solet ἕως, *usque adeo, siccine, adeone,* connecti cum oratione interrogativa, aut admirativa potius.

41. Γρηγορεῖτε) Voce una duo significat, neque enim hoc tantum vult, tempus esse somno temperandi, sed et quam maxime se parandi ad periculum imminens. ἵνα μὴ εἰσέλθητε εἰς πειρασμόν.) *Ne succumbatis periculo;* nam

nam εἰσέρχεσθαι hic est, quod 1 Tim. VI, 9. ἐμπίπτειν, immergi scilicet, et succumbere. Ὁ πειρασμὸς autem, cui discipuli succumbere poterant, erat periculum Messiae deserendi, dubitandi, an is, qui tantis miseriis affligeretur, esset Messias. τὸ μὲν πνεῦμα πρόθυμον, ἡ δὲ σὰρξ ἀσθενής) *Animus est quidem promptus, sed natura est infirma* sc. tanto oneri sustinendo. Bonam voluntatem vobis adesse scio, sed affectus imperio rationis non obsequuntur. Σὰρξ significat desideria illa naturalia, quae in corporis constitutione habent rationem, e. c. vitae curam, dolorum fugam. Animus nimirum, utpote doctrina Christi imbutus, habebat in se πρόθυμον, sed nondum usque eo profecerat, ut instante periculo posset edomare affectus illos, quos anima sensitiva, vitae tutatrix, et incommodorum inimica suggerebat.

41. Πάλιν ἐκ δευτέρου, *iterum*. Aut πάλιν, aut ἐκ δευτέρου redundat. εἰ δ δύναται — θέλημά σου) *Quando ita tibi visum est, ut a me nolis declinare mala mihi imminentia, pareo voluntati tuae.* Voces sunt non ferentis tantum, quod vitari nequeat, sed toto animo acquiescentis, ut Act. XXI, 14. Nonnulli codices apud *Griesbachium* omittunt verba τὸ ποτήριον et ἀπ' ἐμοῦ. Sic esset sermo abruptus, indicium animi commotioris.

45. Καθεύδετε τὸ λοιπὸν, καὶ ἀναπαύεσθε) *Per me iam vobis licet dormire et requiescere, quantum lubet.* Ostendit Christus, nulli amplius usui sibi esse posse ipsorum pervigilium, quum iamiam ab ipsis avellendus esset. ἤγγικεν ἡ ὥρα, — ἁμαρτωλῶν) Hebraico more conjunctio copulativa vim habet relativi; sensus enim est: *prope adesse tempus, quo tradendus sit Christus* potestati ἁμαρτωλῶν, i. c. Iudaeorum, qui recte dici poterunt ἁμαρτωλοί, nam Luc. XXII, 52. nominantur ἀρχιερεῖς

καὶ

καὶ στρατηγοὶ τῆ ἱερῆ *praefecti templi*, i. e. duces et praefecti sacerdotum et Levitarum, qui in templo Hierosolymitano excubias agebant.

47. καὶ μετ' αὐτῆ — τῆ λαῆ) *Et cum ipso multa turba, gladiis ac fustibus armata, a pontificibus ac senioribus populi ablegata. Glossar.* fustes, ξύλα. ἀπὸ τῶν ἀρχιερέων καὶ πρεσβυτέρων) Periphrasis synedrii, cuius decreto fiebat prehensio. Possunt haec verba construi vel cum ἦλθε, vel cum ὄχλος πολύς.

48. Ἔδωκεν, pro δεδώκει, quod Marcus habet, cap. XIV, 44. αὐτοῖς) Nempe τῷ ὄχλῳ, de quo dixerat, i. e. praecipue apparitorum praefectis, qui Iesum non noverant. Ὃν ἂν φιλήσω, sc. σόματι, quod addunt *Herodotus et Xenophon*. Vid. Raphelius ad h. l. Κρατεῖν h. l. est *prehendere*.

49. Κατεφίλησεν) Nonnulli vertunt: *vehementer et arcte deosculatus est. Xenoph.* de dict. et fact. Socratis II. ὡς τὸς μὲν καλὸς φιλήσοντος με, τὸς δ' αγαθὸς καταφιλήσαντος. Sed e consuetudine sermonis hebraei, et ex usu loquendi septuaginta interpretum καταφιλεῖν non secus ac φιλεῖν simpliciter est *osculari*, hebr. נָשַׁק Exord. IV, 27. Ruth. I, 9. Gen. XXVII, 26. s.

50. Ἐφ' ᾧ πάρει;) *qua de caussa, quo animo* me osculatum venis? Ἐφ' ᾧ, pro ἐπὶ τίνι, hebr. עַל־מָה, quod Alexandrini Num. XXII, 32. ἵνα τί, et Ierem. VIII, 14. ἐπὶ τί, reddunt. Permulti codd. pro ᾧ habent ὅ, quae lectio non est contemnenda. Paucis verbis et conscientiam perfidi hominis verberat, et se καρδιογνώστην ostendit.

51. Εἷς τῶν μετὰ Ιησῆ) Petrus nempe Io. XVIII, 10. ἀπέσπασε — ὠτίον) *Districta sica servo pontificis amputavit aurem.* Τὴν μάχαιραν fuisse cultrum maiorem,

iorem, ferrum lanceae latum, planum, et utrinque aciem habens, ostendit *Salmasius* de cruce p. 338. s. Propter latrones (Luc. X, 20.) multi Hierosolyma proficiscentes gladios vel cultros sub vestibus gestare solebant, quod hodieque faciunt Arabes iter facientes. Vid. *Michaelis* ad h. l. Ὠτίον non est *auricula*, s. ima auris pars, quam medici veteres λοβὸν vocant, sed idem quod ἓς, *tota auris*. Respondet enim hebraico אֹזֶן, quod *auris* est, non *auricula*. Tradunt etiam Grammatici veteres graeci, ἓς et ὠτίον esse verba idem declarantia. *Moeris*: ἓς, Ἀττικῶς. ὠτίον, Ἑλληνικῶς, *Thomas Magister*: ἓς Ἀττικοί, ἐκ ὠτίου. Cf. Luc. XXII, 50. coll. v. 51. Ἀφέρειν significat *auferre*, *amputare*. Sed ex Luc. XXII, 51. concludere licet, aurem post ictum in capite haesisse, adeoque verba non esse nimis premenda. Petrus erat ingenio fervido, (cap. XVI, 18.) et re ipsa ostendere volebat, se memorem esse eorum quae promiserat v. 33. Nondum sibi persuadere poterat Petrus, Iesum se tradi potestati hostium suorum esse passurum. Putabat igitur dimicandum esse pro magistro, quem superiorem hostibus evasurum esse non dubitabat.

52. Ἀπόστρεψον — τόπον αὐτῆς) *Reconde sicam in vaginam, εἰς τὴν θήκην αὐτῆς*, ut hic Ioannes. Genus pro specie. Ἀπόστρεψον, hebr. הָשֵׁב, quod Alexandrini, 1 Paralip. XXI, 27. καταπίθημι, et Ezech. XXI, 35. (gr. 30.) ἀποστρέφειν reddunt. πάντες γὰρ — ἀπολοῦνται) *Quicunque enim gladio usi fuerint, gladio peribunt.* Λαμβάνειν μάχαιραν h. l. significare videtur: *sicam e vagina ducere, eaque contra aliquem iniuste et impie uti*, et respondet hebraicae formulae חָרֵב נָשָׂא Ies. II, 4. Schleusnerus notat. Sensus est: *Qui se defen-*

fendere volunt sica, facile maiori periculo implicantur. Tantae turbae resistendae vires discipulorum impares erant. Dein, quanquam alias licet vim vi repellere, et innocentem defendere, non licet tamen resistere magistratui, cuius iussu Christus capiebatur.

53. Ἢ δοκεῖς – ἀγγέλων;) *Putasne, me non posse iam a patre petere, ut mihi plus quam duodecim legiones angelorum sistat?* Παραστῆσαι, h. l. est *sistere, tradere, in auxilium mittere.* Ex more Iudaeorum loquitur Iesus, qui putabant, Deum uti ministerio angelorum, ad pios in periculis tuendos. Satis fuerat duodecim angelos duodecim discipulis comparare; sed Christus, ut apertius Patris potentiam ostenderet, totidem legiones nominavit. Non opus est mihi, inquit, vestra ope. Haud invitus me ipsis trado.

54. Πῶς ἂν — γενέσθαι) *Quomodo quaeso eventum habere possent, quae praedicta sunt in Scripturis? Oportet haec ita accidere.* Praedixerant Prophetae, fore, ut vera religionis doctrina olim promulgaretur et propagaretur. Istae vero praedictiones nonnisi post mortem auctoris melioris huius doctrinae eventum habere potuerunt.

55. Τοῖς ὄχλοις) Sed praecipue ducibus τῶν ὄχλων, nimirum στρατηγοῖς, quibus et alii aderant e sacerdotum primariorum et e senatorum numero, quo res tota maiori specie ageretur. κατ' ἐκ ἐκρατήσατέ με) Divina scilicet providentia inhibente, quod nunc eadem sapientissimo consilio permittit.

56. Ἵνα πληρωθῶσιν αἱ γραφαί) Metonymia. Sensus est: ut exitum habeat decretum Patris pridem enunciatum per Prophetas. Τότε ἔφυγον) Metu perculsi, quod viderent fieri nunc id, quod hactenus nunquam eventurum esse putaverant.

57.

57. Οἱ δὲ — ἀρχιερέα) *Qui vero prehenderant Iesum, adduxerunt eum ad Caipham, summum Pontificem.* Οἱ κρατήσαντες, *qui prehenderant.* Οἱ γραμματεῖς καὶ οἱ πρεσβύτεροι) Synedrii assessores ibi συνήχθησαν, congregati erant, ad consultandum de Iesu capto. Quomodo hoc eum narratione Ioannis c. XVIII, 13. Iesum πρὸς Ἄνναν πρῶτον abductum esse, consiliandum sit, ad locum istum Ioannis notabimus.

58. Ἀπὸ μακρόθεν, *e loginquo*, מֵרָחוֹק, Esr. III, 13. Ἰδεῖν τὸ τέλος, *ut videret* istarum rerum *exitum*, אַחֲרִית Eccles. VII, 8. Ies. XLI, 22. De significatione vocis αὐλὴ vid. supra ad v. 3. notata.

59. Ἐζήτεν ψευδομαρτυρίαν, *studiose conquisiverunt falsa testimonia.* Quum media nocte haec agerentur, non vacabat considentibus conquirere testes. Sed falsi testes iam erant in promtu, subornati ad eam rem, ut nempe accusarent Iesum tanquam contemtorem legis divinae et blasphemum in Deum.

60. Ingens hic est lectionis varietas. Vulgaris lectio est: καὶ ἐχ ἕυρον. καὶ πολλῶν ψευδομαρτύρων προσελθόντων, ἐχ ἕυρον. Sed omisso καὶ, et posteriori ἐχ ἕυρον, verba πολλῶν ψευδομ. προσελθ. iungunt antecedenti καὶ ἐχ ἕυρον Codd. nonnulli antiqui et recentiores cum versionibus nonnullis, Origene et Cyrillo. Praeter hos ἐχ ἕυρον posterius omittunt, licet καὶ retineant Syr. Arab. Pers. poster, Syr. hieros. Sahid. Slav. Alii aliter. Vera lectio, quam GRIESBACHIUS probat, esse videtur: καὶ ἐχ ἕυρον, πολλῶν ψευδομαρτύρων προσελθόντων, *nihil tamen* (criminis capitalis) *reperiebant, ne multis quidem prodeuntibus falsis testibus.*

61. Δύναμαι καταλύσαι τὸν ναὸν τ. θ.) Merito appellantur ψευδομάρτυρες, qui hoc testabantur, ob depravata Christi verba. Christus enim dixerat: λύσατε τὸν ναὸν τ. τ., corpus suum digito monstrans. Io. II, 19. Accusatores autem pro his verbis maligno satis animo substituebant: τον ναὸν τ. θ., quasi Christus de templo Hierosolymitano contemtim locutus esset. διὰ τριῶν ἡμερῶν) Brevis locutio Hellenistarum pro διαγενομένων τριῶν ἡμερῶν.

63. Ὁ δὲ Ἰησ. ἐσιώπα) Tacebat Iesus, quia indignum putabat ad ea, quae manifesto falsa erant, respondere, et quia exploratum habebat, sive dilueret obiectum crimen, sive sileret, se nil apud eos profecturum, quum secum constituissent eum nullo modo dimittere liberum. ἐξορκίζω σε — τ. Θ.) *obtestor te per Deum immortalem.* Non putavit pontifex Maximus, Iesum sponte sua professurum esse, se esse Messiam; quapropter iureiurando eum ad confessionem adigere voluit. Nam ἐξορκίζειν τινα apud auctores Graecos nihil aliud est, quam iureiurando aliquem adigere; iusiurandum ab aliquo exigere. Qua notione si hanc loquendi formulam sumas h. l. sensus erit: *Iusiurandum, invocato nomine Dei concipiendum, a te exigo, ut dicas nobis etc.* Beza interpretatur: *Interposito iureiurando, et Dei auctoritate, praecipio, ut intelligas, te coram Deo consistere, et velut a Deo ipso interrogari.* Huius loquendi formulae significatus apud LXX. saepe invenitur, ut Gen. L, 16. 1 Reg. XXII, 16. ut *Krebsius* ad h. l. ostendit. Ὁ χριστὸς et ὁ υἱὸς τ. Θ. sunt h. l. Synonyma; nam etiam apud Iudaeos expectatus ille Messias vocari solitus est filius Dei.

64.

64. Σὺ εἶπας) Vox est assentientis, ut supra ostendimus, et modeste respondentis. *Ita est, uti dixisti.* πλὴν λέγω — τῆς ἐρανῆ) *Imo vobis assevero, futurum esse ab hoc tempore, ut sentiatis me sedentem ad dextram Dei, et venientem in nubibus coeli*, i. e. mox utar maiestate divina, ostendamque documentis adspectabilibus, me verum esse Messiam. Maiestatis, quae mihi cum Deo communis est, clara vobis exhibebo signa. Ὄψεσθε, *sentietis, experiemini*, ut חזה et ראה, Ies. XXVI, 11. Num. XI, 23. τὸν υἱὸν τῆς ἀνθρώπης) Vid. dicta ad Matth. VIII, 20. De phrasi *ad dextram sedere*, supra c. XXII, 44. Ἡ δύναμις, sc. θεία, est Deus ipse, 2 Petr. I, 3. ut *vis et natura divina* pro *Deo* apud Ciceronem. Hebraice גבורה, vid. Buxtorf. Lex. Thalmud. In Philone quoque sunt loci, in quibus vel δύναμις ποιητικὴ, vel δύναμις τῆς Θεῆς Deus vocatur. Phrasin ἔρχεσθαι ἐπὶ τῶν νεφέλων τῆς ἐρανῆς explicavimus supra ad c. XXIV, 30. Indicium divinae potestatis, de qua Iesus hic loquitur, erat missio Spiritus sancti Act. II, 33, et propagatio Evangelii inter omnes gentes, frustra renitentibus Iudaeis. *Adventus Christi in nubibus* potest explicari de poenis quas infligi curavit populo Iudaico, quia descensus in nube iram ac vindictam solet significare, ut *Maimonides* annotavit; potest etiam referri ad ultimum Christi adventum, vel ad utrumque. Illo enim universalis iudicii die cogentur eum agnoscere, qui ex signo missi Spiritus agnoscere eius maiestatem noluerunt.

65. Διέῤῥηξε τὰ ἱμάτια αὐτῆς) *Laceravit pallium* (prae simulata ira.) Non una caussa erat apud Veteres vestium scindendarum. Omnium frequentissima fere erat gravis luctus, non raro autem ira et indignatio, cuius rei

exempla e Iosepho et Philone Krebsius et Loesnerus ad h. l. afferunt. Ira et indignatione commotus Pontifex M. vestes dilaceravit, quod nefas esse putaret, talem hominem, opibus et copiis militaribus destitutum, sibi vendicare velle nomen Messiae. Erant, qui putant, Pontifici Maximo non licuisse ullo casu vestem lacerare. Nam interdictum, quod in *Levitico* c. X, 6. XXI, 10. bis extat, ad caussam funebrem pertinet, ut antecedentia et consequentia ostendunt, et de vestibus sacerdotalibus intelligendum est. Alioqui in luctu publico etiam Pontifex maximus discindebat vestimenta 1 Macc. XI, 71. ἐβλασφήμησε) *Impie locutus est.* Βλασφημίαν vocat, quod Iesus se Messiam profiteretur. Et sane erat, ni Messias fuisset. At hoc quaesitum oportuit, an non in ipsum vaticinia congruerent; an non doctrina et apertissimis miraculis probasset, se eum esse.

66. Τί ὑμῖν δοκεῖ) Ut princeps senatus sententias exquirit. ἔνοχος θανάτου ἐστὶ) בֶּן־מָוֶת, ut 2 Sam. XII, 5. Blasphemiae poena erat lapidatio, Levit. XXIV, 15—16. Sed hac non contenti Iudaei, gravius etiam Iesum accusarunt apud Pilatum. c. XXVII. 1. sqq. Ceterum omnia tumultuarie acta esse, nec congregatos fuisse Assessores Synedrii aliam ob caussam, nisi ut sententiam damnatoriam pronunciarent, facile apparet. Pronunciata sententia, Iesus relictus est militum et lictorum libidini.

67. Καὶ ἐκολάφισαν αὐτὸν. οἱ δὲ ἐῤῥάπισαν) *Et colaphos impegerunt ei; alii autem palmis eum ceciderunt.* Κολαφίζειν significat *colaphos impingere, pugno caedere caput et verticem;* ῥαπίζειν autem est *palmis caedere os.* Vid. Fischeri Proluss. p. 61. sqq.

68. Προφήτευσον) Quum nempe oculos ipsi obvelassent, ut Marcus addit c. XIV, 65. Insultabant ei tanquam falso Prophetae et Messiae.

69.

69. Ἐν αὐλῇ in *atrio.* Ἦθα μετὰ) i. e. *fuisti partium istius.* ἦθα, Attice pro ἦς. τῆ γαλιλαίᾳ) Discriminis caussa. *Iesu enim* nomen eo tempore erat inter communissima, ut *ex Iosepho* quoque apparet.

70. Οὐκ οἶδα τί λέγεις) *Neque ipsum novi, neque satis intelligo quid velis.* Magnam apparet consternationem fuisse, quae Petrum adegit ad tam incredibile mendacium. Videtur eum offendisse, quod ab ancilla interrogaretur, eiusque garrulitate detegeretur, quum se latere posse sperasset.

71. Ἐξελθόντα) *egredi parantem.* Neque enim exiit, ut sequentia ostendunt. Cf. v. 75. πυλῶνα) προαύλιον *Marco: Subdiale minus extra fores, vestibulum.*

73. Οἱ ἑστῶτες, pro παρεστῶτες, *ministri*, עֹמְדִים 1 Reg. X, 8. Cf. Ioann. XVIII, 18. Ἡ λαλιά σου) *Idioma tuum.* Nam, ut recte *Hieronymus* monet, unaquaeque provincia et regio habet proprietates suas, et vernaculum loquendi sonum vitare non potest. Cf. *Wetsten.* Galilaeorum autem dialectus erat agrestis et rudis.

74. Καταναθεματίζειν, pro quo Codd. fere omnes, Chrys. Theophil. habent καταθεματίζειν, *diris se devovere.* Formula, quae saepe in V. T. historia occurrit, τῆ ἀναθεματισμῷ haec est: *Haec mihi Deus faciat et haec addat, si hoc ita se habet.* Eo tum modo Petrus diris se obligavit, si Iesum nosset; ut solemus ex malis in peiora labi, nisi matura poenitentia succurrat. ἀλέκτωρ ἐφώνησε) Qui per ἀλέκτορα intelligendum esse putant aut *Praefectum templi*, qui ianuam *Beth moked* pulsaverit, et Sacerdotes ibi pernoctantes ad ministerium sacrum excitaverit, aut *Vigilem buccinatorem*, qui vigilias buccina

cina vel tuba indicaverit, ii urgent, Iudaeos Hierosolymis ob sacra non aluisse Gallos, ceu constet ex *Bava Kama* c. 7. Verum gallos gallinaceos Hierosolymis aeque et alibi fuisse, Io. LIGHTFOOT in *hor. Ebr. et Thalmud.* probat ex Hierosol. Erubhin, *fol.* 26. *v.* 1. Potuerunt etiam Romani Hierosolymis agentes aluisse gallos gallinaceos, vel victus ergo, vel auspiciorum, quae inde capere solebant, caussa.

75. Ἤκλαυσε πικρῶς) *Acerbe eiulavit. Homer. Odyss. δ.* 153. πικρὸν ὑπ' ὀφρύσι δάκρυον εἶβεν. *Hesych.* πικρῶς, Κατακόρως, ἀκρατῶς.

CAP. XXVII.

1. Πρωΐας δὲ γενομένης) sc. ὥρας. Ad verbum: *matutino autem facto tempore.* Latini plerumque simpliciter dicunt: *mane.* Non credibile est, tantillo temporis spatio discessisse tot Senatores, iterumque ex tot urbis regionibus convenisse. Quum igitur dicit Matthaeus: πρωΐας γενομένης συμβούλιον ἔλαβον, (*mane consultarunt,*) sensus est: post auditum Iesum seorsim Senatores inter se deliberasse, quid esset faciendum. Optabant, ut Iesus crucis supplicio afficeretur, quod fieri non poterat nisi per Romanum procuratorem. Quare deliberabant, quomodo Procuratori id persuaderetur.

2. Δήσαντες) i. e. δεδεμένον, *vinctum.* Ita solent Aoristi significare etiam id, quod ante contigerat; nam vinctus erat Christus statim post prehensionem, ut ex *Ioanne* discimus. παρέδωκαν) παραδοῦναι dicuntur, *qui alterum alteri eo consilio tradunt ut supplicio afficiatur.* Ποντίῳ Πιλάτῳ τῷ ἡγεμόνι.) Voces ἡγεμὼν, ἡγεμονία, ἡγεμονεύειν de omni, inprimis autem paulo maiori pote-

potestate adhibentur, et ipsi Imperatores Romani interdum ἡγεμόνες dicuntur. Ex ipsa voce igitur non possumus intelligere, quod munus Pilati, quae potestas fuerit; historia autem magistra edocti, scimus, eum fuisse *Procuratorem*. Ita enim diserte *Tacitus* Annal. L. XV, c. 54. *Christus, Tiberio imperante, per Pontium Pilatum, PROCURATOREM, supplicio affectus est.* Proprium horum *Procuratorum* munus erat, reditus Caesaris colligere, eiusque fiscum curare, minime autem, iurisdictionem exercere, et si quis iuris dicundi potestatem sibi arrogaverat, istius licentiae poenas dabat. Interdum tamen in provincias missi sunt, ut non solum Caesaris reditus curarent, et exigerent, sed iurisdictionem etiam in causis capitis exercerent. *Coponium* certe, omnium primum Iudaeae procuratorem, satis constat in provinciam cum hac potestate fuisse missum, ut auctor est *Iosephus* Antiquitt. L. XVIII. c. 1. §. 1. et de B. I. Lib. II, c. 7. §. 1. Neque dubium est, quin, quae potestas summa primo Iudaeae Procuratori, Coponio, concessa fuerit, ea successoribus, et Pilato quoque illaesa remanserit, ita tamen, ut Pilatus Vitellii Praesidis tunc temporis Syriae potestati subiectus fuisse videatur. *Ioseph.* Antiquitt. L. XVIII, c. 4. §. 2. Cf. *Krebsium* prolixe de hac re disputantem. Sedes Procuratorum erat Caesarea; sed durantibus festis diebus commorabantur Hierosolymis, ut statim ad manus essent, si qua seditio vel tumultus oriretur.

3. Ὅτι κατεκρίθη) Omnino referendum hoc ad synedrii praedamnationem, de qua supra c. XXVI, 66. quam *Iudas* accipiebat ut secuturae mortis indicium. μεταμεληθείς) *Poenitentia ductus.* Differentiam, quam nonnulli inter μεταμεληθῆναι et μετανοεῖν intercedere contendunt, esse nullam, usus loquendi scriptorum cum sa-

cro-

crorum, tum profanorum docet, ut viri docti ostenderunt. Poenituit Iudam facti; sed poenitentia degeneravit in desperationem. Putaverat nempe, Iesum per medios hostes evasurum, se autem, prostratis hostibus facile veniam perpetrati facinoris ab optimo magistro esse impetraturum. Nunc autem, quum multum aliter, ac ipse putaverat, rem cecidisse cerneret, tanto animi dolore affectus est, ut desperaret. ἀπέστρεψε) *restituit;* Hebr. הֵשִׁיב. ut Gen. XXVIII, 15. etc.

4. Αἷμα ἀθῷον) *Hominem innocentem.* Nam αἷμα Hellenistis mortem quamvis violentam significat, hic metonymice *ipsum eum, qui morti destinatur,* sicut alias σάρξ καὶ αἷμα est *homo.* Est haec Iudae confessio luculentissimum innocentiae Iesu testimonium. Si enim discipulo, qui testis omnium dictorum, factorum et consiliorum magistri fuerat, ulla in re fuisset suspecta fides et virtus eiusdem, certe id arrepturus fuisset, ad excusandum facinus, et ad tranquillandum animum. Sed adeo nihil reperire potuit reprehensione dignum in vita, moribus et consiliis optimi magistri, ut potius conscientiae stimulis excitatus testimonium pro eo dicendum putaret, nihil veritus hominum Iesu infensissimorum potentiam et indignationem. σὺ ὄψει) Fut. attic. pro ὄψῃ, et hoc pro Imperat. *Tu videris.* Est loquendi genus ex latino sermone desumtum, quod Graeci dicerent: σοὶ μελέτω. Tu tibi ipse consulas.

5. Ἐν τῷ ναῷ) In ea parte templi, in qua considebat synedrium, qui locus vocabatur לִשְׁכַּת הַגָּזִית, ut plerique volunt. *Michaelis* autem h. l. eam partem templi intelligit, quae vocata est *Sanctum;* hoc enim patebat, quanquam nemini illud intrare licuit nisi Sacerdotibus.

Pa-

Patuisse τὸν πρῶτον ὄικον, docet *Iosephus* de B. Iud. Lib. V, c. 5. §. 4. ἀνεχώρησε) i. e. abiit ex hominum conspectu; nam secretum aliquem locum quaesivisse, non est dubium, torquente ipsum conscientia, et adigente ad suspendium. ἀπήγξατο) ἀπάγξασθαι quum *aegritudine angoreque animi confici*, tum *laqueo sibi cervicem frangere*, denotat. Tob. III, 10. Ioseph. Antiqq. L. V. c. 8. §. 5. Vulgata sententia est, Iudam suspendio vitam finiisse; alii vero, moerorem animi, et mortem inde secutam indigitari credunt. Utramque interpretationem et usus loquendi, et res ipsa admittit; sed prior sine dubio est praeferenda. Ratio autem, Matthaeum cum Luca Act. I, 18. conciliandi commodissima, est haec, ut dicamus: Iudam ex animi desperatione et angustia, mortem laqueo sibi quaesivisse et invenisse; laqueo autem infelici, quo suspensus erat, sive fortuito, sive Dei voluntate, rupto, ex loco altiore praecipitem pronumque esse delapsum, ita ut, diffisso corpore, intestina effunderentur. De tota hac re copiose disputat Krebsius in observatt. Flav. ad h. l.

6. Τὸν κορβανᾶν) i. e. templi aerarium, thesaurum sacrum. Vocabulum est syriacum. *Iosephus* de B. I. Lib. II, c. 9. §. 4. vocat τὸν ἱερὸν θησαυρὸν. Alibi γαζοφυλάκιον idem Iosephus et Lucas appellant. Vid. notanda ad Marc. XII, 41. ἐπεὶ τιμὴ αἵματός ἐστι) pretium vitae, aut caedis, *merces commissi homicidii*. Argumentum a ratione legis desumtum. Vetat lex Deut. XXIII, 19. stupri pretium sacris inferri. At apud Hebraeos cultus idolorum, stuprum, caedes velut paria censentur. Damnant hic se impuri pontifices, quum in venditore id facinus exsecrantur, cuius ipsi emtores erant.

7. Τὸν ἀγρὸν τοῦ κεραμέως) Cum articulo: *agrum illum figuli*. Loquitur Matthaeus de hoc agro, ut celebri

lebri et omnibus noto. *Grotius* per ἀγρὸν κεραμέως intelligit *eum, cuius uber omne ad figlina opera exhaustum fuerit*, ita ut nullus inde fructus sperari posset. Videntur potius emisse hunc agrum a figulo quodam. εἰς ταφὴν τοῖς ξένοις) Iudaeis, qui ex longinquis regionibus Hierosolyma adventabant religionis ergo, ac morte occupati non habebant, ubi sepelirentur.

8. Ἀγρὸς αἵματος) Dialecto Hierosolymitana חֲקַל דְּמָא Act. I, 19. Dicebat populus praeteriens, hic est ager ille, emtus ex pecunia, pro qua *Iudas* magistrum suum vendidit. Erat hoc perpetuum testimonium innocentiae Iesu.

9. 10. Διὰ Ἱερεμίου) Variae eruditorum de hoc loco sunt sententiae. Multi putant, sumtum esse hoc testimonium, non ex *Ieremia*, sed ex *Zachar.* XI, 12. 13. Alii, nomen Ieremiae corruptum; alii suppositum; alii, ne apud Zachariam quidem locum qui citatur, extare; alii, de pretio quod dicitur e Zacharia, de agro quod dicitur, e Ieremia (c. XXXII, 7. 14.) desumtum; alii, *Ieremiam* in volumine Prophetarum olim primum locum obtinuisse; alii hoc oraculum non scripto, sed memoria conservatum esse volunt. Videntur verba haec desumta esse ex libro quodam Ieremiae apocrypho. HIERONYMUS in h. l. Matthaei: "Legi nuper in quodam *hebraico* volumine, quod Nazarenae sectae mihi Hebraeus obtulit, Hieremiae apocryphum, in quo haec ad verbum scripta reperi.„ Ipse tamen putat de Zacharia sumtum testimonium. Sed sententiae priori favet locus insignis Lectionarii coptici, a cel. *Woide* notatus, nostroque simillimus. Vide *Kielische Beyträge etc.* Tom. III. p. 14. 15. *Michaelis biblioth. orient.* Tom. IV, p. 208. seqq. Arabicae versionis huius fragmenti apocryphi *Bengelius* etiam meminit, in apparatu

paratu critico p. 142. καὶ ἔλαβον — μοι κύριος) *Et impenderunt triginta siclos, pretium illius aestimati* (emti) *quem emerant ab Israelitis in agrum figuli, quemadmodum mihi praecepit Dominus.* ἔλαβον, et quod sequitur ἔδοκαν, sumenda hic sunt indefinite sine ulla personae aut numeri consideratione. Factum enim notatur, non quis faciat. τὴν τιμὴν τοῦ τετιμημένου) *Pretium illius aestimati.* Significatur enim Christus, triginta tantum argenteis aestimatus. Sed τιμάω per metalepsin significat etiam: *aestimatum emo, emo certo pretio soluto.* Vid. SCHLEUSNERI Lex. Igitur verti possunt haec verba: *pretium emti.* Ὃν ἐτιμήσαντο ἀπὸ υἱῶν Ισραὴλ, vel: *quem emerant ab Israelitis*, vel: *quem emerant qui sunt ex filiis Israel*; perinde ac si dixisset, τινὲς, vel οἱ ἀπὸ υἱῶν Ἰσραὴλ. Nam ἀπὸ υἱῶν recte exponitur ἐξ υἱῶν. REICHARDUS ἔλαβον v. 9. in prima persona accipit, sic vertens: Ego ab Israelitis triginta *illos siclos argenteos, quibus* Deum suum *aestimarant, accepi, at illi eos ad emendum figuli agrum impenderunt, idque me Deus iussit* hic scribere.

11. Καὶ ἐπηρώτησεν — τῶν Ἰουδαίων;) Hoc ideo ex Iesu quaerit Procurator, quia Iudaei accusaverant eum ut rebellem, qui imbuisset nationem perversis opinionibus, et quidem opinione se esse regem, Caesari praeferendum Luc. XXIII, 2. Σὺ λέγεις, *omnino res ita se habet.* Vid. c. XXVI, 64. Rex ego sum. Io. XVIII, 37. Hoc confessus est Iesus, postquam declaraverat, regnum suum non esse huius generis, cuius sunt regna huius mundi; i. e. non regnum civile et politicum. Io. XVIII, 36. Haec est praeclara illa confessio, cuius meminit Paulus 1 Tim. VI, 13.

12. Οὐδὲν ἀπεκρίνατο) Caussa silentii, praeter deliberatam mortis patientiam, haec erat, quod apud religiosum iudicem accusatio illa sua sponte evanesceret; nam plebeiae sortis hominem, nullas habentem armatorum copias, praesidia nulla, res ipsa satis a seditionis suspicione liberabat.

15. Κατὰ δὲ τὴν ἑορτήν) τὸ πάσχα, ut ait *Ioannes*; id enim eminenter ἑορτὴ dicebatur, ut supra c. XXVI, 5. εἰώθει ὁ ἡγεμὼν ἀπολύειν ἕνα τῷ ὄχλῳ δέσμιον) Credibile est, a Romanis hoc esse. Nam in *Livii* historia invenimus, lectisternii indicti diebus vinctis demta vincula. Ad hoc exemplum forsan ab *Augusto* haec gratia concessa est populo Iudaico, idque mandatis procuratorum fuit comprehensum. Nam alioqui praesides Romani nullam habebant ignoscendi libertatem, ut leges nos docent.

16. Εἶχον — Βαραββᾶν) Codices ante Originem habuerunt Ἰησοῦν βαραββᾶν. Sic etiam ipse Origines legit. Sed in explicatione huius loci addit: *In multis exemplaribus non continetur, quod Barabbas etiam Iesus dicebatur, et FORSITAN recte*, UT NE NOMEN IESU CONVENIAT ALICUI INIQUORUM. *In tanta enim scripturarum multitudine neminem scimus Iesum peccatorem, sicut in aliis nominibus iustorum.* Vid. *Michaelis Einleitung*, p. 334. 3. edit. 4. Nescivit igitur *Origenes* multos alios etiam homines hoc nomine fuisse appellatos. Haec sine dubio fuit caussa omissionis huius nominis in plerisque codicibus. Hunc Barabbam vocant Evangelistae δέσμιον ἐπίσημον, *vinctum insignem, insigniter scelestum*, famosum, ut qui inter capita fuisset seditionis ad caedem usque progressae. Marc. XV, 7.

17. Τίνα θέλετε — χριστὸν;) In margine permultorum Codd. apud *Birchium* et *Matthaeium* ad vv. 16. 17. reperitur Scholion, quo docemur *Anastasium*, episcopum Antiochenum in pervetustis codicibus hanc lectionem invenisse: Τίνα θέλετε τῶν δύο ἀπολύσω ὑμῖν, Ἰησᾶν τὸν βαραββᾶν, ἢ Ἰησᾶν τὸν λεγόμενον χριστόν; Sic habent etiam codices nonnulli iuniores apud *Griesbachium* et *Birchium*, itemque versio *Arm.* et *Syra hieros.*

18. Ἤδει γὰρ) Tum ex antegressa fama, tum ex ipsius Iesu modestia, et quod nulla in eum crimina afferrentur. διὰ φθόνον) *Invidia impellente.* Invidebant nempe Pontifices Iesu ob doctrinam, populi plausum, auditorum copiam, miracula, Messia honorem ei aliquoties delatum. Videbant Iesum magni fieri, suam contra auctoritatem decrescere, praetereaque metuebant, ne opibus suis et reditibus multum per eum decederet.

19. Ἐπὶ τοῦ βήματος) βῆμα, *tribunal*, ad quod gradibus quibusdam ascenditur. Iudicia tunc temporis sub dio sunt acta in provinciis, sedente magistratu in tribunali, quod pro magnificentia illorum temporum stabat in loco altiori, eoque strato tesseris marmoreis, cf. Io. XIX, 13. Ex more Romanorum rei audiebantur illi quidem, causaeque eorum cognoscebantur in *Praetorio*, (v. 27.) h. e. *in habitatione praesidis Romani;* sed quum iudicium ipsum habendum, et solennia iurisdictionis paragenda essent, Tribunal *extra praetorium* in loco excelso maximeque conspicuo ponebatur, et ad illud reus perductus condemnabatur. Vid. *Ioseph.* de B. Iud. Lib. II, c. §. 3. μηδὲν σοὶ καὶ τῷ δικαίῳ ἐκείνῳ) Nihil sit tibi negotii aut rei, cum isto homine innocente et iusto. Noli te immiscere huic liti. πολλὰ — αὐτὸν) πολλὰ, sc. παράδοξα. Innuit visa somniorum tristia atque horrenda. Serio conatu deter-

terrere conatur maritum, ne quicquam contra ius in Iesum statuat durius aut acerbius.

20. Τὸν δὲ Ἰησοῦν ἀπολέσωσιν) *Iesum autem perderent*, i. e. occidendum deposcerent. Facere enim rem interdum dicitur is, qui eam procurat, aut quocunque modo aliquid ad eam confert.

21. Τίνα θέλετε ἀπὸ τῶν δύο) τίνα; i. e. πότερον, ut proprie loquuntur Graeci; ἀπὸ autem redundat, sive pro ἐκ ponitur. *Utrum horum duorum vultis a me vobis dimitti?* Οἱ δὲ εἶπον, Βαραββᾶν. Exspectaverant, Iesum, qui tot miracula patrasset, nunc etiam miraculoso modo populum a iugo Romanorum liberaturum, et expectationi eorum satisfacturum esse. Quum autem eum captivum et vinctum et spem de eo conceptam frustratam viderent, eum ut impostorem eo magis detestati sunt.

22. τί ἐν ποιήσω Ἰησοῦν;) *Quid mihi faciendum cum Iesu?* Verbum ποιεῖν LXX. etiam construunt cum accusativo, e. g. Deut. III, 21. Σταυρωθήτω) Non tantum e vivis eum tollendum esse clamant, sed etiam modum, quo id fieri debeat, praescribunt, per supplicium crucis, ignominiosissimum et atrocissimum. Hoc enim supplicii genus servis duntaxat et vilibus personis ob laesam maiestatem, seditionem, latrocinium et similia facinora infligi solebat. Erat vero atrocissimum etiam supplicii genus, quia perforatione clavorum intensissimus et maximus in partibus nervosis dolor excitabatur.

23. Τί γὰρ κακὸν ἐποίησεν;) Subintelligitur recusatio postulationis. Non possum eum, quod postulatis, crucis supplicio addicere; *quid enim mali commisit?* Usitatissimum esse optimis auctoribus, ut ante τὸ γὰρ eam orationis partem, ab unoquoque facile mente supplendam, omittant, cuius rationem ea particula reddat, *Krebsius* ad h. l.

h. l. ostendit. περισσῶς ἔκραζον) Valde, vehementer, supra modum clamabant.

24. Ὅτι οὐδὲν ὠφελεῖ) *se nihil proficere*; vel, hoc nihil eum iuvare, ut non subaudiatur αὐτὸς, sed τοῦτο. θόρυβος γίνεται) Quum omnes sacrae huius historiae scriptores tradant, magnis clamoribus rem esse agitatam, verosimile est, metum iniectum Pilato, ne populus per tumultum Iesum ad mortem raperet, et si ipse obsisteret, defectionem moliretur, tanquam Mosis lege contemta. Qui metus, quanquam indignus viro constante, multum tamen culpam eius in comparatione Iudaicae saevitiae elevat. cf. Io. XIX, 11. ἀπενίψατο τὰς χεῖρας) Manuum lotio ad testandam innocentiam, non Iudaeorum fuit propria, sed nota aliis quoque gentibus, quia puritatem aquae elemento designare admodum naturale est. Unde, qui scelere aliquo erant contaminati, solebant, ut *Demosthenes* loquitur, χερνίβων ἔιργεσθαι. Vid. *Grot. et Wetst.* ἀθῷός εἰμι—τούτου.) *Insons sum a caede huius innocentis.* Duplex in his verbis ab eruditis Hebraismus observatur, alter in significatione vocis αἷμα pro *caede*, alter in τῷ ἀπὸ cum voce ἀθῷος iuncto. Plerumque enim ἀθῷος, *insons*, Genitivum habet adiunctum, Praepositione ἀπὸ neglecta. Non vult igitur Pilatus se teneri culpa interfecti Iesu.

25. Πᾶς ὁ λαὸς) i. e. *pars maxima populi*, per Synecdochen. Multos enim ex populo credendum est non clamasse. Luc. XXIII, 27. Plurimi autem instigati et persuasi a senioribus, (v. 20.) iisque magis obnoxii Pilatum instigarunt in Iesum, tot eius beneficiorum obliti. Nimirum varium et mutabile semper est vulgus. Putabat, eum qui traditus potestati hostium, seipsum non posset tueri, non esse in favore apud Deum, et proinde non esse Messiam. τὸ αἷμα — τέκνα ἡμῶν) *Nos et nostri liberi*

lue-

luemus hanc caedem; Ita LXX. Levit. XX, 9. et 11. דָּמָיו בּוֹ et דָּמֵיהֶם בָּם bene vertunt ἔνοχος ἔσαι, et ἔνοχοί εἰσιν. At 2 Sam. I, 16. servarunt Hebraismum: τὸ αἷμα σε ἐπὶ τὴν κεφαλήν σε quomodo et Romani dicebant: *sit capiti tuo.* Mos vetus, non se modo sed et liberos devotandi. Certe magnis sceleribus etiam posteritatem obstringi, non Hebraeorum tantum, sed et omnium prope gentium fuit opinio. Est igitur sensus: *Si quid peccabitur in eo occidendo, nos et posteritas nostra poenas luamus.* Quod sibi Iudaei imprecati sunt, etiam in caput eorum vertit, quum paulo post non fame solum et gladio vel civili vel Romano perirent, verum plurimi etiam cruci suffigerentur. *Ioseph.* de B. I. Lib. II, c. 14. §. 9.

26. Φραγελλώσας) *Postquam flagris caedi iusserat;* μαστιγώσας, ut in Evangelio Ioannis. Est vox latina corrupta. Flagellis caesum Pilatus tradidit Iesum ad supplicium, ut cruci suffigeretur. De more flagellandi servos, antequam cruci suffigerentur, multa habet *Wetstenius* ad h. l. Solitos ad columnam verberari, atque alias per viam ostendit *Lipsius* de cruce Lib. II, c. 4. Crucem autem irrogatam Christo, tamquam seditionis auctori, verissime a Doctis notatum est. Eam enim poenam ei crimini statuunt Romanae leges, ut notat *Paullus V. Sent. Tit. XXII.*

27. Τότε — εἰς τὸ πραιτώριον) *Quo facto, quum milites praetoriani Iesum in praetorium deduxissent.* τὸ πραιτώριον esse latinam vocem *praetorium,* satis constat. Hoc praetorium sive palatium olim fuit regia Herodis, in urbe superiori magnifice exstructa, ex qua aditus patebat in Antoniam, templo iunctam. Descripsit hanc regiam

giam, hoc palatium Procuratores Romani, qui plerumque Caesariae degebant, quotiescunque Hierosolymis sibi commorandum esset, domicilium sibi deligebant. Vid. *Ioseph.* de B. Iud. Lib. II, c. 14. §. 8. ubi de *Floro*, Procuratore; *ἐν τοῖς βασιλείοις αὐλίζεται.* PHILO etiam (*de legat. ad Caium*, p. 1033. s. edit. Francof.) palatium illud, quod olim Herodis regia fuerat, vocat *τὴν οἰκίαν τῶν ἐπιτρώπων.* *Συνήγαγον — σπεῖραν*) *Congregabant adversus eum totam cohortem.* Per *τὴν σπεῖραν* intelligitur cohors Romana, quae in praesidio huius praetorii erat. Vid. *Ioseph.* de B. Iud. Lib. II. c. 15. §. 6. V, c. 5. §. 8.

28. *Καὶ ἐκδυσάμενοι αὐτόν*) *Et vestibus eius exutis.* *Περιέθηκαν αὐτῷ χλαμύδα κοκκίνην*) *Induerunt eum chlamyde coccinea.* *χλαμύδα* ii, qui de re vestiaria veterum scripserunt, satis docuerunt fuisse *pallii* genus, quo apud Graecos viri principales amicti incesserint. *Marcus* et *Ioannes* *πορφύραν*, et *πορφυρᾶν ἱμάτιον.* Coccinae et purpurae vicinus est color, unde saepe confunduntur. Hinc *coccus* et *purpura* promiscue usurpantur, ceu liquet ex Plin. XXII, c. 7. 12. et Scholiaste Iuvenalis *ad Sat.* III. Imo *purpureum* vocabatur, quicquid ruborem prae se ferebat. Hinc tribuitur *rosis*, Horat. L. II. Od. 15. *aurorae*, Ovid. Lib. III. Metam. *labiis*, Virgil. Aen. L. I. Nec *χλαμὺς* et *ἱμάτιον* pugnat inter se; nam *χλαμὺς* sub voce *ἱματίῳ* comprehenditur, sive *ἱμάτιον* capias late pro quovis vestimento, sive stricte pro ea veste, quae tunicae superiniicitur. Pertinuerunt autem haec ludibria ad exprobrationem velut stulte affectati regni. Eodem modo postea populus Alexandrinus concitatus Herodi Agrippae illusit. Locus est apud Philonem in Flacc. p. 970. cf. *Loesner.*

29. Καὶ πλέξαντες — κεφαλὴν αὐτῷ) *Et coronam e spinis* (acantho) *contextam capiti eius imposuerunt. Coronam spineam* plerique interpretes intelligunt. Verum PEARCE *on the Evangelists* interpretatur *coronam ex acantho molli, von Baerenklau*, cui sententiae accedit *Michaelis* ad h. l. et *Neue Oriental. Biblioth.* P. I. p. 186. ubi docet acanthum aculeatum mense Martio inveniri. Fuit sine dubio frutex obvius, maximeque notus quia milites de aliis ignotioribus non videntur cogitasse. Omnia per ludibrium. Pro paludamento coccineo imperatoris, induitur vile sagum militis; pro corona ex floribus pulchris et fragrantibus, flectunt coronam spineam, vel ex acantho; pro sceptro illi dant fragilem calamum; eoque ipsum percutiunt. Simili modo Alexandrini Agrippae, Regi Iudaeorum illuserunt, ut nos docet *Philo* in Flacc.

31. Ἐξέδυσαν αὐτὸν τὴν χλαμύδα) Exuunt pallium, ut ostendant, talem eum regem esse, quem ipsi pro lubitu potestate exuere possint. ἀπήγαγον αὐτὸ· εἰς τὸ σταυρῶσαι) Per milites supplicium exactum a Romanis magistratibus etiam extra castra, notatum est a viris doctissimis.

32. Ἐξερχόμενοι δὲ) *Urbe egressi*, extra urbem, ut narrat *Ioannes*, et observat *Paulus* Hebr. XIII, 12. De forma crucis vid. infra ad v. 35. notanda. Κυρηναῖον) Ex Lybiae Pentapoli Cyrenaica oriundum, quae plena Iudaeis, ut apertissime docet *Iosephus* de B. I. L. VII, c. 38. de voce ἀγγαρεύειν vid. not. ad cap. V, 41. ἵνα ἄρῃ τὸν σταυρὸν αὐτοῦ) Quum iam ante Christus ipse patibulum tulisset per urbem, (ut *Plautus* loquitur,) Ioann. XIX, 17. more haud dubie Romano, ut iam omnibus notum. Unde apparet, Iesum tam duriter tractatum et graviter antea afflictum, viribus in itinere ad crucem portandam fuisse

desti-

destitutum. Videntur autem milites hunc *Simonem* arripuisse, qui in onus Christo succederet, Iudaeorum instigatu, qui eum sciebant Christo favere, quod *Marcus* c. XV, 21. confirmat, filios quoque eius, Christi nimirum discipulos, nominans.

33. Γολγοθᾶ) pro γολγολθᾶ, hebraice גֻּלְגֹּלֶת, *cranium;* nam elisio istiusmodi quarundam litterarum in vocibus plurimis Syriacae linguae non fuit aliena. Quare non aliud significat, quam quod Graece statim additur, κρανίᾳ τόπος, *caluariae locus.* Nec caussa nominis aliunde quaerenda, quam quod ibi decollari homines solerent, qualia loca Romae erant Sestertium et Gemoniae. Alii putant locum hunc traxisse nomen a cranii humani forma.

34. Ὄξος μετὰ χολῆς μεμιγμένον) *Vinum myrrhatum.* Pro ὄξος habent οἶνον, Cod. nonnulli, Verss. *Athanasius* et *Hilarius. Marcus* dicit ἐσμυρνισμένον οἶνον. Utrumque bene. Nam ὄξος Graeci vocant vinum factitii saporis, quale ὄξος ἐψητὸν ex palmulis, *Xenophonti* atque aliis memoratum. Tale erat et hoc vinum, sive thure, ut Hebraeorum magistri tradunt, sive myrrha, ut Marcus ait, conditum, quod recepto more ad supplicium euntibus dari solebat. Χολὴ autem interdum laxius sumitur pro omni amaritie; quippe quum ea voce absinthium significent Graeci interpretes, Proverb. V, 4. Thren. III, 15. Myrrhatum vinum quasi pro beneficio sontibus dabatur, ut inebriarentur, et minus sentirent dolores. *Babyl. Sanhedr.* fol. 43. 1. *Prodeunti ad supplicium capitis, potum dederunt, granumque thuris in pocula vini, ut turbaretur intellectus eius* etc. Talem potum habuerunt etiam milites in castris, in usus quotidianos paratum. AEL. SPARTIANUS: *Pescennius Niger — iussit*

sit vinum in expeditione neminem bibere, sed aceto universos esse contentos γευσάμενος) *Quum leviter degustasset.* Cf. notanda ad Io. XIX, 29. Noluit autem imbibere Christus, quia menti externandae adhibebatur: in cruce autem pendens postea, qui sitiebat, ἔλαβε τὸ ὄξος, i. e. imbibit, Ioan. XIX, 30.

35. Σταυρώσαντες) Modum crucifigendi et formam crucis describit *Lipsius* de cruce L. II, c. 7–10. Cui addendi SALMASIUS de *cruce*, BARTHOLINUS Epist. Cent. I. ep. 91. 94. BYNAEUS de morte J. Chr. alii. Cruces non fuerunt tantae altitudinis, ut vulgo repraesentur, sed ita comparatae, ut cruciarii trium fere pedum spatio supra terram attollerentur. Simul ad crucem ventum, spoliabant hominem vestibus, et sic in eam dabant, interdum iam erectam, interdum vero depositam. Figendi modus is erat, ut manus primum figerent, inde pedes, clavis aut funibus; sed plurimum illis, interdum manus clavis, pedes funibus. διεμερίσαντο τὰ ἱμάτια αὐτῶν, βάλλοντες κλῆρον) id est partim diviserunt, partim alea addixerunt victori, ut nos docet *Ioannes*. Veniebat autem hoc ex more Romano. Milites enim, supplicii exactores sontium spolia sibi vindicabant, quod *Adrianus* imperator vetuit fieri, nisi praesidum iussu. ἵνα πληρωθῇ — ἔβαλον κλῆρον) Ex *Ioanne* cap. XIX, 24. adiectum videtur: quia Graeci optimi Codd. Verss. et Patres non habent.

36. Καὶ καθήμενοι, ἐτήρουν αὐτὸν ἐκεῖ) *Et sedentes, custodiebant eum ibi.* τηρεῖν h. l. est *custodire*. Et hoc ex more Romano. *Petronius Arbiter* Satyrico: *miles, qui cruces asservabat, ne quis corpora ad sepulturam detraheret.* Quidam enim diu in crucibus vixerunt, ut ingenitum scilicet robur erat, aut vires. Sic *Timotheus et Maura in cruce novem diebus vivi pen-*

den-

dentes, ac seipsos in fide corroborantes, martyrium consumserunt. Martyrolog. III. Maii. Quidam etiam petulanter egerunt in cruce pendentes, ut protervuli apud Senecam (de vita beata c. XIX.) *qui ex patibulo spectatores suos conspuunt.* Quidam miseratione Principis aut Magistratuum e cruce ablati, post vixerunt. Plerique mortui sunt languore aut fame, alii a volucribus, aut feris etiam vivi lacerati, interdum etiam lanceis interfecti sunt. Vid. Lipsius de cruce, Lib. II, c. XII. seq.

37. Τὴν αἰτίαν) *Crimen eius; γράμματα τὴν αἰτίαν τῆς θανατώσεως δηλοῦντα*, Dixit *Dio Cassius; Titulum*, ut *Ioannes*, *Suetonius* duobus locis et *Tertullianus*, Apologetico; *πίνακα Eusebius*, ubi de Attalo agit. Erat nempe crucibus maleficorum infixa alba tabella, inscripta nigris litteris, quibus caussa mortis et culpa indicaretur ἔτος — τῶν Ἰουδαίων) Pilatus, hunc titulum cruci imponens, et testimonium dare voluit innocentiae Iesu, et satisfacere Caesari.

38. Σταυροῦνται σὺν αὐτῷ δύο λῃσαί) Nam crux poena latronum. Vocabantur λῃσῶν et sicariorum nomine etiam, qui iniussu publico arma cepissent; hi autem duo asservati erant ad tempus adventantium azymorum, ut quam maximo populi conventu punirentur: id enim in Iudaea receptum erat, meritoque a Romanis retentum, quum ab eorum institutis non dissideret. ἕις — ἐυωνύμων) Medium inter duos latrones suspenderunt Iesum, tanquam peiorem latronibus. Ipso comitatu ostendere voluerunt, Iesum hominem esse maxime nefarium. Ita nihil in supplicio eius ad contumeliam defuit.

39. Κινοῦντες τὰς κεφαλὰς αὐτῶν) *Motantes capita.* Signum insultationis; quo sensu κινεῖν κεφαλὴν reperies Ps. XXII, 8. 2 Reg. XIX, 21. aliisque locis. Notandum hic,

hic, quam facile diversa Iesus fortuna omnia eius beneficia vulgi animis excuserit.

40. Εἰ υἱὸς εἶ τοῦ Θεοῦ) *Si dilectus es Dei*, Messias. Non enim ad divinam Christi naturam hoc pertinet, de qua plebs nihil inaudiverat, sed ad specialem Dei amorem, qualis est, quo patres filios suos prosequuntur.

43. Ῥυσάσθω νῦν αὐτὸν, εἰ θέλει αὐτὸν) θέλειν h. l. est *amare*, hebr. חָפֵץ. Deut. XXI, 14. Ps. XLI, 11. (hebr. XL, 11.) Est et ubi LXX. interpretes hebraicam hanc vocem exprimunt per ἐγκεῖσθαι, αἱρεῖσθαι, et εὐδοκεῖν.

44. Τὸ δ' αὐτὸ——ὠνείδιζον αὐτὸν) τὸ δ' αὐτὸ, ellipтice pro: κατὰ τὸ αὐτὸ, *similiter*, *simili modo*. Οἱ λῃσαὶ, *unus ex latronibus* Luc. XXIII, 39. s.; nam pluralem numerum usurpari, ubi unum e multis, sed indefinite indicatur, veteres novique interpretes monuerunt. Pro ὠνείδιζον αὐτῷ alii recte legunt αὐτὸν, sic enim habent plurimi et vetustissimi codices. Ὀνειδίζειν cum accus. est *conviciis proscindere*; cum dativo: *exprobrare*.

44. Σκότος ἐγένετο ἐπὶ πᾶσαν τὴν γῆν) πᾶσα ἡ γῆ h. l. est Iudaea, vel terra Hierosolymitana, ut saepius. Σκότος non est eclipsis solis proprie sic dicta, quae tempore plenilunii vix locum habere potest; sed obscuratio solis extraordinaria, cum terrae motu, forsan etiam gravissima tempestate coniuncta. Fuisse illo tempore terrae motum, ita ut rupes dissilirent, Matthaeus refert infra v. 51. Sed ante vel post terrae motum saepe tanta caligo per vapores e terra ascendentes oritur, ut medio die nox ingruere videatur. Extenditur vero caligo cum terrae motu coniuncta per quatuor, sex, et decem milliaria, atque adeo longius. Hac interpretatione rei dignitati nihil detrahitur.

Suf-

Sufficit, multos Iudaeos ortis tenebris medio die, attentos esse factos et ad se rediisse. Orta est nempe caligo tempore meridiano, quo sol maxime lucere ac fervere, diesque clarissimus esse solet, atque duravit *ab hora sexta*, (nostra duodecima) *usque ad horam nonam*, quae est tertia nostra pomeridiana. Iudaei enim diem in duodecim horas dispescebant, quarum prima ab orto sole incipiebat. Hinc hora sexta meridiem constituit, estque nostra duodecima. Defectio solis, cuius mentionem faciunt *Phlegon Trallianus* L XIII. Olympiadum, et *Thallus* apud Africanum, diversa est ab ea, cuius Evangelista meminit; tempus enim non congruit. Vid. Moldenh. ad h. l. et Scriptores hist. eccles.

46. Ἠλί, ἠλί, λαμὰ σαβαχθανί;) Ps. XXII, 2. legitur: אֵלִי אֵלִי לָמָה עֲזַבְתָּנִי. Sed pro עֲזַבְתָּנִי Iesus usu est voce Syriaca שְׁבַקְתָּנִי. Vocis שְׁבַק significatio eadem quae hebraicae vocis עָזַב. Et hinc et aliunde colligitur, Christum neque veteri usum Hebraeorum sermone neque Syriaco, sed mixta dialecto, quae tum in Iudaea vigebat. Ea lingua retinebat quaedam avitae pronuntiationis, ut אֵלִי: quaedam cum Syris habebat communia, ut שְׁבַק, pro עָזַב. ἵνατί με ἐγκατέλιπες;) *Cur ita me destituisti?* Vox est deprecantis; non desperantis. Putabant Iudaei, qui adstabant, Iesum a Deo derelictum, adeoque Messiam et Dei Filium non esse, ut supra v. 39—43. huius capitis relatum est. Rogat ergo Iesus patrem suum, ne diutius ipsum patiatur tanta contumelia affici, sed potius e manibus eorum eripiat, demonstretque suspicionem illorum iniquam fuisse. Haec *Wetstenius* ad h. l. Hoc saltim facile apparet, haec verba fuisse non desperantis, sed dolentis,

mi-

miseram suam vicem deflentis, et auxilium divinum implorantis.

47. Ἠλίαν) Alludunt isti, (ut solent irrisores,) ad nomen *Eli*, quod significat Deus mi, non imperitia linguae, sed quod profanus et crudelis animus huc eos impelleret. Multa apud Iudaeos narrabantur, de apparitionibus Eliae, ad homines ex periculo mortis liberandos. Putabant etiam *Eliam* praeparaturum esse Messiae viam. Quum igitur Iesus, se esse Messiam, professus esset, illudunt ei, dicentes: *En Messiam adeo ad incitas redactum, ut praecursoris egeat ope.*

48. Λαβὼν — ἐπότιζεν αὐτὸν) *Spongiam vino* (posca) *repletam, arundinique affixam porrigit, ad eum potandum.* Λαβὰν hic, ut saepius, pleonastice positum est. Ὄξος, cf. supra v. 34 Iesus nempe sitirè se dixerat, ut nos Ioannes docet. περιθεὶς καλάμῳ) Ὑσσώπῳ περιθέντες, inquit Ioannes. Apparet, κάλαμον idem fuisse quod ὕσσωπον, i. e bacillum ex hyssopo, quae in aliquam magnitudinem arbori convenientem excrescit in Iudaea, non minus quam sinapi.

49. Ἄφες) Non est vox prohibentis, sed subiunctivo sequenti inserviens, quasi dicas: *age videamus.*

50. Κράξας φωνῇ μεγάλῃ) *Iterum alta voce clamans.* Clamor is fuit: τετέλεσται apud Ioannem, et πάτερ εἰς χεῖρας σε παρατίθεμαι τὸ πνεῦμά μου. Ergo non fuit vox dolentis, sed laetantis et quasi triumphantis. Quare centurio cruci adstans hac voce Iesu commotus, suspicatus est, extraordinarium eum esse hominem. Marc. XV, 39. Ἀφῆκε τὸ πνεῦμα) *Exhalavit spiritum* Sic LXX. Gen. XXX, 18. pro בְּצֵאת נַפְשָׁהּ habent ἐν τῷ ἀφιέναι αὐτὴν τὴν ψυχήν. Πνεῦμα et ψυχὴ sunt synonyma, non *ha-*

halitus, sed *spiritus*. Cf. Luc XXIII, 46. Non audiendi sunt *Dammius*, *Bahrdtius*. Auctor Hori, aliique, qui affirmarunt, Iesum non vere mortuum, sed tantum animi deliquium esse passum. Vid. Notanda ad Io. XIX, 34.

51. Καὶ ἰδὲ - κάτω) *Tum, ecce, velum templi scissum est in duas partes a summo ad imum.* Ἰδὲ הִנֵּה, h. l. vel est vox admirantis, ut saepe, vel denotat *subito, derepente*, ut Gen. XV, 4, ubi LXX. pro הִנֵּה habent ἐυθὺς. Καταπέτασμα τῦ ναῦ) Duo vela templi fuerunt: *interius* quidem, quo velatus fuit aditus ad Sanctum Sanctorum, et *exterius*, quod erat ad introitum templi. Illud Hebraice הַפָּרֹכֶת, hoc מָסָךְ appellatur. Hoc loco intelligendum illud est, quod erat ante aditum Sanctuarii, quod simpliciter καταπέτασμα dicitur, ut alterum κάλυμμα. Quae res intelligitur e verbis apud Philonem Lib. II. de vita Mosis: *Ex his ipsis*, (purpura, coccino et bysso,) *cum velum* (καταπέτασμα,) *tum velamen* (κάλυμμα) *confectum fuit: Illud quidem interius ad quatuor columnas, ut adytum occuleretur; alterum autem exterius, ne quis profanus posset inspicere sacrificantium sacra* Incerta sunt et fabulosa, quae a Talmudicis de velo templi narrantur. *Schekalim* VIII, 5. Veli cassitudo est palmus, et contextus est ex LXXII. filis, quorum unumquodque habet XXIV. filamenta. In longitudine habet XL. cubitos, in latitudine vero XX. et ex LXXXII. myriadibus confectum est. Duo quotannis conficiuntur. CC. Sacerdotes ipsum lavant. Haec omnia, ut iam dixius, incerta sunt. εἰς δύο) sc. μέρη, *in duas partes*. Et hoc velum ita comparatum, ut nulli tempestatis iniuriae esset obnoxium, nec humana manu scindi posset. Ergo scidisse hoc videtur, ut appareret, caerimoniis Leviticis

cis nunc imponi finem. Sic plerique. Si tamen velum tenuis texturae, et vetustate fuit contritum, in illo terrae motu facile sine miraculo scindi potuit. Vid. *Michaelis* ad h. l. καὶ ἡ γῆ ἐσείσθη) *et terra concussa est*, sc. terra Israelitica, vel etiam Hierosolymitana.

52. 53. Καὶ τὰ μνημεῖα — ἐνεφανίσθησαν) Haec duo commata spuria esse censet Anonymus *in Repertorio für bibl. und morgenl. Litteratur, Tom. IX. de interpolationibus in Evangelio Matthaei*, pag. 99. 139. In eadem sententia est Anonymus *im deutschen Museum*, mens. Iud. 1783. p. 73—82. Fieri potuisse, ut quaedam ex Evangelio Nazaraeorum, vel ex traditione in Evangelium Matthaei irrepserint, facile largior. Sed certi aliquid in his rebus statuere non ausim. Ceterum putant quidam, statim mortuo Christo hos mortuos resurrexisse; quare non legunt μετὰ τὴν ἔγερσιν αὐτοῦ, sed αὐτῶν. Alii existimant, fissis petris aperta quidem esse sepulcra, neque tamen ad vitam pervenisse hos mortuos, nisi postquam Christus revixerat, ut sic appareret, ipsum esse πρωτότοκον ἐκ τῶν νεκρῶν. Verba μετὰ τ. ἐγ. αὐτ. sequentibus iungunt versiones Persicae et Syriaca. Venerunt εἰς τὴν ἁγίαν πόλιν. Sepulti enim in suburbanis locis fuerant. Aperiri sepulcra in gravi terrae motu, haud est insolens. ARISTIDES in Rhodum: ἀνερρίπτητο δὲ οἰκίαι, καὶ μνήματα ἀνερρήγνυντο, πύργοι δὲ πύργοις ἐνέπιπτον. XIPHILINUS Nera: σεισμὸς ἐξαίσιος ἐγένετο, ὥσε καὶ δόκησιν παρασχεῖν ὅτι ἤρθη γῆ πᾶσα διαρρήγνυται, καὶ αἱ τῶν πεφονευμένων ὑπ' αὐτοῦ ψυχαὶ πᾶσαι ἅμα ἐπ' αὐτὸν ἀναθορρύωσι. Quo autem tempore mortis Christi demortui ex sepulcri vivi exiisse dicuntur, id plane extraordinarium esse et inauditum, nemo non videt. Si caussa quaeritur, cur homiraculum factum sit, respondet Io. GEORG. MICHAELIS *in Bib-*

Biblioth. Brem. cl. III. p. 728. excitatos hos sanctos esse, et apparuisse aliis ideo, ut vel sic convincerentur Iudaei, Iesum Nazarenum esse verum Messiam, quippe cuius tempore mortuorum aliquos resuscitatum iri crediderint. Vid. Buxtorfii Synag. Iud. c. 3. Quinam autem fuerint illi Sancti, nemini mortalium constat. Ii certe falluntur, qui Adamum, Evam, Noachum, Abrahamum, Isaacum, Iacobum, Davidem etc. fuisse sibi persuadent. Recte suspicantur alii, fuisse hos non ita pridem defunctos et sepultos, quia alias non agniti fuissent ab illis, quibus apparuerunt, nec cognitum fuisset eos a morte esse redivivos. Vid. Lampius in Biblioth. Brem. class. III. *Michaelis* ad h. l. ita explicat hanc Matthaei narrationem: Eo die, quo Iesus mortuus est, in gravi illo terrae motu aperta sunt nonnulla sepulcra, in quibus corpora hominum non ita pridem mortuorum sepulta erant. Cadavera per aliquot dies in apertis sepulcris conspiciebantur; mox autem non amplius inventa sunt. Circa illud tempus autem visi sunt nonnullis piis Hierosolymitanis amici et familiares haud ita pridem defuncti *in somnio*, dicentes, se in vitam rediisse; corpora sua non amplius esse in sepulcris. Quum igitur corpora eorum nuspiam reperirentur, inde concluserunt, amicos suos revera in vitam rediisse. Matthaeus autem relata refert. Nos nihil definimus.

54. Ἑκατόνταρχος) *Centurio supplicio praepositus*, ut Seneca loquitur Lib. I. de ira c. 12. haud dubie Romanus. τηροῦντες) Etiam post mortem manserunt milites, *ne quis* scilicet, ut *Petronius* loquitur, *ad sepulturam corpora detraheret*, (nisi publico permissu.) καὶ τὰ γενόμενα) Caliginem solis, et, quod non frustra Marcus addit, exspirationem statim post clamorem. ἀληθῶς Θεοῦ υἱὸς ἦν οὗτος) Quum Romani fuerint, qui hoc dicebant,

bant, clarum est, nihil aliud illos significare voluisse, quam Christum non modo fuisse insontem, sed etiam plane iustum, (Luc. XXIII, 47.) et velut Heroëm quempiam, quasi Diis ipsis hoc coelitus testantibus; id quod declarat etiam verbum ἦν, *erat*, quasi esse desiisset. Fortasse audiverant etiam Iesum coram Synedrio et Pilato confessum esse, se esse υἱὸν τοῦ θεοῦ.

55. Ἦσαν — διακονοῦσαι αὐτῷ) Ἠκολούθησαν τῷ Ἰησοῦ, comitatae fuerant Iesum, in ultimo itinere ex Galilaea. De sensu verbi διακονεῖν vid. Luc. VIII, 3.

56. Μαρία ἡ Μαγδαληνή, *Maria ex urbe Magdala oriunda.* Μαγδαληνὸς est nomen gentile, ut Ἀλεξανδρῖνος et similia, quod patet ex articulo ἡ. Erat autem *Magdala* urbs trans Iordanem sita. Matth. XV, 39. Μαρία ἡ τοῦ Ἰακώβου καὶ Ἰωσῆ μήτηρ, Maria, mater Iacobi minoris, s. iunioris, (Marc. XV, 40.) qui erat filius Alphaei vel Cleopae, Matth. X, 3. coll. Io. XIX, 25.

57. Ὀψίας δὲ γενομένης) Statim post nonam. Nam solis occasus erat initium noctis. πλούσιος) εὐσχήμων inquit *Marcus*, i. e. *vir honesti loci*, quippe βουλευτής, ut ipse addit, et *Lucas* exprimit. Hic Iosephus, oriundus quidem ab Arimathaea, i. e. *Rama*, in tribu Beniamin sita, Matth. II, 17. domicilium autem, et sedem fortunarum suarum habens Hierosolymis, GROTIO fuisse videtur senator senatus urbis Hierosolymitanae, quia non vocatur ἄρχων, sed βουλευτής. Sed obstat, quod Lucas XXIII, 51. addit, *eum in ceterorum consilia et machinationes non consensisse;* unde sequitur, eum ex numero assessorum Synedrii fuisse. ἐμαθήτευσε τῷ Ἰησοῦ) *Fuerat Iesu sectator.* Veram igitur agnovit Christi doctrinam, sed, quod Ioannes addit, profiteri eam non ausus fuerat hactenus, metu prohibente.

58.

58. Ἠτήσατο τὸ σῶμα) Apud Romanos nefas erat cruci affixos sepelire, nisi fuerit petitum et permissum. Plerumque tabo passi sunt diffluere mortuos in cruce, et a sole ac pluvia corrumpi. Mortui sunt hoc mortis genere interemti, vel a stillante paullatim sanguine, vel a fame, vel etiam ab avium ferarumque laniatu. Interdum et lanceis sunt interfecti. Cf. quae notavimus ad v. 36. Quia vero cum Iudaeorum institutis pugnabat, corpora peremtorum ultra vesperam ostentari, Deut. XXI, 23. credibile est, Praesides Romanos ea in re, ut in multis rebus aliis, sequutos morem regionis. Quare non hoc proprie rogatum a Iudaeis, Ioan. XIX, 31. ut ante noctem corpora demerentur, sed ut paullo maturius, ne milites in eo opere occupatos initium sabbati deprehenderet. Iudaeis et barbaris mos fuit, ob imminens aliquod festum, interfectorum cadavera, quo citius sepelirentur, cognatis tollenda permittere. *Philonis* de hac re locum habet *Loesnerus*.

59. ἐνετύλιξεν σινδ. καθαρᾷ) *Involvit linteo mundo.* σινδών, linteum pertenue, amictus ex lino Aegyptiaco, omnis generis linum, maximeque xylinum, subtiliter textum. Originem huius vocabuli viri docti multi, e. c. *Braunius*, *Munthius*, *Forsterus* (de bysso antiquorum) in lingua Aegyptia quaesiverunt. *Fischerus* autem (Proluss. p. 76.) non dubitat, quin σινδὼν sit Hebraeorum vocabulum סָדִין. Quanquam autem unum nominat Matthaeus, praecipuum videlicet, quo corpus involvebatur, plura tamen fuisse certum est; quare ὀθόνια recte dixit *Ioannes* cap. XIX, 40. et c. XX, 6. Ceterum ὀθόνια quoque dicuntur *lintea*, maximique xylina; unde Hesychius nomen ὀθόννη interpretatur vocabulo σινδών. De variis generibus ὀθονίων accurate disputat *Forsterus* l. c. pag.

p. 74. ss. qui etiam observat, vestimenta xylina tum apud Aegyptios, tum apud Iudaeos vocata esse καθαρὰ, *pura* imo *sacra*.

60. Ἔθηκεν — μνημείῳ) *Condidit illud in suo novo sepulcro.* Ἔθηκε, pro compos. κατέθηκε. Ὃ ἐλατόμησεν ἐν τῇ πέτρᾳ) Articulus ἐν τῇ πέτρᾳ ostendit, ex una rupe sive petra excisum et excavatum fuisse monumentum. Erat is mos Iudaeorum e rupe specum excavare condendis corporibus. προσκυλίσας — μνημείῳ) *Ingens saxum monumenti foribus apponere curavit.* Orientales sepulcra lapidibus magnis munire solebant, ne cadavera a bestiis vel hominibus laederentur.

62. Τῇ δὲ — παρασκευὴν) *Altero autem die, qui consequebatur Parasceven*, i. e. Sabbato, et quidem ineunte Sabbato, ut videtur, mox post solis occasum. Παρασκευὴ proprie est apparatus, praeparatio. In specie autem sic vocatur dies, qui sabbatum antecedit, in quo, quae sabbato, vel diebus festis necessaria sunt, praeparantur, nobis dies Veneris. συνήχθησαν — Πιλάτον) Non universum Synedrium, non πάντες οἱ ἀρχιερεῖς καὶ οἱ πρεσβύτεροι τοῦ λαοῦ, sed quaedam tantum membra senatus, cum duobus Pontificibus Maximis. De custodia ad sepulcrum disposita copiose disputavit D. Paulus in *Meletematis ad hist dogm. de resurrectione mortuorum*, Ienae, 1796. Sed obiectiones eius et dubitationes examinare non est huius loci. Conferri possunt quae ad confutandos cos, qui hanc Matthaei narrationem genuinam esse negant, disputavit Michaelis *in der Erklärung der Begräbnifs und Auferstehungsgeschichte Christi.* p. 84. ss. Pauli argumenta refutavit Süskind (*Magazin*

zin für christl. Dogmatik und Moral etc. St. 9. Tübingae 1803. p. 156. sqq. et post eum KUINOEL in Comment ad h. l.

63. Ὁ πλάνος) *Deceptor.* Mortuum etiam Iesum non desinunt ignominia verborum afficere. Est autem *planus*, quo nomine et Horatius utitur, circulator ac vagus, et nugatoria levitate homines decipiens. μετὰ — ἐγείρομαι) i. e. τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ. Videntur verba Iesu Io. II, 19. de resurrectione eius intellexisse. Vid. *Henke* Progr. *Illustratur Ioannes nonnullorum Iesu apophtegmatum interpres*, Helmst. 1798. F. V. REINHARD Diss. *de Christo suam dum viveret resurrectionem praedicente*, (in Commentatt. theolog. editt. a *Velthusen, Kuinoet* et *Ruperti*, Vol. III. 1. ss.) repetita in opusculis Academicis Volum. II. p. 32. sqq. ad loca, quibus Christus resurrectionem suam *publice*, *audientibus aliis*, *ipsisque Pharisaeis* praedixerit, praeter Io. II, 19. refert Matth. XII, 38—40. et Io. X, 18.

64. Κέλευσον — ἡμέρας) *Iube muniri sepulcrum ad tertium diem.* Sic libro Sapient. XIII, 15. legitur ἀσφαλίσασθαι σιδήρῳ, *ferro munire*. Alexandrini hoc vocabulo utuntur pro חָתַם Nehem. III, 15. Μήποτε — τῶν νεκρῶν) *Ne discipuli eius eum nocte subducant, populoque persuadeant, eum a morte rediisse.* Ἐλθόντες pleonastice positum est. Καὶ ἔσται — πρώτης) *Adeoque e minori malo maius existat*, ultima fraus peior sit priori. Locutio proverbialis, ut supra c. XII, 45. Luc. XI, 26. 2 Petr. II, 20. Ne posthac peius aliquid eveniat, e. g. seditio populi, quae omnino metuenda erat, si Iesus *publice* se omnibus conspiciendum praebuisset post resurrectionem.

65. Ἔχετε κουστωδίαν) *Habeatis custodiam.* κουστωδία, *custodia*, vox Latina, milites custodiam agentes. Ἔχετε, *habeatis. Sie soll euch vergönnt seyn*, ut Esth. III, 11. ἔχε τὸ ἀργύριον. Vel simpliciter: Habetis cohortem, quae hoc tempore ad omnes tumultus arcendos vestro imperio commissa est; ea utimini pro arbitrio. ὡς οἴδατε) Ut fieri oporteat, pro sollertia vestra iudicabitis.

66. Σφραγίσαντες τὸν λίθον) *Obsignato lapide.* Forsan *Pilati* annullo, divina providentia ita dirigente, ut publica sigilli fide constaret, Christi corpus nulla humana manu exemtum sepulcro. μετὰ τῆς κουστωδίας) Construendum est cum verbo ἠσφαλίσαντο eo sensu, quem *Tertullianus* exprimit: *sepulcro conditum magna militari manu custodiae diligentia circumsederunt.* Alii per metathesin verba μετὰ τῆς κουστωδίας iungunt Participio πορευθέντες, et vertunt: *Illi igitur, comitantibus militibus abeunt, et sepulcrum, obsignato* insuper *saxo, muniunt.* Sic *Reichardus.*

CAP. XXVIII.

Quanquam in narranda historia resurrectionis Christi quoad summam rei optime consentiunt Evangelistae, tamen in commemorandis singulis quibusdam περιστάσεσι variant. Has discrepantias ita exaggeravit post alios *Anonymus*, cuius fragmenta ex bibliotheca ducali Guelferbytana *Lessingius* (*in den Beyträgen zur Geschichte und Litteratur*) edidit, ut totam hanc historiam reddere incertam dubiamque conaretur. Cui fortiter se opposuerunt nostratium haud pauci, quos inter *Doederlein*, *Less*, *Semler*,

ler, *Tobler*, palmam reliquis praeripuerunt. His adde: *I. D. Michaelis Erklärung der Begräbnis- und Auferstehungsgeschichte* etc. Halae 1783. *Beyträge zur Beförderung theologischer und andrer wichtiger Kenntnisse von Kielischen und auswärtigen Gelehrten.* P. III. p. 245. ss. Io. Fr. Plessing, *die Auferstehung Iesu aufs neue betrachtet.* Hal. 1788. Friedrich, *über die Gewifsheit der Auferstehung Iesu.* Eichhorn, Biblioth. VII, 204. I. G. Herder *über Auferstehung, als Glauben, Geschichte und Lehre.* pag. 130. ss. Bene observat *Griesbachius* (in Progr. de fontibus, unde Evangelistae suas de resurrectione Domini narrationes hauserint,) difficultatum potiorum originem latere saepe in religione summa, qua fontes suos presse sequi, nec quicquam alieni eis admiscere sibi proposuerunt sacri scriptores. Quisque nempe Evangelista eodem prorsus modo rem narravit, quo ipse primum de ea certior factus fuerat. Quum autem nullus Apostolorum mulieres, primas resurrectionis nuncias, omnes vidisset; aliae potius mulieres alios Apostolos, per dissitas urbis Hierosolymae regiones dispersos adiissent, et quae ipsae viderant his exposuissent, hinc factum est, ut unus has, alius alias περιςάσεις resciscerent, et in literas referret. Ceterum fides Apostolorum de resurrectione Christi non nitebatur illa quidem asseverationibus mulierum, sed propriorum sensuum testimonio, (omnibus enim vivum se conspiciendum praebuit Dominus,) narrationes tamen mulierum, per quas velut primus spei radius in animos eorum illapsus erat, aeterna memoria ipsis videbantur dignae. Quum itaque postea aliis exponenda esset resurrectionis historia, vix poterant rem aliter narrare, quam ea olim per mulieres primum ipsis innotuerat.

1. Ὀψὲ δὲ σαββάτων, τῇ ἐπιφωσκούσῃ εἰς μίαν σαββάτων) Vertanda sunt haec verba sic: *Post sabbatum autem, illucescente primo hebdomadis die.* Scilicet ὀψὲ σαββάτων reddendum est: *post sabbatum, sabbato transacto,* seu *in fine sabbati,* quod dilucidissime Marcus c. XVI, 1. exprimit verbis διαγενομένου τοῦ σαββάτου: ubi intelligendus est dies sabbati cum nocte sequenti. Sic *Thucydides* Lbi. IV, c. 93. τῆς ἡμέρας ὀψὲ ἦν, *erat serum diei, in fine diei. Plutarch.* ὀψὲ τῶν βασιλέως χρόνων, *post tempora regis. Philostratus:* ὀψὲ τῶν τρωϊκῶν, *post bellum Troianum.* Vox σάββατα hoc commate duplici significatione sumitur. Nam initio commatis σάββατα est ipsum sabbatum; sed in sequentibus est *hebdomas.* Proinde verba τῇ (ἡμέρᾳ) ἐπιφωσκούσῃ εἰς μίαν σαββάτων, pro ἐν μιᾷ σαββάτων, vertenda sunt: *die illucescente, s. oriente primo die hebdomadis.* Nam μία σαββάτων est primus hebdomadis dies; μία vero ex Hebraico אֶחָד dicitur pro πρώτη, et σάββατα pro *tota hebdomade* in sacris litteris sumi, tritius est, quam ut exemplis sit confirmandum. Ἐπιφώσκειν, etsi proprie de sideribus, iubar emittere incipientibus, dicitur, tamen de die quoque illucescente saepe usurpatur. Igitur ἡ ἐπιφώσκουσα (ἡμέρα) est *ipsum diluculum,* nuntius diei. Unde apparet, Matthaeum neque secum, neque cum reliquis Evangelistis pugnare. ἦλθε — τάφον) Ἦλθε. i. e. *in viam se dederat, ibat.* Cf. v. 2. Nam ἔρχομαι, quod hic respondet hebr. הָלַךְ non tantum indicat *venire,* sed etiam *ire, proficisci,* ut *Henr. Stephanus* in thesauro linguae graecae docet. Hoc sensu occurrit Act. XXVIII, 14. coll. v. 15. Act. XX, 14. 15. aliisque locis. Ἡ ἄλλη Μαρία, nempe Cleopae filia, mater Io-

Iosae et Iacobi. Omittit Matthaeus *Salomen*, quam Marcus nominat, et *Ioannam*, uxorem scilicet Chuzae, qui Herodis erat procurator, Lucae memoratam. Θεωρῆσαι τὸν τάφον. Marcus addit: ἵνα ἀλείψωσιν αὐτὸν, quod et Lucas non obscure indicat. Venerunt igitur, ut viderent, an sepulcrum ad unctionem pateret. Solebat id fieri, antequam corpora sepulcro mandarentur; sed sepeliendi festinatio id officium anteverterat. Matthaeo primum de resurrectione Christi nuntium attulisse videtur ἡ ἄλλη Μαρία, quae narraverat quidem, se cum Magdalena, aliisque nonnullis, quarum forte nomina tacuerat (Marc. XVI, 1. Luc. XXIV, 10.) accessisse ad sepulcrum; sed abitum Magdalenae a sepulcro ad Ioannem ac Petrum (Io. XX, 2. sqq.) praetermiserat, numeroque plurali porro usa, quae post Magdalenae discessum sibi contigissent, exponere perrexerat. Quam narrationem optima fide repetiit Matthaeus, suoque Evangelio inseruit.

2. Καὶ ἰδοὺ — μέγας) Verte in plusquamperfecto: *Magnus terrae motus fuerat ortus.* Quae enim v. 2—4. narrantur, sine dubio evenerunt ante adventum mulierum ad sepulcrum. Non ausae fuissent accedere, si monumentum obseptum vidissent militibus. ἄγγελος γὰρ — ἐπάνω αὐτῆς) *Nam angelus Dei, coelo profectus, saxum a foribus sepulcri devolverat, ac super ipso consederat.* Pro ἄγγελος Marcus c. XVI, 5. commemorat νεανίσκον, *stola candida indutum* Nonnulli, angelos vulgo sic dictos hoc nostro et parallelis locis intelligendos esse, negant. Ex horum sententia Hebraei omnia inopinata eventa, quorum caussae proximae laterent, ad auctores invisibiles, ad angelos, quorum ministerio Deus ad exsequenda sua mandata uteretur, referre, et angelos

nominare solebant. Sic more Hebraeorum commode angelus lapidem removisse a sepulcro, et auctor commotionis terrae fuisse, dici poterat. Cf. FRIEDRICH *über die Engel in der Auferstehungsgeschichte*, in EICHHORN allgem. Bibl. der bibl. Litter. VI, 4. VIII, p. 623. HEZEL, *der Schriftforscher*. Heft III. St. 23. Refert Matthaeus, quod vel ex milite aliquo ad sacra Christiana postea perducto, vel senatore iudaico, Christianam religionem postea amplexo, audiverat. Terra contremiscente, saxum occludens aditum ad sepulcrum, fulmine forte percussum, disiectum esse videtur. Quum autem custodes in apice saxi formam candidam et coruscam conspexissent, nulli dubitarunt coelestem genium esse, atque ab eo devolutum esse saxum.

3. Ἦν δὲ — χιών) *Habebat autem facies eius speciem fulguris* (instar fulguris nitebat,) *vestimenta autem albedinem nivis habebant.* Ἰδέα quidem apud probatae auctoritatis scriptores interdum de *forma humana* dicitur. Saepius autem usurpatur de imaginibus phantasiae obiectis. Perterrefacti milites coruscam fulguris speciem facile pro coelesti genio habere poterant.

5. Ἀποκριθεὶς — ζητεῖτε) Ἀποκριθεὶς hebraico more, ut saepe, pleonastice hic ponitur. Binos angelos commemorat Lucas, c. XXIV, 4. Matthaeus autem unius tantum, quia unus tantum mulieres allocutus fuerat, mentionem facit. Ceterum mulieres in spelunca haec ex angelo audivisse, patet ex commate 8. Omnibus nempe perterritis ob non repertum corpus, Magdalena, viros quosdam advocatura, celeri cursu redit in urbem, (Io. XX, 2. sqq.) reliquae remanent, et postquam ex terrore sensum se collegissent, paullulumque confirmassent, in speluncam introgre-

grediuntur, et conspiciunt binos angelos, quorum alter eas alloquitur, et Iesum a mortuis surrexisse confirmat. Magdalenam quidem cum ceteris mulieribus summo mane sepulcrum petiisse, resciverat Matthaeus; sed seiunxisse eam postea sese a reliquis, nec interfuisse his, quum Iesus eis appareret, eosque alloqueretur, id vel ignorabat, vel memoratu vix dignum iudicabat. Ex aliorum sententia in animis mulierum, quum vidissent lapidem remotum, varii generis cogitationes subortae sunt, quas putabant et dicebant esse voces illius iuvenis, quem in sepulcrum ingressae viderant.

6. Ὅπου ἔκειτο) Proprie: *ubi situs fuit.* Frequens Graecorum Epitaphiis ἐνθάδε κεῖται, ut in *Latinis: Hic situs est.* ὁ κύριος) Absolute; quasi dicat angelus, non vester tantum, sed noster quoque Dominus.

7. Τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ, *sectatoribus eius*, et quidem quibusvis, non solis Apostolis. προάγει ὑμᾶς εἰς τὴν Γαλιλαίαν) *Praecedet vos in Galilaeam;* nam προάγει per enallagen ponitur pro futuro. In Galilaea facta est publica et solennis Iesu apparitio, omnibus non tantum discipulis, sed multis etiam aliis. Cf. 1 Cor. XV, 6. Sed plus praestitit Christus quam promisit. Promiserat enim, in Galilaea se ipsis appariturum: (supra c. XXVI, 32.) at cunctantibus eo ire, Hierosolymis primum apparuit, deinde in Galilaea saepius. ἰδοὺ εἶπον ὑμῖν, et ille praedixit, et ego nunc iterum praedico.

8. Μετὰ φόβου καὶ χαρᾶς μεγάλης) Timor gaudio erat mixtus, ut fieri solet, quando praeter omnem expectationem laetus nuncius nobis affertur. TERENT. Andr. V, 4. 34. *Vix sum apud me, ita animus commotus*

est

est metu, spe, gaudio, mirando hoc tanto tam repentino bono. Praeterea etiam φοβεῖσθαι, hebr. פָּחַד, saepe est *obstupefieri, admirari,* ut apud LXX. Ierem. XXXIII, 9. φοβηθήσονται — περὶ πάντων τῶν ἀγαθῶν κ. τ. λ.

4 Ὡς δὲ — χαίρετε) Hoc factum esse videtur, quum Mariae Magdalenae se iam conspiciendum praebuisset Iesus. Haec enim sola Petrum et Ioannem acciverat ex urbe ad sepulcrum; haec etiam sola in urbem rediit, ut clare dicit Ioannes c. XX. Dum nempe post abitum Petri et Ioannis et ceterarum mulierum sola aliquantisper ad sepulcrum moratur Magdalena, primum duos angelos, mox etiam ipsum Iesum conspicit. Reliquae interim mulieres alia via pergentes, ut, non Petro et Ioanni, sed aliis Apostolis, in remotioribus urbis regionibus, fortassis etiam Bethaniae commorantibus, laetum nuncium de resurrectione Christi afferrent, in ipsa via obviam habent Iesum, et ab eo mandata ad discipulos accipiunt, v. 10. αἱ δὲ — προσεκύνησαν αὐτῷ) *Illae vero pedes eius amplexae, eum devenerantae sunt.* Κρατεῖν h. l. est *amplecti.* Sic 2 Reg. IV, 27. de Sunamitide: וַתַּחֲזֵק בְּרַגְלָיו. ἐκράτησαν αὐτοῦ τὰς πόδας) Videtur hoc fieri in exosculatione pedum; nam hoc non insolitum. Sic 2 Reg. IV, 27.

10. Τοῖς ἀδελφοῖς μου) i. e. *discipulis meis,* quos Iesus vocat *fratres* ob communem patrem coelestem, et quoniam sibi, filio Dei coniuncti erant arctissimo vinculo. Io. XX, 17.

11. Πορευομένων δὲ αὐτῶν) Praesens pro praeterito: *quum iam abiissent.* Neque enim vult hoc factum, dum in itinere erant, sed postquam a sepulcro discesserant.

ἰδοὺ

ἰδοὺ τινὲς τὴν κεφωδίας) Praecipui caeterorum nomine. ἅπαντα τὰ γενόμενα) *quae facta fuerant;* terrae motum, visum coelestae, devolutum lapidem, corpus non repertum.

12. Μετὰ τῶν πρεσβυτέρων) Synedrii descriptio; iam enim convenire poterat, sabbato exaeto.

13. Εἰπατε — ἡμῶν κοιμωμένων) Εἰπατε, non Pilato, sed τῷ λαῷ, cuivis obvio de plebe. Cf. v. 14. Non hoc volunt Pontifices, ut milites *Pilato* persuadeant, corpus Iesu ablatum esse se dormientibus, (hoc enim stultum fuisset,) sed ut insusurrent familiaribus suis, se obdormivisse, et posthac ab aliis rescivisse, quod corpus Iesu, se dormientibus a discipulis sit furto ablatum.

14. Καὶ ἐὰν — ἡγεμόνος) *Quodsi forte rumor ad aures Procuratoris pervenerit.* Nimirum, male curatas excubias, et desertam stationem; quae graviter puniebantur apud Romanos, acres militaris disciplinae vindices. ἐπὶ τῦ ἡγεμόνες) apud *Praesidem*, vel *Procuratorem*: nam Pilatum ipsum designant, ut in tota superiore historia. πείσομεν αὐτὸν) Πείθειν τινα est *aliquem in suas partes trahere, pacare, sibi conciliare;* quod potest fieri vel precibus, vel donis. Vide *Krebsium* et *Loesnerum* ad h. l. ἀμερίμνους ποιήσομεν) Vox iuris. Ita enim Graeci dicunt, quod *Latini indemnem praestare.*

15. Καὶ διεφημίσθη ὁ λόγος οὗτος παρὰ Ἰουδαίοις) *Et divulgata est haec res apud Iudaeos.* Veteres omnes magno consensu intelligunt famam illam mendacem de corpore Christi a discipulis subtracto. *Iustinus Martyr* duobus locis memorat legationem, a synedrio ad totius orbis Iudaeos ea de re missam. Malunt tamen alii ita haec Matthaei verba accipere, quasi dicatur, non potuisse ita celari

lari sceleratam istam inter sacerdotes et milites mendacii nundinationem, ut non aliquam rimam inveniret veritas, per quam in publicum emanaret. Quod ipsum quoque esse verissimum potuit, et initium quoddam fuisse multorum ad Christum conversionis. Sed prior explicatio est praeferenda, quia additur παρὰ Ἰουδαίοις, qui illi fabulae fidem habebant.

16. Εἰς τὸ ὄρος, οὗ ἐτάξατο αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς) *Ad illum montem, ad quem Iesus eos amandaverat.* Num hic mons fuerit *Itabyrius*, ut Grotius existimat, an vero alius, nemo facile dixerit. Incertum est etiam, quo tempore, et qua occasione Dominus discipulis suis montem istum nominatim indicaverit. Verisimile tamen est, montem a Iesu designatum fuisse ἔρημον, incolis destitutum, atque talem, ut Iesus, qui inde a resurrectione solis amicis se conspiciendum praebere constituerat, (Act. X, 40. 41.) liberius cum iis colloqui posset. Sine dubio Iesus discipulis non tantum locum, sed etiam tempus, diemque huius conventus indicavit. Praeterit *Matthaeus* multas apparitiones Christi, factas *Petro*, *Apostolis* sine Thoma et cum Thoma, contentus una, illustrissima, quae plurimos testes habebat superstites, quum hoc scriberet.

17. Προσεκύνησαν αὐτῷ) Nusquam legimus, Christum ante resurrectionem suam ab Apostolis adoratum fuisse: unde colligimus, maius quiddam et divinius eos de Christo nunc sensisse, quam antea. οἱ δὲ ἐδίσταsαν) οἱ δὲ, *quidam*, pro τινὲς δὲ, quum οἱ μὲν non praecedit, non bene graecum est; quale alii legi volunt ἀδὲ, ex coniectura. Videntur tamen huius constructionis exempla esse Matth. XXVI, 67. Luc. V, 33. Io. XIX, 29. *Aeliani* Var. Hist. V,

V, 17. Cf. *Bowyer* ad h. l. *Addubitaverunt quidam.* Habet autem et haec pars historiae suum momentum. Nam aeque rem aestimantibus omnem dubitationem de facti veritate adimit certa fides illis etiam facta, qui ad credendum difficiles fuerant.

18. Totum hunc locum (v. 18. 19. 20.) nonnulli spurium esse contendunt, sine rationibus criticis, ex solis coniecturis. Vid. *Ueber die Aechtheit der sogenannten Taufformel* Matth. XXVIII, 19. *Ein Versuch von von Ioh. Heinr. Beckhaus*, Offenbach, 1794. Cf. EICHHORN, Biblioth. VI, 2. pag. 88. Καὶ προσελθὼν ὁ Ἰησοῦς) Uno compendio *Matthaeas* complectitur praecipua capita sermonum, quos Christus cum Apostolis non in monte tantum, sed et Hierosolymis ante et post, in coelum iamiam ascensurus, Bethaniae habuit. Ἐδόθη μοι — ἐπὶ γῆς) *Concessa est mihi omnium rerum potestas*, summa auctoritas, δόξα προαιώνιος. Io. XVII, 5. 24. potestas animis hominum per doctrinam meam imperandi, et efficiendi, ut religio mea ubivis terrarum propagetur. Περιφραστικῶς idem dicitur, quod Act. II, 36. Κύριον καὶ Χριστὸν αὐτὸν ὁ Θεὸς ἐποίησε. Cf. Marc. XVI, 20. 1 Cor. VIII, 6. XV, 25. Philip. II, 9—11.

19. Πορευθέντες ὖν) Optime cohaeret cum superioribus. Quando id ius mihi datum est, vos estote eius iuris administri atque legati. μαθητεύσατε) Μαθητεύειν alias intransitive est *discere;* hic autem, ut in aliis locis in significatione hiphilica est *discipulum facere, institutione ad coetum Christianum adducere.* Discipulorum autem nomine veniunt non illi tantum, qui iam didicerunt atque instituti sunt, sed praeter eos ii quoque, qui discunt

et

et instituuntur, et qui adhuc sunt instituendi. Baptizandi igitur sunt etiam infantes. Quum enim Apostoli non ignorarent, pueros quoque et infantes Proselytorum ex gentibus non solum Proselytos appellari, et circumcidi, quod *Mischna* docet, verum etiam baptizari, (quod Wetstenius ex *Gemara* ad Matth. III, 6. prolixe probat) in mentem ipsis venire non potuit, ut pueros et infantes e catalogo discipulorum expungerent, aut a baptismo arcerent, nisi disertis verbis a Christo excepti et exclusi fuissent; quod non legimus. *πάντα τὰ ἔθνη*) Non, ut hactenus, solos Iudaeos, cap. X, 5. sed homines ex omnibus nationibus, sive Iudaei sint, sive Samaritae, sive profani. Apostoli tamen initio hoc interpretati esse videntur de solis Iudaeis, tum in Palaestina tum in aliis orbis terrarum regionibus, per quas erant dispersi. Nam ex Actis Apostolorum satis constat, eos aliquamdiu in ea fuisse opinione, non licere sibi profanis gentibus Evangelium annunciare, easque in coetum Christianum recipere. *Iosephus de B. Iud* Lib. VII. c. III. §. 3. *Τὸ γὰρ Ἰουδαίων γένος πολὺ μὲν κατὰ πᾶσαν τὴν οἰκουμένην παρέσπαρται τοῖς ἐπιχωρίοις*. *Philo* etiam (De legatione ad C. ium, pag. 1031 —32. edit. Francof.) dicit, omnes provincias, quarum multas nominat, plenas esse coloniis Iudaicis. *βαπτίζοντες αὐτὰς εἰς τὸ ὄνομα τῦ πατρὸς κ. τ. λ.*) Varii sunt fines baptismi. Sed pro natura sua praecipue est nota professionis, et introductorium in ecclesiam. *Εἰς τὸ ὄνομα τῦ πατρὸς* etc. hebraeo dicendi genere pleonastice dicitur pro: *εἰς τὸν πατέρα* etc. Act. XIX, 5. coll. Gal. III, 25. Baptizari in aliquem est, baptismo obligari ad eius cultum religiosum, et professionem religionis, ab eo institutae. Sic Paulus negat, quemquam baptizatum in suum nomen 1 Cor. I, 13. 15. hoc est sibi velut novae religionis auctor

mai-

mancipatum. Baptizamur igitur *in nomen Patris*, i. e. in professionem et cultum Dei, qui se in V. T. revelavit; *in nomen Filii*, tanquam veri Messiae, qui in carne humana apparuit, et miraculis, doctrina, resurrectione, ascensione verus Messias demonstratus est; *in nomen spiritus sancti*, qui donis beneficia spiritualia nobis applicat, vel, ut breviter dicam: baptizamur in *patrem*, ut novae religionis auctorem; in *filium*, ut novi coetus dominum; *in spiritum sanctum*, ut huius coetus rectorem ac adiutorem. *Constit Clem.* VII, Baptismus datur in nomen τῦ ἀποστείλαντος Πατρὸς, τῦ ἐλθόντος Χριστῦ, τῦ μαρτυρήσαντος παρακλήτυ. Innuitur simul Patris, Filii et Spiritus S. in eadem doctrina consensus. Nempe Christi doctrina non est alia quam Patris; nec ea quae Spiritus S. Apostolos docuit, diversa sunt a Patris et Filii doctrina Io. XVI, 15. Alias huius formulae interpretationes vid. ap. EICHHORN Repertor. für bibl. und morgenl. Litteratur. T. X. p. 278. ss. PAULUS Neues Repertor für bibl. und morgenl. Litt. II, p. 284. SCHMIDT Biblioth. für die Kritik und Exegese des N. T. Vol. I. p. 141. ss.

20. Διδάσκοντες — ἐνετειλάμην ὑμῖν) *Eo quod doceatis eos observare quaecunque vobis praeceperim.* *Praeceptorum* suorum nomine Iesus non modo comprehendit leges proprias, h. e. mandata super istis quae agenda fugiendaque sint, sed etiam promissiones fide tenendas, quas Evangelii vocabulo complectuntur divini Scriptores. Cf. Luc. XXIV, 47. 1 Ioh. III, 23. καὶ ἰδοὺ, — τῦ αἰῶνος) *Ego vero semper vobis adero, ad finem usque saeculi.* Εἶναι μετά τινος, *alicui adesse, iuvare aliquem*, curare res alicuius. Phrasis Hebraeis familiaris. Sic Ios. I, 9. עִמָּךְ יְהוָה, Cf. Gen. XXXIX, 2. Ies. XLI, 10.

Act.

Act. XVIII, 10. Ἡ *συντέλεια τοῦ αἰῶνος* h. l. videtur esse *finis Mosaicae constitutionis*; nam *ὁ αἰὼν* עוֹלָם הַזֶּה saepe est *haec aetas*, i. e. tempus ante Messiam. Ita sensus esset: Omnibus donis et adiumentis ad religionem meam fundandam necessariis vos instruam et exornabo. Potest tamen *ἡ συντέλεια τοῦ αἰῶνος* intelligi etiam de fine mundi. Vid. dicta ad Matth. XIII, 39. Tum vero *ὑμῶν* per communicationem complectitur etiam subsecuturos, ut 1 Cor. XV, 52. 1 Thess. IV, 17. et haec promissio non ad solos Apostolos, sed ad omnes Christianos pertinet, ut sensus sit: Vobis et omnibus mihi credituris adero usque ad rerum humanarum finem. Io. XVII. 20. Omisit *Matthaeus* ascensus historiam, Christianis, in Palaestina viventibus notissimam. Eam vero *Marcus* et *Lucas*, quum extra Iudaeam viventibus scriberent, merito adiecerunt. Varias variorum codicum *ὑπογραφὰς Griesbachii* Editio exhibet.

SCHO-

SCHOLIA
IN
EVANGELIUM MARCI.

Marcus, cui nomen Iudaicum fuit *Ioanni*, fuit Hierosolymitanus. In aedibus matris eius, Mariae, Apostoli caeterique Christiani suos conventus celebrare solebant. Act. XII, 12. A Petro eum perductum esse ad religionem christianam, colligunt ex 1 Petr. V, 13. Hoc saltim certum est, Marcum aliquamdiu non tantum Petri, sed etiam Pauli et Barnabae ministrum et comitem fuisse. Act. XII, 25. XV, 37. sqq.

De fontibus unde Marcus Evangelium suum hauserit, variae sunt Veterum et recentiorum sententiae. Antiquissimi scriptores ecclesiastici inde a Papia, Clemente Alexandrino, Irenaeo, Tertulliano, Origine etc. Marcum ea, quae a Petro, cuius interpretem ipsum nominant, audivisset, mandasse literis tradunt. Euseb. hist. eccles. III, 39. VI, 14. *Iren.* Lib. III, c. 1 Tertullian adv. Marcion. L. IV, c. Eusebius: (Demonstr. Evang. L. III, p. 120. s. edit. Paris.) *Petrus e nimia modestia indignum se existimavit, qui Evangelium scriberet; sed discipulus eius Marcus ἀπομνημονεῦσαι λέγεται τὰς τῦ Πέτρυ περὶ τῶν πράξεων τῦ Ἰησῦ διαλέξεις. Augustinus* primus fuisse videtur, qui Marcum Matthaei breviatorem et pedissequum esse,

esse, contenderet. (De consensu Evang. L. I, c. 2.) Ab eo tempore plerique viri docti utramque sententiam coniunxerunt, Marcum partim e Matthaei Evangelio, partim e Petri ore sua derivasse statuentes. Sed Patres ecclesiae de libris N. T. nihil certi rescivisse videntur, praeterquam quod hic ille liber in hac illave ecclesia inde ab antiquissimis temporibus receptus, publice praelectus, et huic illive auctori attributus fuerit; reliqua omnia, quae de tempore et loco scriptionis, occasione scribendi, consilio auctoris, fontibus quibus usus sit etc. tradunt, admodum incerta, interdum etiam fabulosa et ficta sunt. Ex recentioribus nonnulli, nominatim *Lardnerus* et *Michaelis* Matthaeum a Marco plane non fuisse lectum existimant. *Koppius* autem in Progr. Goetting. 1782. efficere studuit, Marcum non esse Matthaei epitomatorem. Quum autem inter utrumque Evangelistam magnus, non solum in rebus, sed in verbis etiam et phrasibus sit consensus, variae excogitatae sunt hypotheses, quibus tantae consonantiae origo et ratio explicaretur. Permulti hodie statuunt, utrumque usum esse Evangelio deperdito, lingua Syro-chaldaica scripto; de qua hypothesi quid nobis videatur, in Prolegomenis ad Matthaeum diximus. Alii commentarios de rebus ad Iesum Christum pertinentibus complures, breviores amplioresque, hebraice graeceque conscriptos, iam deperditos, extitisse putant, e quibus Matthaeus, Marcus et Lucas libros suos compilaverint. Hinc facile intelligi existimant, cur Marcus plerumque concinat cum Matthaeo, cur alter ab altero interdum dissentiat, et cur Marcus multa notatu dignissima, quae apud Matthaeum leguntur, omittat, contra vero nonnulla etiam a Matthaeo praetermissa habeat. Ubi nempe eadem eodem modo narrant, ex eodem fonte hausisse putantur; ubi

ubi autem vel omittendo, vel aliter rem narrando inter se discrepant, diversis usi esse auctoribus statuuntur. Singularis est sententia *Storrii*, existimantis, Marcum scripsisse Evangelium suum, eo iam tempore, quod Act. XI, 19—30. indicatur; post hunc Lucam commentarios suos exarasse et Marci librum diligenter consuluisse; denique Matthaeum etiam animum ad scribenda memorabilia Iesu Christi appulisse, et e Lucae Marcique libris in suum multa transtulisse. Vid. eius librum: *Ueber den Zweck der evangelischen Geschichte Iohannis.* §. 85. seqq. Cf. eiusdem *dissert. exeget. in libror. N. T. historic. aliquot loca*, p. 62. sqq. ubi disputat adversus GRIESBACHII sententiam qui (in II. Programatt. Ienensibus 1789 et 1790. insertis Commentatt. theolog. a *Velthusenio*, *Rupertio* et *Künoelio* editis Vol. I. p. 360. sqq.) *Marci Evangelium totum e Matthaei et Lucae commentariis decerptum esse*, censuit. Nobis, ut verum fateamur, bene monstrasse videtur GRIESBACHIUS, Marcum in conscribendo libro suo ante oculos positum habuisse non solum Matthaeum, sed et Lucam, atque ex his decerpsisse quicquid de rebus gestis, sermonibus et fatis Servatoris memoriae mandaret, ita tamen, ut Matthaeum quidem potissimum sequeretur, at interdum tamen, relicto Matthaeo, Lucae se adiungeret comitem. Rem in tabula adspiciendam exhibuit Vir doctus ex qua veluti oculis cernere licet, Marcum et Matthaei et Lucae volumina ad manus habentem, utraque perpetuo consulentem, ex utrisque quae suis lectoribus maxime profutura esse autumaret, decerpentem, mox Matthaeum mox Lucam paullulum e manibus seponentem semper vero ad eum ipsum utriuslibet locum, ubi divertere ab eo coepisset, redeuntem. Praeter nonnullas amplificationes paraphrasticas eorum, quae apud Matthaeum

et

et Lucam leguntur, et nonnullarum περιστάσεων additamenta, paucis vocabulis comprehensa, nihil addidit novi, *nisi commata viginti quatuor*, nempe tres *narratiunculas* de miraculis a Christo perpetratis, c. III, 7—12. VII, 32—37. et VIII, 22—26. atque *duas parabolas* c. IV, 26—29. XIII, 33—36. Quum Apostoli aliique Christiani in aedibus matris eius convenire solerent, multa, quae ad vitam Iesu spectant, ab iis, ipsaque matre comperire potuit. Falsae sunt subscriptiones singulis Evangeliis vulgo subiectae, quae Matthaeum octavo, Marcum decimo aut duodecimo, Lucam decimo quinto post reditum Christi in coelum anno scripsisse perhibent. Credibile est, quod Veteres tradunt, Marcum Evangelium suum scripsisse Romae, et in usum Christianorum Romanorum. Euseb. Hist. eccles. Lib. II, c. 15. Si enim Marcus Evangelium suum *Romanis* destinavit, caussam perspicimus, cur multa gesta Christi illustria et mirifica, multosque eius sermones praetermiserit, et praeter paucas περιστάσεις atque narratiunculas, iis quae Matthaeus et Lucas consignarunt, nihil addiderit novi. Voluit nempe seligere ea, quae iis quibus scribebat hominibus utilissima essent, eaque ita narrare, ut talibus hominibus narrari deberent. Hinc omisit multa apud Matthaeum, vel Lucam obvia, ad solos Iudaeos et inprimis Palaestinenses spectantia, et hominibus a Palaestina remotis minus cognita, vel scitu non admodum necessaria, vel Iudaeorum cogitandi modo accommodata; v. c. Matth. V. VI, VII, XVI, 2. 3. XIX, 28. Luc. IV, 16—30. XXIII, 28—32. parcior fuit in allegandis V. T. dictis; e. g. Matth. IV, 14. sqq. XII, 17—21. XIII, 14. 15. addidit illustrationis caussa, quae suis lectoribus ad rectius intelligendam narrationem vel necessaria vel utilia putaret; e. c. Marc. VII, 2. 3. 4. 8. 11. XI, 13. XII, 42.

usus

usus est interdum vocibus Latinis, ad rem militarem spectantibus: e. c. σπεκȣλάτωρ, Marc. VI, 27. κεντυρίων, c. XV, 39. 44. 45. σύσσημον, c. XIV, 44. Denique, ut alia taceam, Genealogiam Christi totam silentio praetermisit, quia discipulis Romae ex gentibus ad Christum conversis ad auctoritatem Christo conciliandam satis erat, ut scirent, ipsum esse filium Dei unigenitum, qui titulus omnibus est augustior atque divinior: neque multum attinebat ipsis praeterea narrare, ipsum ex prosapia inter Iudaeos honorata atque nobili prognatum fuisse, ut recte *Wetstenius* observavit. *Graece* Marcum scripsisse, omnes Veteres testantur, nec audiendi sunt, qui post *Baronium* statuerunt, eum latine scripsisse. Vid. R. SIMON *historia critica textus N. T.* c. XI. Fabulae sunt, quae de Marci Evangelio latino Avtographo Venetiis asservato, narrari solent. Fuit enim codex iste Venetianus pars Foroiuliensis, maximam partem a *Blanchino* in Evangelistario quadruplici editi. Evangelii Marci 40. folia Venetiis, reliqua 20. folia eiusdem codicis Pragae asservantur, iam typis expressa, sub titulo: *Fragmentum Pragense Evangelii S. Marci vulgo avtographi.* Edidit lectionesque variantes critice recensuit *Iosephus Dobrowsky*, Clericus Ecclesiasticus. Pragae 1778.

CAP. I.

1. Ἀρχὴ τȣ̃ ἐυαγγελίȣ I. X.) Sc. ἤδε. *Initium historiae Iesu Christi* est hoc. Sic *Herodotus*: Ἡροδότȣ, Ἁλικαρνασσῆος ἱςορίας ἀπόδειξις ἥδε. Ἐυαγγέλιον I. X. potest etiam esse τὸ κήρυγμα περὶ τȣ̃ Ἰησȣ̃. Tum ἀρχὴ τȣ̃ ἐυ. I. X. erit *initium* laeti nuncii s. *praeconii de Iesu*; quam interpretationem nunc praefero. Referuntur haec

verba non ad totum librum, sed ad munus Ioannis Baptistae, de quo deinceps usque ad v. 8. vel 13. exponitur, et a quo Marcus initium Evangelii repetit, a quo Lucas etiam diserte promulgationem salutaris doctrinae derivat, c. XVI, 16. Cf. Io. I, 15. Integra duo priora capita Matthaei omisit Marcus, quia res a Christo, tanquam doctore publico gestas, enarrare tantum voluit. *υἱοῦ τοῦ Θεοῦ*) Hoc in ipso exordio praefatur *Marcus*, tanti cognominis veritatem sequentium rerum magnitudine probaturus. *Filius Dei* est nomen Messiae hic et aliis locis, ubi de Iesu est sermo, ut Matth. XVI, 16. XXVI, 63. Luc. XXII, 67. etc.

2. 3. 4. Elegans ὑστερολογία est in his tribus commatibus. Initium enim Evangelii a Ioanne deducturum se promittit; quem Evangelii, ut praecursorem, ita quasi initium fuisse, quemadmodum praedictum iam de eo esset, iis nempe locis quos adducit. Ordo igitur: Ἀρχὴ τοῦ εὐαγγελίου Ἰησοῦ χριστοῦ, υἱοῦ τοῦ Θεοῦ. Ἐγένετο Ἰωάννης βαπτίζων ἐν τῇ ἐρήμῳ, καὶ κηρύσσων βάπτισμα μετανοίας εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. ὡς γέγραπται ἐν τοῖς προφήταις, ἰδοὺ ἐγὼ ἀποστέλλω etc. item φωνὴ βοῶντος etc. deinde καὶ ἐξεπορεύετο etc. Illud ὡς γέγραπται ἐν τοῖς προφήταις, nihil aliud est, quam: κατὰ τὸ γεγραμμένον ὑπὸ τῶν προφητῶν. Alii v. 2. et 3. uncis includunt, ut initium commatis 4. cohaereat cum v. 1. Vid. *Bowyeri* coniecturas, ad h. l. Alii absque parenthesi v. 4. ante ἐγένετο supplent ἔτω, quod post ὡς (v. 2.) saepe reticetur. Mens est haec: *Initium Evangelii Iesu Christi filii Dei hoc est: Quemadmodum ante a prophetis scriptum fuit: Ecce ego mitto nuncium meum ante faciem tuam, qui praeparabit viam tuam coram te; item, Vox clamantis in deserto: praeparate viam Domini, complanate semitas eius: ita et revera evenit. Fuit enim in deserto*

to ac baptizavit Ioannes. Testimonium de Iesaia c. XL, 3. et Malachia c. III, 1. contextum est. Sed pro: ἐν τοῖς προφήταις alii legunt: ἐν Ἡσαΐα τῷ προφήτῃ, quae lectio omnino praeferenda videtur; eam enim non tantum vetusti codices, sed etiam versiones antiquissimae, Syriaca, latina, coptica et armena exhibent, quanquam verba v. 2. non extant apud Iesaiam, sed potius Malach. III, 1. Fortassis eam ob caussam Malachiam nominare insuper habuit Marcus, quod Iesaiae auctoritas esset illustrior, nec quicquam esset in verbis Malachiae, cuius non sententia etiam apud Iesaiam extaret. Notum est praeterea, Iesaiae locum aliquoties in eadem re laudatum esse in N. T. addito etiam Iesaiae nomine, Matth. III, 3. Luc. III, 4. Io, I, 23. Si igitur Marcus volumina Matthaei et Lucae ad manus habuit, facile fieri potuit, ut exemplo eorum Iesaiam tantum nominaret, oblitus se v. 2. locum ex Malachia attulisse. Digna sunt lectu, quae *Michaelis* ad h. l. observavit. Cf. PAULUS ad h. l. κηρύσσων — ἁμαρτιῶν) *Publice professus est, initiandos esses homines baptismo ad poenitentiam, qua remissio peccatorum impetretur.* Βάπτισμα μετανοίας, baptisma, quo ii, qui eo utuntur mentis et vitae emendationem spondent. Εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, *ut remissionem peccatorum accipiant.* Εἰς finem indicat. Reliqua verba explicavimus Matth. III, 1—3. ut et sequentia, quae repetere nolumus.

9. Εἰς τὸν Ἰορδάνην) Quidam εἰς hic positum esse pro ἐν enallage Scriptoribus cum Sacris, tum profanis usitatissima, existimant; aliis autem haec loquendi ratio ex Graecismo paullo elegantiori exponenda videtur, ut dictum sit pro: κατέβη εἰς τὸν Ἰορδάνην, ἵνα βαπτισθῇ, quam interpretationem Krebsius nonnullis locis confirmat.

10. Καὶ εὐθέως ἀναβαίνων, pro: ἀναβαίνοντος αὐτοῦ, *quum escendisset* e fluvio nempe Iesus. Marcus habet hoc singulare, ut adverbio εὐθέως saepe pleonastice utatur. Εἶδε, sc. Ioannes. Σχιζομένας) *Matthaeus* dixerat: ἀνεῴχθησαν αὐτῷ οἱ οὐρανοί, Sed *Marcus* modum, quo visum est aperiri coelum, expressit, non sensim, sed uno impetu, ut ea, quae scinduntur: *vidit scindi nubes, daſs die Wolken sich zertheilten, der Himmel sich aufklärte.* Sic *Horat.* Carm. IV, 14. *Pleiadum choro scindente nubes. Virgil.* Aeneid. IX, 20. *video medium discedere coelum.*

12. Ἐβάλλει) Haec vox pro ἄγειν ponitur Ioan. X, 4. Sed simplicior expositio est, *iubet discedere.* cf. Matth. IX, 25. et infra h. cap com. 43.

13. Μετὰ τῶν θηρίων) Hoc adiecit Marcus, ut significaret, non quamvis, sed desertissimam fuisse hanc solitudinem.

15. Πεπλήρωται ὁ καιρὸς) *Iam adest tempus.* Constat nempe, πληροῦσθαι in sacris litteris saepissime de tempore ita usurpari, ut id *adesse, advenisse*, significet, ad imitationem hebraici מָלֵא. Connectuntur autem haec cum sequentibus: καὶ ἤγγικεν ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ, *quo inchoatur regnum Dei.* Quid hoc sit, dictum est Matth. III, 2. ut etiam de significatione verbi μετανοεῖν. Πιστεύετε ἐν τῷ εὐαγγελίῳ, *confidite in hoc laeto nuncio*; confidite, vera esse quae vobis nunciantur de regno Messiae. Ἐν et εἰς post πιστεύειν eodem sensu usurpant Alexandrini. Πιστεύειν ἐν τινι, sicut hebr. הֶאֱמִין cum ב constructum, est, *in aliquo fiduciam ponere.* Ita πιστευειν τῷ εὐαγγελίῳ est credere, *vera esse quae dicebantur*; sed πιστεύειν εἰς τὸ εὐαγγέλιον, sive

ἐν

ἐν τῷ εὐαγγελίῳ est *in ea annunciatione fiduciam suam collocare*, rem illam firmiter et cum animi fiducia credere. Ad v. 16—20. vid. Notata ad Matth. IV, 18. sqq.

21. Marcus hic, (ut recte observat Griesbachius in Commentatione supra laudata) ad Matth. IV, 21. progressus, seponit Matthaeum et transit ad Lucam, (vid. Luc. IV, 31—44.) quoniam orationem Christi in monte habitam praeterire decreverat. Nimis enim verbosa videbatur ei, exiguum libellum scripturo, et multa praeterea complectitur, quae proxime ad eos tantum homines pertinebant, qui Christum coram in monte loquentem audirent. Omisit etiam ea, quae extant Luc. IV, 15—30. nempe sermonem in synagoga Nazarethana habitam, accommodationem loci Iesaiae, et exempla ex historia Eliae et Elisaei petita, quibus omnibus Marcus suos lectores facile carere posse censebat. τοῖς σάββασιν) *Sabbato*, ut Syrus et Latinus habent, vel singulis Sabbatis.

22. Ὡς ἐξουσίαν ἔχων) *ut auctoritate praeditus.* Luc. IV, 32. ὅτι ἐν ἐξουσίᾳ ἦν ὁ λόγος αὐτοῦ, *institutio eius erat efficax*, ut nempe animum vehementer commoveret. Matth. VII, 29.

23. Ἄνθρωπος ἐν πνεύματι ἀκαθάρτῳ) *Homo cum spiritu impuro*, i. e. habens impurum spiritum ut Lucas loquitur. Cf. annotata ad Matth. IV, 24. Ἀνέκραξε, ut insanientes solent. Habuit homo iste sua intervalla. Si enim perpetuo fuisset furibundus, non fuisset admissus in Synagogam.

24. Ἐα—καὶ σοί) *Hem, quid est, quo te offenderimus?* Hebraica phrasis. 1 Reg. XVII, 18. Ἐα est hebraeum הֵאח, *ah, hem*, ὁ ἅγιος τοῦ Θεοῦ) *Messias*, Danieli cap. IX, 24. dictus קֹדֶשׁ קָדָשִׁים, interprete etiam

Abe-

Abenesra. Sed sanctus Dei est etiam quivis homo consecratus ministerio Dei, adeoque legatus divinus, minister Dei. Sic prophetae ἅγιοι Θεοῦ ἄνθρωποι dicuntur 2 Petr. I, 21. quia ministerio Dei omnem vitam suam consecrabant. Ceterum sunt haec verba furiosi hominis, metuentis sibi a Iesu, ne perdat eum, i. e, ne morbum illum tollat.

26. Καὶ σπαράξαν — ἐξ αὐτοῦ) *Tum impurus ille daemon, quum vehementer concussisset hominem, magno cum clamore exiit ex eo.* Verbum σπαράττειν non semper est *discerpere, lacerare*, ut Lexicographi tradunt, sed interdum quoque *vehementer concutere* et *commovere.* Sic non solum Alexandrini interpretes utuntur pro Hebraeorum גָּעַשׁ et הָמַם, ut Ierem. IV, 19. sed etiam *Philo*, cuius locum *Loesnerus* laudat. Et σπαραγμὸν inter alia Graeci usurpant pro convulsione, quae σπασμός alioqui frequentius dicitur. Solent autem daemoniaci inprimis epileptici nervorum convulsiones perpeti, quas sequitur oris despumatio Luc. IX, 39.

27. Καὶ ἐθαμβήθησαν — καινὴ αὕτη;) *Et obstupefacti sunt omnes, ita ut inter se quaererent, quid hoc sibi vellet, qualisnam esset nova haec doctrina?* συζητεῖν h. l. est hominum attonitorum, qui mutuo sese rogitant et interpellant. Hunc locum esse corruptum, et lectionem nativam difficulter ad liquidum perduci posse, plerique Critici hodie fatentur. Verba τί ἐστι τοῦτο absunt non tantum a vetustissimis occidentalibus, sed etiam a versionibus arabicis et armenica, et ab Evangelistariis nonnullis; contra vero nullus extat codex, nec ulla versio, quin mentionem faciat τῆς διδαχῆς. Griesbachius in Commentario critico ad h. locum coniicit, omisso: τί ἐστι τοῦτο, reti-

retinendum esse in textu: τίς ἡ διδαχὴ κ. τ. λ. Paulus verba: τίς ἡ διδαχὴ ἡ καινὴ αὕτη, ut a scopo orationis aliena, pro glossemate habet. Lucas habet: τίς ὁ λόγος ἔστος; מִי הַדָּבָר הַזֶּה, *quid hoc est rei?* quod Marcus expressit τί ἔστι τοῦτο; deinde suspicans, דָּבָר significare posse etiam *doctrinam*, haec verba addit. Cf. Eichhorn Bibl. d. bibl. Litter. V. p. 693. ὅτι - αὐτῷ) *magna enim auctoritate impuris daemonibus ita imperat, ut ei* (statim) *morem gerant* Κατ' ἐξουσίαν, pro potestate, pro imperio, i. e. tanquam potestatem et imperium habens. Solebant quidam Iudaei exorcistae invocatione quadam divini nominis fugare daemones; sed nemo ante hoc tempus id fecerat pro imperio, ut Christus. Quum ergo viderent, Iesum esse patratorem miraculorum, cogitabant: Qualis est haec nova docendi ratio? Non possumus eius doctrinam repudiare.

28. Ἡ ἀκοὴ αὐτοῦ, *fama de eo.* Lucas cap. IV, 37. ἦχος περὶ αὐτοῦ. Vid. dicta ad Matth IV, 24.

29. Ad hunc et sequentes versus cf. Matth. VIII, 14. s. Adverbium εὐθέως hic significat *mox*, comm. 30. et 31. *statim*, *subito*.

32. Ὅτε ἔδυ ὁ ἥλιος) *Sole occidente.* Dicuntur δύεσθαι quae aquam subeunt; ut appareat hoc dicendi genus profectum ex vulgi opinione, qui solem mergi putabat oceano. Ceterum Iudaeos religio tenebat, quo minus ante exitum sabbati aegrotos suos afferrent. Cf. comm. 21. 29. καὶ τοὺς δαιμον. *Inprimis* a daemonibus vexatos.

34. Ἤφι·) *permisit*, Aorist. 2. ut docet Sylburg in notis ad Clenard. p. 468. verbi ἀφίω. *Grotius* coniicit legendum ἤφιεν, quia ista vox alibi non occurrit. Observat tamen *Schwarzius* in Commentariis linguae graecae

N.

N.T. augmentum hoc et formam flectendi ab *ἵέω* occurrere etiam in Imperfecto apud Philostratum Vita Apollon. IV, cap. 20.

35. Καὶ πρωὶ ἔννυχον λίαν) *Noctu, sed quum dies instaret*, quo Lucas c. IV, 42. dicit γενομένης ἡμέρας. Nam vox ista γενομένης modo iam exactum, modo praesens, modo imminens tempus significat.

36. Κατεδίωξαν) *prosecuti sunt.* Καταδιώκειν non semper significat persequi fugientem animo laedendi, sed etiam *insequi*, ardenter sequi. Οἱ μετ' αὐτῆ, *collegae eius*, reliqui discipuli. Lucas c. IV, 42. praetermisit hanc περίστασιν, sed v. 37. pro πάντες habet οἱ ὄχλοι.

38. Ἀγωμεν εἰς τὰς ἐχομένας κωμοπόλεις) *Pergamus ad vicinos vicos.* Ἄγειν, *ducere;* h. l. autem, ut saepius, *abire.* Κωμόπολις est *vicus magnus, muris carens, vicus oppidi aemulus*, ex κώμη et πόλις. Notio autem τῆ ἐχόμενος pro *vicinus, propinquus* apud optimos scriptores non raro reperitur. Nam ἔχεσθαι τινος significat *instare, adhaerere.* Sic apud Iosephum est ἡ ἐχομένη ἑορτάσιμος, sequens dies festus; τῷ ἐχομένῳ ἔτει, *anno sequenti;* ἐχόμεναι πόλεις, *proximae urbes.* εἰς τοῦτο γὰρ ἐξελήλυθα) Patris missu; ἀπέσταλμαι, ut *Lucas* habet. Mandatum acceperat, omnibus in Palaestinae Iudaeis doctrinam suam promulgandi. ἐν ταῖς συναγωγαῖς αὐτῶν) sc. τῶν κωμοπόλεων. Nam et in maioribus vicis, qui ad oppidorum accedebant magnitudinem, synagogae erant.

39. Ἐν ταῖς συναγωγαῖς) Verior lectio est: εἰς τὰς συναγωγάς. Sed εἰς hic etiam, et saepissime positum est pro ἐν. Sic etiam statim εἰς ὅλην τὴν γαλιλαίαν pro ἐν ὅλῃ γαλ. Marcus omittit quae nunc apud Lucam c. V, 1—11. leguntur, quia iam v. 16—20. praecesserat narratio

e Matthaeo ducta, huic, quam Lucas habet, haud absilis. A commate 40. usque c. III, 6. Marcus quoad narrationis ordinem secutus est Lucam, c. V, 12. usque ad c. VI, 11. ita tamen, ut Matthaeum simul, ubi hic eadem cum Luca traderet, semper conferret.

40. Vide ad hunc et sequentes versus notata a nobis Matth. VIII, 2. sqq

43. Ἐμβριμησάμενος αὐτῷ) *Serio interminatus est ei*, i. e. gravioribus et severioribus verbis interdixit ei, ne quicquam de hac re aliis diceret. Vid. notata ad Matth. VIII, 4. ἐνθέως ἐξέβαλεν αὐτὸν) *Statim dimisit eum*, cum festinatione abire eum iussit. De hac verbi ἐκβάλλειν significatione vid. Matth. IX, 38.

45. Τὸν λόγον) *Rem.* Respondet enim hebraeo דָּבָר, quod non tantum *verbum*, sed et *rem* significat. ὥστε — εἰσελθεῖν) Μὴ δύνασθαι h. l. non simpliciter ἀδύνατον significat, sed id, quod secundum naturae ordinem multum incommodi habet ac difficultatis. Nam turbae affluxu premabatur Iesus in locis angustioribus.

CAP. II.

1. Δι' ἡμερῶν) *Post aliquot dies*; nam deest more hebraeo τινων, et δια, valet *post*; quo sensu etiam apud Philonem haud raro occurrit. Καὶ ἠκάσθη — ἐστι) *Et quum auditum* s. cognitum *esset eum in domo esse*. Εἰς οἶκον, i. e. ἐν οἴκῳ. Videtur Iesus latenter intrasse urbem, et eam, quam ibi conduxerat domum. At vix intraverat urbem, quum fama de eius adventu percrebesceret,

2. Ὥστε μηκέτι χωρεῖν μηδὲ τὰ πρὸς τὴν θύραν) *Adeo ut iam ne vestibulum quidem eos caperet.* Nam τὰ πρὸς τὴν θύραν, sc. μέρη, loca, quae sunt ad ostium

Grae-

Graecis dicuntur τὸ πρόθυρον. χωρεῖν, *capere*. τὸν λόγον) cum articulo, ut intelligatur Verbum Dei κατ' ἐξοχήν, ut ἡ γραφή. *Proponebat illis doctrinam coelestem.* Ad sequentia cf. Matth. IX, 2. sqq.

4. Ἀπεξέγαταν τὴν στέγην) *Detexerunt tectum*; quod facile potuit fieri, si in porticu vestibuli scalae erant, quibus in tectum ascendi poterat. In Orientis regionibus domos ita aedificari solitas, testantur Rabbini, quod hodie etiam fieri *Schawius* testis oculatus confirmat. Vid. *Fabri Archaeol.* p. 423. *Michaelis* ad h. l. χαλῶσι) *demiserunt (funibus.)* Est praesens pro praeterito, quae enallage narrationibus convenit, et Marco est familiaris. Versio Gothica: *funibus ligabant lectum.* Recte. τὸν κράββατον) κράββατος, (vox latina) est lectulus. Graecis vocabulum putatur minus elegans, pro hoc enim dicunt σκίμπας et ἀσκάντης.

5. Σοί αἱ ἁμαρτίαι σου) Codd. nonnulli et antiquiores et recentiores habent σου αἱ ἁμαρτίαι.

7. Τίς δύναται — ὁ θεὸς) i. e. nemo potest remittere peccata nisi Deus. Uberius explicat Marcus, quod Matthaeus dictum a legisperitis refert: ἔτος βλασφημεῖ. Habebant nempe Iesum pro mero homine, et argumentabantur: Nunquam Deus potestatem et ius remittendi peccata cuiquam hominum concessit; ergo concedere non potest. Non habuerunt hoc ius prophetae: ergo nec habebit Messias.

8. Τῷ πνεύματι αὐτοῦ) h. l. abundat. Cf. Matth. XI, 4. et Luc. V, 22. *Animo perspicere* vel *praesagire* Latini etiam dicunt. Ad sequentia cf. Matth. IX, 5—8.

14. Καὶ παράγων) *Et transiens.* Quum ad partes maritimas iret Iesus, exeundum illi fuit per portam Capharnaumi maritimam, apud quam haud dubie fuit vectigalarium,

larium, quum domus publicani esset in media urbe. Λευὶν τὸν τοῦ ἀλφαίου) Per hunc *Levi*, Alphaei filium, Matthaeum indicari (vid. Matth. IX, 9.) plerorumque interpretum est sententia, quae mihi etiam placet. Sed nonnulli codices, et cum iis *Victor Antiochenus* in suis ad Marcum commentariis ineditis, citatus inter ceteros a *Cotelerio* ad Constit. Apost. T. I. p. 109, et *Millio*, legunt: εἶδε Ἰάκωβον τὸν τοῦ ἀλφαίου. Qui Levin a Matthaeo distinguendum esse censent, vix ac ne vix quidem definire poterunt, quis iste fuerit? Varias coniecturas vid. apud *Wolfium in curis*, et cf. *Michaelis* ad h. l. qui Levin unum ex LXX discipulis, non ex duodecim Apostolis, et patrem eius diversum fuisse ab eo, cuius mentio fit Matth. X, 3. Marc. III, 18. Luc. VI, 15. Act. I, 13. arbitratur. ἐπὶ τὸ τελώνιον) ubi portorium, seu vectigal portus solvebatur, com. 13. Cf. Matth. IX, 9. seqq.

15. Ἦσαν γὰρ πολλοὶ, καὶ ἠκολούθησαν αὐτῷ, *multi enim erunt, qui eum secuti fuerant.* Sic καὶ occurrit Matth. XIII, 41. XX, 18. et aliis locis.

16. Ἰδόντες αὐτὸν ἐσθίοντα) Quum intelligerent, Iesum cum publicanis cibum sumere; neque enim aderant. τί) *Quid hoc rei est?* Ad v. 17. cf. Matth. IX, 12. 13.

18. Καὶ ἦσαν — οὐ νηστεύουσι;) *Tum discipuli* (nonnulli) *Ioannis et Pharisaeorum, qui ieiunia servare solebant, ad eum accedunt, quaerentes: Cur, quum discipuli Ioannis et Pharisaeorum ieiunare soleant, discipuli tui non ieiunant?* Sic vertendum est hoc comma. Ἦσαν νηστεύοντες, saepius solebant ieiunare. Non enim agitur hic de aliquo definito tempore, sed de eo, quod fiebat saepius. Ieiunabant die secundo et quinto; *quinto* quidem, quia illo Moses montem Sinai conscendit, *secundo* autem, quia eo ex illo descendit. *Babyl. Bava Kama*

fol.

fol. 82. Hoc notat Marcus, quia scripsit Romanis, quibus Iudaeorum instituta erant ignota. *οἱ δὲ σοὶ μαθηταὶ ἢ νηστεύουσι*) *οἱ σοὶ* (sc. *ὄντες*) *μαθηταὶ*. Dativus enim, qui pendet a subintellecto Substantivo, saepissime ab optimo quoque scriptore ita ponitur, ut Genitivi vicem sustineat, e. g. apud auctorem argumenti Pluti Aristophanici, *ὁ τῷ χρεμύλῳ θεράπων*, *qui servus est Chremylo*, *sive Chremyli*.

19. Ἐν ᾧ) sc. *χρόνῳ*, quae illipsis est Graecis in hoc dicendi genere familiaris. *ὅσον χρόνον μεθ' ἑαυτῶν ἔχουσι τὸν νυμφίον, οὐ δύνανται νηστεύειν*) Hoc addidit *Marcus*, ut significaret, interrogationem vim habere negandi. Quare et Syrus hic praeter nudam negationem nihil posuit. *Δύνανται* hic, non quid fieri omnino possit, sed quid conveniat, significat: quod et alibi occurrit. Cf. Matth. IX, 15. sqq. Luc. V, 34. sqq.

23. *Παραπορεύεσθαι διὰ τῶν σπορίμων*) *Quum praeteriret segetes*, *iuxta agros frugibus consitos ambularet*. Male reddunt multi: Quum transiret *per* sata, s. agros frugibus consitos. Nam hoc sine damno possessorum fieri non potuisset, nec Christus adeo discipulis suis id concessurus fuisset. Et Marcus, si id indicare voluisset, haud dubie scriptoris erat: *διὰ μέσου τῶν σπορίμων*. *Καὶ ἤρξαντο οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ ὁδὸν ποιεῖν τίλλοντες τοὺς στάχυας*) *Discipulis eius ambulando spicas evellebant*. *ἄρχεσθαι* ut Hebraicum חָחַל saepe redundat. *Ὁδὸν ποιεῖν* est pro *ὁδοποιεῖν*, unico verbo, ut legit Theophylactus, vel *ποιεῖσθαι ὁδόν*. Formarum enim *ὁδὸν ποιεῖν* et *ποιεῖσθαι* perpetua differentia haec est, ut *ὁδὸν ποιεῖν sit viam parare*, *sternere*, *ὁδὸν ποιεῖσθαι* autem sit *viam ingredi*, *iter facere*. Tenendum autem, non tantum ab Alexandrinis interpretibus, sed etiam a recentioribus scrip-

scriptoribus illud Activi et Medii discrimen in exprimendo verbo פָּרַשׂ fere negligi. Sensus non esse potest, discipulos viam sibi parare ac sternere coepisse evellendis spicis; id enim sine ullo dierum discrimine omnino facere non licebat; sed ambulando evulsisse spicas; nam paullo post discipuli dicuntur a Pharisaeis reprehensi fuisse, tanquam ob aliquod factum, quod tantum sabbato licitum non esset.

25. Ὅτε χρείαν ἔσχε) sc. *cibo*. Addidit hoc consulto Marcus, ut speciale exemplum ad generalem referret regulam, quae haec est: leges rituales vim obligandi amittere, ubi satis gravis urget necessitas. Matth. XII, 3. seqq.

26. Ἐπὶ Ἀβιάθαρ) *Tempore Abiatharis*, s. in eius conspectu. 1 Sam. XXI, 2. Pontifex ipse vocatur *Achimelech*, qui pater fuit *Abiatharis*. Hunc nodum nonnulli ita solvere volunt, ut dicant, τῷ ἀρχιερέως h. l. positum esse pro: τῷ ὕστερον ἀρχιερέως. Alii τὸ ἐπὶ eo sensu accipiunt, quo habemus 1 Tim. V, 19. ut sensus sit, *praesente, et factum probante Abiathare*, qui paulo post Patri suo, per Doegum occiso, in dignitate Pontificis maximi successit. Sic ἐπὶ μαρτύρων, *praesentibus testibus* est apud *Aelianum*; ἐπὶ τῷ βασιλέως, *rege praesente*, apud *Diodor. Sic.* ut Wetstenius observat. Vid. Bowyeri coniect. ad h. l. *Michaelis* (introduct. in Libros N. F. Part. I. p. 134. edit. tertiae) ex Rabbinico Libros V. T. citandi more explicat, ut verborum ἐπὶ Ἀβιάθαρ is sit sensus: *In ea parte librorum Samuelis, quae historiam Abiatharis continet.* Praeferenda esset sine dubio haec explicatio, si *Marcus* addidisset verbum γέγραπται, vel λέγει ἡ γραφή, ut Rom. XI, 2.

27.

27. Τὸ σάββατον διὰ τὸν ἄνθρωπον ἐγένετο.) Sabbatum est institutum, ut homo se recreet; homo vero non ideo est creatus, ut quolibet septimo die anxie cesset ab omni labore. Quum haec sit Sabbati natura, sequitur verum esse quod v. 28. additur, in Messiae potestate positum esse, hominem necessitate sabbati servandi solvere. Cf. Matth. XII, 6. sqq.

CAP. III.

1. Ἐξηραμμένην ἔχων τὴν χεῖρα.) *Cui altera manus contabuerat.* Verbum ξηραίνεσθαι de iis hominibus usurpatur, in quibus succus vitalis, seu humidum radicale et naturale deficit. *Ξηραὶ* sunt *aridi, die ganz verdorret und vertrocknet sind.* Medici hunc morbum ἀτροφίαν vocant. Matth. XII, 9. sqq.

2. Παρετήρουν αὐτόν.) Verbum hoc παρατηρεῖν denotat *curiose et sollicite observare*, idque *bono* vel *malo* animo. Deinde autem *clam et insidiose observare quid alter agat, animo infesto, et ad nocendum parato.* Sic ἐπιτηρεῖν est apud Philonem de Legat. ad Caium: ἐπετήρουν, μὴ τὶς ὑπεξέλθοι λαθών, observabant, nequis clanculum exiret.

3. Ἔγειραι εἰς τὸ μέσον.) Ut vel ipse adspectus hominis dura corda emolliret. Pro ἔγειραι vetustissimi optimique codices habent ἔγειρε, ubi supplendum est ἑαυτὸν, *siste te.*

4. Ψυχὴν σῶσαι, ἢ ἀποκτεῖναι;) *Vivam creaturam servare, an trucidare?* Nam ψυχὴ, נֶפֶשׁ, saepe est *creatura.*

5. Καὶ περιβλεψάμενος — καρδίας αὐτῶν.) *Ac circumspiciens eos vultu severo, dolens eorum animi coe-*

cuecitatem, (alienissimi a sensu veri rectique.) συλλυπέμενος non potest accipi pro συμπάσχειν, sicut apud Latinos condolere et condolescere dicuntur, qui aliorum dolore ad commiserationem commoventur. Nec enim isti obdurati suam vicem dolebant, sed adversus Christum frendebant. Significatur ergo hoc verbo, Christum fuisse quidem graviter illorum desperata improbitate offensum, sed ita, ut eorum etiam misereretur. Docet exemplo suo Christus, ita irascendum peccatis, ut simul peccantium nos misereat. ἐπὶ τῇ πωρώσει) Significatur πώρᾳ nomine *duritiem calli*, vel quiddam etiam durius, ossis instar. Transfertur deinde πώρωσις ad animum, de *contumacibus*, quorum animus adeo occalescere solet et obdurescere, ut salutari deinde doctrinae nullus sit locus. ὑγιὴς ὡς ἡ ἄλλη) Adiecta sunt haec verba interpretamenti loco ex Matthaeo; desunt enim in plurimis Codd. et Verss.

6. Καὶ ἐξελθόντες — ἀπολέσωσι) *Et egressi Pharisaei (e* Synagoga*) statim cum Herodis aulicis consilia de eo perdendo capiebant.* Cum Herodis ministris consilia capiebant Pharisaei, qui Hierosolymis nempe advenerant; sed *extra Iudaeam* nihil poterant moliri adversus hominem in Herodis ditione viventem, inscio et invito magistratu.

7. Καὶ ὁ Ἰησοῦς — ἠκολούθησαν αὐτῷ) *Iesus autem cum discipulis suis secessit ad mare; nam secuta erat ei ingens hominum turba e Galilaea* etc. Secessit Iesus, ob insidias vitae suae structas. Lectio εἰς, quam codices nonnulli exhibent, quia est difficilior, omnino praeferenda est. Significat autem πρὸς. Ceterum hic locus v. 6. 7. parallelus est Matthaei XII, 14. 15. Quae autem sequuntur usque ad v. 12. uberius et fere παραφραστικῶς, additis pluribus circumstantiis exprimunt commata

Mat-

Matthaei XII, 15. 16. Locum vero prophetae citatum Matth. XII, 17—21. consulto omisit Marcus.

8. Καὶ ἀπὸ τῆς Ἰδουμαίας) Quae iis temporibus cum Iudaeis religionis societate iungebantur, ut ex *Iosepho* apparet. Vid. eius antiquitt. Lib. XIII, c. 9. §. 1. Καὶ οἱ περὶ Τύρον καὶ Σιδῶνα) Videntur iudicari, non Tyrii et Sidonii, sed Iudaei habitantes oram maritimam in confinio Tyri et Sidonis, quae παράλιος Τύρε καὶ Σιδῶνος dici videtur Luc. VI, 17.

9. Προσκαρτερῇ αὐτῷ) *praesto sit ipsi.* Significat enim προσκαρτερεῖν, cum Dativo constructum, in re aliqua, aut apud aliquem ita perseverare, ut semper praesto sis. Ἵνα — αὐτὸν) *Ne eum premerent.*

10. Ὥστε ἐπιπίπτειν αὐτῷ) *Ita ut eum urgerent*, obtunderent. ἐπιπίπτειν τινὶ est, *amplecti, occurrere, incidere*, vel *amanter*, vel *hostiliter*, apud Philonem. Est etiam *ingruere, irruere, adoriri*, apud eundem. μάστιγας) μάστιξ, *flagellum*, metonym. *morbum*, a Deo inflictum, et quidem malum gravius significare videtur; nam bis infra Marcus distinguit νόσους καὶ μάστιγας, ut et Lucas c. VII, 21.

11. Τὰ πνεύματα τὰ ἀκάθαρτα) Ii, qui exagitabantur impuris spiritibus, correpti ab illis, ut recte hic notavit Camerarius. Patet hoc ex additis verbis προσέπιπτεν αὐτῷ, *prostraverunt se ad pedes eius.* Cf. supra I, 24.

13. Marcus, delatus in Matth. XII, 22. iterum redit ad Lucam, quem hucusque tanquam ducem suum secutus erat, et pergit adhuc a commate 13—19. in transscribendis iis, quae Lucas c. VI, 12—16. de Apostolorum delectu et nominibus tradit, quae Matthaeus quidem alio loco (c. X, 2—4.) sed a Marco praetermisso, anticipaverat. ἀναβαίνει εἰς τὸ ὄρος) Ut solebat, quoties precari patrem attentius in-

instituerat. Cf. Luc. VI, 12. προσκαλεῖται, ἃς ἤθελεν αὐτὸς) Ex omnium se sectantium numero, (multos enim iam tum habuit discipulos,) perpetuos sibi comites duodecim adsciscit, non qui volebant, sed quos volebat ipse. Cf. Eph. I, 1. Ioan. XV, 16.

14. Καὶ ἐποίησε δώδεκα ἵνα ὦσι μετ' αὐτοῦ) *Constituit duodecim, qui eum perpetuo comitarentur.* Ποιεῖν h. l. est *constituere.* Ita עָשָׂה tum alibi, tum 1 Sam. XII, 6. sumitur, ubi LXX. vertunt: ὁ ποιήσας, i. e. ὁ κατασήσας Μωσῆν καὶ Ἀαρών. ἵνα ἀποστέλλῃ) *Ut eos mitteret,* quum commodum videtur. Id enim post aliquanto accidit. De vocabuli ἀπόστολος vi et potestate vid. Matthaei X, 2.

15. Καὶ ἔχειν) Repetendum ἀπὸ τοῦ ποιῆσαι verbum ἀποστέλλῃ, et vertendum: eosque mitteret, ut praedicarent et potestatem haberent sanandi morbos etc.

16. Καὶ ἐπέθηκε) Praefert Beza: πρῶτον σίμωνα. Sic habent duo Codd. iuniores. Sed videtur haec lectio desumta esse e Matth. X, 2.

17. Βοανεργὲς) *Tonantes.* Ex בְּנֵי et רַעַשׁ, vel etiam רְנַשׁ, *tonitru.* Prior huius vocabuli pars est בְּנֵי, sed laxius pronuntiata syllaba prima, eo sono qui inter o et a est medius. *Iudaei,* observante *Hugone Brugthono,* in hunc usque diem Schva per *oa* exprimunt, ut *Noabhiim,* pro *Nebhiim.* Explicationem *Marcus* statim addit: υἱοὶ βροντῆς, *tonantes;* nam vox υἱοὶ, hebr. בְּנֵי ex Hebraismo satis noto est explicanda. Nimirum υἱοὶ βροντῆς sunt βροντῶντες, h. e. δεινοὶ. Βροντὴ est imago *eloquentiae*, maxime eius, quae partes animorum quasque aptis orationis modis pellat et moveat. Sic Demosthenes et Plato ab Columella (R. R. Praes. Lib. I. s. 30.) *tonan-*

tes vocantur, et Pericles apud Aristophanem (Acharn. 530.) ἀστραπτειν, βροντᾶν dicitur. Appellati igitur sunt Iacobus et Ioannes a Iesu υἱοὶ βροντῆς, *tonantes*, quod facultate eloquentiae pellentis flectentisque essent inprimis praestituri. Vid. *Io. Fr. Fischeri* Prolus. 29. de vitiis Lexicor. N. T. p. 654. Alii eos ob ingenii fervorem ita a Christo nuncupatos esse volunt. Cf. Marc. X, 38. 39 Luc. IX, 54. Alias coniecturas vide apud *Lightfootum* in h. l.

20. Marcus hic Lucam, apud quem c. VI, 17. incipit oratio montana, seponit, et ad illum sese convertit Matthaei locum, ad quem hucusque pervenerat, scilicet Matth. XII, 22. Admonitus autem, a Matthaeo (v. 23.) singulares quasdam παρεισάκτους ab illo neglectas, quas ipse penitius cognitas haberet, inserendas esse putavit hoc et sequenti versu. καὶ ἔρχονται εἰς οἶκον) Cohaerent haec verba cum sequentibus et constructione et sensu. Vult enim narrare *Marcus*, maximam concursionem factam, quum Christus iam domum intrasset coenaturus. ὥστε μὴ δύνασθαι αὐτοὺς μήτε ἄρτον φαγεῖν) Ita ut Christus, et qui cum eo erant, sive Apostoli omnes, sive eorum aliqui, non possent cibum capere turba undique obstante.

21. Οἱ παρ' αὐτοῦ) *Raphelius*, *Albertus*, *Kypkius*, quos sequitur *Loesnerus*, interpretantur: *propinquos*, *fratres et matrem Christi*. Et recte quidem; nam οἱ παρά τινος sunt omnino qui ad aliquem pertinent quocunque modo, in quibus inprimis insunt propinqui. Deserit hanc interpretationem *Krebsius*, tanquam parum confirmatam, et a serie orationis alienam, reddens verba, οἱ παρ' αὐτοῦ, *qui una cum Christo in domo erant*, nempe Apostoli, a Christo tunc constituti, de quibus v. 19. ἔρχονται εἰς οἶκον. Sed obstat, quod Marcus addit: ἐξῆλθον κρατῆσαι αὐτόν, et quod antea dixerat: ἀκούσαντες.

Knatch.

Knatchbullus et *Hombergius quosdam ab eo missos* intelligi voluerunt; quod narrationis perspicuitati minime convenit. Videtur igitur οἱ παρ' αὐτοῦ dictum esse pro οἱ αὐτοῦ, quemadmodum apud Demosthenem pro corona ὁ παρὰ Φιλιππου στρατηγὸς, *dux Philippi* Quam interpretationem et orationis series desiderat. Etenim v. 31. pergit Marcus in interrupta, aliquot versiculorum interventu, narratione, quod declarat illud ἦν, ita: ἔρχονται ἦν οἱ ἀδελφοι καὶ ἡ μήτηρ αὐτοῦ. Cf. omnino *Loesn.* ad h. l. ἐξῆλθον κρατῆσαι αὐτὸν) *Venerunt ut prehenderent eum.* Nimirum ut eum ex ea domo, in qua premebatur, alio abducerent. ἔλεγον γὰρ) Hoc non est intelligendum de propinquis Christi, sed accipiendum impersonaliter: *Fama erat dicebant homines.* ὅτι ἐξέστη) *Eum mente esse permotum.* Codd. Vercell. *exstitit mente.* Vulg. brix. alii habent: *in furorem versus est.* Alii ἐξέστη vertunt: *discessit, egressus est domo.* Sed haec explicatio, praeterquam quod non satis apta est reliquae orationi, etiam ideo minus probanda videtur, quod ἐξίστασθαι, in abeundi et discedendi notione fere semper iunctum sibi habeat genitivum, quo indicetur locus vel res unde aliquis discessisse intelligatur. At satis frequens est in verbo ἐξίστασθαι, quum significat *mente permotum esse*, omitti τοῦ Φρονεῖν, vel αὐτοῦ, vel τῶν Φρενῶν. Phavorinus: ἐξέστηκε, μαίνεται. Porro hoc verbum opponitur τῷ σωΦρονεῖν, 2 Cor. V, 15. Haec ergo sententia praeferenda est. Dici quoque de vatibus, et idem esse quod κάτοχον εἶναι docet *Loesnerus* ex Philone. *David Clericus*, *Kühnius* aliique per ellipsin τοῦ ὄχλος, de populo potius, quam de Servatore haec explicanda esse existimant. Sed durior est haec ellipsis, quam ut recte admitti possit; et notum est, Iudaeos non paucos pro sua improbitate Iesum eiusmodi

convitiis proscidisse. Cf. Io. VII, 5. X, 20. Hanc autem famam, mente permotum Iesum, Pharisaei sparserant, ut patet ex comm. 22. ubi καὶ recte vertas: *Nam.* Et ἔχειν βεελζεβὲβ, sicuti: ἔχειν δαιμόνιον est *insanire, mente captum, summo furore correptum esse.* Ceterum Marcus iam facem praeferente Matthaeo c. XII, 24—32. strenue pergit v. 23—30.

27. Οὐ δύναται ἀδεὶς) Plurimi Codd. habent; ἀδεὶς δύναται διαπάσαι) Permulti Codd. habent διαρπάσῃ, quod sane melius cohaeret cum praecedentibus. Si legimus διαρπάσει, sensus erat: *tunc enim demum domum praedari poterit.*

29. Ἔνοχός ἐστιν αἰωνίου κρίσεως) *Reus est aeternae miseriae.* Alii pro κρίσεως legunt ἁμαρτήματος, alii ἁμαρτίας. Probabile est, αἰωνίου κρίσεως fuisse interpretamentum Hebraismi, quo peccatum sumitur pro poena peccati. Sensus est: Non tantum hic punitur induratione, saepe et poenis aspectabilibus, quod Iudaeis contigit, sed et post hanc vitam supplicüs aeternis. Vide tamen Matth. XII, 32. et ibi notata.

30. Ὅτι ἔλεγον πνεῦμα ἀκάθαρτον ἔχει) *Quia dixerant, impuro daemone ipsum obsessum esse.* Verba sunt Evangelistae, caussam afferentis, cur Iesus usus sit hac comminatione, ideo nimirum, quia videbat, illos agnoscere intra se vim divinam, sed invidia et odio commiscri calumnias, ut plebem averterent; atque ita, quod Dei erat, diabolo adscribere.

31. Omittit Marcus locum Matthaei c. XII, 33—37. quia sententias his similes legerat in oratione montana Matth. VII, 16—20. quam a suo libro abesse volebat. Omittit etiam v. 38—45. capitis XII. Matthaei, quia haec oratio ad Palaestinenses, quibus Christum coram loquen-

tem

tem audire contigit, potissimum spectabat. Praeterea similia his, quae h. l. apud Matthaeum leguntur (comm. 38. 39.) recurrunt mox apud eundem c. XVI, 1 — 4. unde Marcus ea in suum librum (c. VIII, 11. 12.) transtulit. ἐρχονται ἔν) Particula ἔν hoc loco est Epanalepseos nota. Redit enim Marcus ad historiam, quam v. 21. de eius propinquis narrare coeperat. Cf. Matth. XII, 47. sqq.

32. ἔιπον δὲ) Non dicta sunt haec a circumstante turba; sed ab iis, quos miserant propinqui, ut eum accerserent. Ceterum cf. Matth. XII, 47. sqq.

CAP. IV.

1. Quae sequuntur usque ad v. 20. decerpta sunt e Matthaei cap. XIII, 1 — 23. ὥστε — θαλάσσῃ) *Ita ut ipse, navigio conscenso in mari consideret.* Ἐν τῇ θαλάσσῃ) i. e. in navi deducta in mare. Cod. Cantabrig. habet πέραν τῆς θαλάσσης. Itala: *ad s. circa s. proxime littus.*

2. Ἐν τῇ διδαχῇ) i. e. ἐν τῷ διδάσκειν, inter docendum. Sensus esse videtur: quum alia multa dissereret, tum hoc quoque dixit inter cetera.

7. Καρτὸν οὐκ ἔδωκε) *Fructum non edidit.* Hoc de prioribus seminibus nihil necesse erat d ci. Nam quomodo fructum ederent, aut ab avi us absumta, aut aestu solis arefacta? Sed de hoc semine non sine caussa id dicitur; quia primi auctus spem faciebant bonae frugis.

8. Καὶ ἔδιδε — αὐξάνοντα) *Et edidit fructum progerminantem et crescentem.* Ἀναβαίνειν h. l. metaphorice est *progerminare, nasci*, ut Hebraeorum צָמַח, quod interdum valet צֶמַח et פֶּרַח, Gen. XLI, 22. Prov.

XXIV, 31. et ab Alexandrinis interdum per *φύομαι*, Prov. XXVI, 9. et *ἀναφύω* Ies. XXXIV, 1. redditur.

10. Καταμόνας) sc. *χώρας*, *seorsim a turba*, vel: cum solus iam esset. Ἠρώτησαν — παραβολήν) *Interrogarunt eum sectatores eius cum duodecim de sensu parabolae.* Pro *τὴν παραβολήν* Cod. Cantabrig. iuniores, nonnulli et latini codd. habent: *τίς ἡ παραβολὴ αὕτη*, quod interpretamentum esse videtur. *οἱ περὶ αὐτὸν σὺν τοῖς δώδεκα*) Eleganter Graeci *τὰς περί τινα* appellant eo, qui sunt cuipiam dediti et addicti, ita ut eum sectentur, sintque ipsius velut factionis. Minime igitur hoc loco significantur externi aliqui homines qui Christo adessent, sed ii tantum, qui solebant eum assectari, et discipuli eius erant, quales habuit quidem, praeter selectos illos duodecim, etiam alios multos. Ii igitur, secuti eum vel domum, vel in desertum, quaesierunt de parabola. Vid. Matth. XIII, 10. sqq.

11. Ἐκείνοις — γίνεται) *Illis vero, exteris*, (qui me non sectantur,) *in parabolis omnia traduntur.* Iudaeis *οἱ ἔξω* erant Ethnici, desumta inde phraseologia, quod omnes terrae et regiones praeter suam vocarunt הַחוּצָה לָאָרֶץ, *extra terram.* Hoc autem loco intelliguntur homines, Iudaei quidem, sed non interioris apud Iesum admissionis, qui eum raro audiebant. Philosophi etiam distinguebant disciplinam exotericam et esotericam. Aristot. *Eudemior.* I. 8. *καὶ ἐν τοῖς ἐξωτερικοῖς λόγοις, καὶ ἐν τοῖς κατὰ Φιλοσοφίαν.* Aul. Gellius XX. 4. de Aristotele: *Hinc disciplinae, quam dixi ἀκροαματικὴν tempus exercendae dabat in Lyceo matutinum, nec ad eam temere quenquam admittebat, nisi quorum ante ingenium, et eruditionis elementa, atque in dis-*

discendo studium laboremque explorasset. Illas vero ἐξωτερικὰς eodem loco vesperi faciebat, easque vulgo iuvenibus sine delectu dabat. ἐν παραβολαῖς τὰ πάντα γίνεται) γίνεται ex sensus ratione hic idem valet, quod *proponuntur;* τὰ πάντα, scilicet διδασκόμενα, non quae ad poenitentiam, sed quae ad arcana divinae dispensationis, aut ad eventum praedictionum pertinent. Praecessit enim mentio τῆς μυστηρίου. Et ἐν παραβολαῖς intelligendum ἐν μόναις παραβολαῖς, sine earum apertiori explicatione.

10. Ἵνα βλέποντες βλέπωσι) Non verba ipsa prophetarum, sed sensum comminationis exprimit *Marcus*: futurum scilicet, ut qui videntes videre, audientes audire, et intelligere noluerant, postea nec videre, nec audire, nec intelligere possent ea, quae ad ipsorum conversionem pertinebant. Cf. Matth. XIII, 13. sqq.

14. Ὁ σπείρων, τὸν λόγον σπείρει) *Is sator*, de quo dixeram in fabella, significat *doctorem salutaris verbi.*

15. Ὅπου) *ubi*, pro *in quibus* Sic *unde*, pro *a quo*, Latini saepe usurpant. Sensus est: *Isti autem sunt, qui iuxta viam (sc. semen excipiunt,) in quibus* (ὅπου) *seminatur verbum* s. doctrina.

18. Magna hic est in libris manuscriptis et versionum diversitas. Nam longe maxima pars codicum, servato priore ἄλλοί εἰσιν, omittit posterius, Versa vice a nonnullis codicibus posterius ἄλλοί εἰσιν, expulso priore, retinetur. Tandem restant utriusque recensionis vetustissimae, alexandrinae et occidentalis codices praestantissimi, qui loco prioris ἄλλοί εἰσιν habent ἄλλοι εἰσιν posterius autem ἄλλοί εἰσιν intactum relinquunt, unde sequens prodit textus, quem GRIESBACHIUS in Novi Testamenti editione Goescheniana exhibuit: Καὶ ἄλλοι εἰσιν οἱ εἰς τὰς ἀκάνθας

θας σπειρόμενοι. ἕτοί εἰσιν οἱ τὸν λόγον ἀκούοντες κ. τ. ε. Vid. GRIESBACHII *Commentar. crit.* in h. l.

19. Καὶ αἱ περὶ τὰ λοιπὰ ἐπιθυμίαι) περὶ τὰ λοιπά, i. e. τῶν λοιπῶν, cupiditates quae in ceteris rebus versantur, *voluptates corporis*, quas Matthaeus non expresserat, quia divitias comitari solent.

20. Ἓν τριάκοντα) Post ἕν subauditur participium τὸ σπειρόμενον, alioqui dicendum fuerat potius ἓις in accommodatione parabolae.

21. Quae nunc sequuntur sex commata Lucas suppeditavit Marco. Nempe praecedentia, quae desumta erant e Matth. XIII, 1—23. respondent Lucae VIII, 1—15. Lucam igitur cum Matthaeo contulerat Marcus. Iam vero apud Lucam commate proxime sequente, nimirum c. VIII, 16. inveniebat parabolam elegantem eandemque brevissimam, quam comm. 17. 18. excipiebant gnomae nonnullae itidem perbreves, sed memorabiles. Haec igitur tria commata, ad quae Matthaeus eum quasi deduxerat, libello suo inseruit Marcus. Μήτι ὁ λύχνος ἔρχεται) *Num lucerna infertur?* Ἔρχεσθαι h. l. est *inferri in conclave;* quod quum obscurius videretur, mutandi occasionem praebuit: alii enim codices habent κεῖται, alii ἅπτεται, ἢ ὑπὸ τὴν κλίνην) *aut sub lecto*? Hoc et Lucas posuit c. VIII, 16. Magna ubique relucet in Christi dictis popularitas. Quia modius et lectus cavitatem habent, sub qua condi lucerna posset, ideo ista nominavit. Κλίνη autem h. l. non est lectus *cubicularis*, in quo dormientes et aegroti decumbunt, sed *lectus triclinaris*, in quo comedentes ad mensam accumbere solebant. οὐχ ἵνα ἐπὶ τὴν λυχνίαν ἐπιτεθῇ) *Nonne potius ut candelabro imponatur*? Alia similitudine idem, quod superiore ostenditur. Applicatio sumenda est e serie orationis. Praecesserant nempe haec duo:

duo: Edocti erant discipuli sensum parabolae; et edocti erant, id, quod didicerit aliquis, etiam factis esse exprimendum. Ergo hoc vult Christus: Quod vos a me didicistis, debetis rursus alios docere. Nolite ergo lumen, quod in animis vestris est, occultare, sed alios in posterum etiam docete. Deinde: Non debet in animis vestris latere doctrina mea, sed debet erumpere in facta.

22. Οὐ γὰρ — ἔλθῃ) *Nihil enim* (eorum quae ego in parabolis tradidi) *tam absconditum* (ignotum) *est, quod non in notitiam hominum venturum sit, vel tam obscurum, quod illi non sint intellecturi.* Post ἀπόκρυφον supple τι ex membro superiore. Et ἐγένετο hic est, quod ibi ἐστί. Mos Hebraeorum est eandem sententiam verbis mutatis repetere, quod in proverbiis Salomonis saepissime occurrit. Ἀλλ' ἵνα, *nisi ut* Sensus est: Ut in vitae experientia vel occultissimae res aliquando innotescunt, sic, quae nunc sunt occulta, paullo post in omnium conspectu erunt. Hoc factum est, quum post mortem Christi propagata est haec doctrina per omnem terrarum orbem. Inest etiam hoc: Si omnia in vita communi aliquando manifesta fiunt, etiam doctrina non debet latere in animo, sed in facta erumpere. Potest etiam τὸ κρυπτὸν et ἀπόκρυφον h. l. idem valere, quod supra v. 11. παραβολὴ et μυστήριον τῆς βασιλείας τοῦ θεοῦ, atque τὸ φανερωθὲν et εἰς φανερὸν ἐλθὸν significare potest vim et sensum parabolae, sive res fabulis et exemplis involutas. Atque sic sensus erit: *Nulla est doctrina tam obscure et figurate a me proposita, quam non absque involucris et figuris, aperte sitis tradituri.* Sic apud *Philonem de vita contemplativa* (p. 901.) τὰ ἀφανῆ, sunt *obscura*, i. e. capita doctrinae S. Scripturae, quae sub allegoriae nube latent, nec a plebe indocta intelliguntur;

et

et τὰ φανερὰ sunt eadem obscura dogmata, sed verbis apertis exposita. Vid. *Kühnii spicilegium ex Philone* ad h. l.

24. 25. Καὶ ἔλεγεν αὐτοῖς) *Praeterea* dixit. Familiaris est Marco ista transitio, qua vel diversos sermones, vel diversas eiusdem sermonis partes connectit. βλέπετε τί ἀκούετε) *Etiam atque etiam considerate, quid et quale sit, quod auditis*, ut pro rei magnitudine intendatis animum. Lucas (c. VIII, 18) habet: βλέπετε οὖν πῶς ἀκούετε, videte igitur, quo modo audiatis doctrinam, quo consilio, quo animo, quo fructu in animis vestris? utrum audiatis sic, ut hanc doctrinam velitis cum aliis communicare, et per omnem vitam exercere, vel sic, ut in ea ulterius progredi velitis? ἐν ᾧ μέτρῳ μετρεῖτε, μετρηθήσεται ὑμῖν, καὶ προστεθήσεται τοῖς ἀκούουσιν) *Quam enim mensuram adhibueritis*, (in attendendo) *eadem vobis continget* (in cognoscendo) *et adiicietur vobis audientibus*, (discentibus.) Proverbium generale, cuius quis hic sit usus, verba illa postrema ostendunt, nimirum idem, qui sequentis sententiae: *habenti dabitur.* Griesbachio (in Commentar. crit. ad h. l.) Marcus scripsisse videtur: ἐν ᾧ μέτρῳ μετρεῖτε, μετρηθήσεται ὑμῖν. Ὃς γὰρ ἂν ἔχῃ, δοθήσεται αὐτῷ. „Ad primitivum hunc textum duplex interpretamentum in margine accessit; alterum ad ὑμῖν, alterum ad δοθήσετε. Ad vocem ὑμῖν annotabatur: ὑμῖν τοῖς ἀκούουσιν, ad δοθήτετε autem: προστεθήσεται. Utrumque glossema ad illustrandum sensum satis erat oppositum. Isto: τοῖς ἀκούουσιν, scite significabatur, tritum illud proverbium: ἐν ᾧ μέτρῳ μετρεῖτε, μετρηθήσεται ὑμῖν, alio hic sensu accipiendum esse, quam Matth. VII, 2 ubi aequipollet τῷ ἐν ᾧ κρίματι κρίνετε, κριθήσεσθε. Nostro vero loco utique refertur ad τοὺς ἀκού-

ουτας

ονταϛ, ut abunde patet ex antecedente admonitione: βλέπετε τί (apud Lucam πῶϛ) ἀκούετε. Nimirum ὁ ἔχων ὦτα ἀκούειν, solus potest ἀκούειν. v. 9. Unicuique impertit magister pro ratione mensurae, qua quisque utitur et quam quasi affert ad percipienda magistri praecepta; doctoris munere fungens necessario institutionem suam attemperare debet ad discipuli captum; hic enim nil amplius capit quam capere potest. Quod ad alterum attinet glossema, indicabitur eo, nova *augmenta* (v. c. cognitionis) concedi posse nemini, quin prius data studiose servarit." Iam ostendit Griesbachius, quomodo e binis illis interpretamentis discrepantes lectiones ortum duxerint.

26. Marcus, brevitati studens v. 26—29. in locum parabolae Matth. XIII, 24—30, substituit aliam *de agricola dormiente* parabolam, brevitate sua non minus quam elegantia commendabilem, et cum argumento parabolarum et gnomarum proxime antecedentium et sequentium magis adhuc, quam illa apud Matthaeum parabola, consentientem. (ἔστιν — τῆϛ γῆϛ) *Ita comparatum est regnum Dei, ac si quis homo sementem in agro faciat. Regnum Dei* h. l. ut saepius est institutum Dei tradendi inter homines doctrinam religionis, Bekanntmachung, Ausbreitung und Erhaltung der Lehre Christi. Βάλλειν, si de semine usurpatur, significat *serere, semen terrae mandare. Cum semine autem comparari doctrinam,* tralatitium est. Sator non est hic quivis praeco veritatis, sed ipse primus eius sator Christus, Matth. XIII, 37. Nam et hic, qui sevit, dicitur missurus in agrum messores, infra comm. 29. Is autem haud dubie est Christus, Matth. XIII, 39—41.

27. Καὶ καθεύδῃ — ὅιδεν αὐτὸϛ) *Nocturno tempore dormit, et matutino surgit, et seges progerminat, et crescit, ipso non advertente.* Νύκτα (sc. κατὰ) referri

referri debet ad καθεύδῃ, et ἡμέραν ad verbum ἐγείρεται. Est igitur loquendi genus, securitatem agricolae indicans. Nam quod *Erasmus*, et post eum alii existimant, referri illud καὶ ἐγείρηται ad semen, non potest convenire, ob copulam interiectam; dicendum enim fuerat: καὶ ἐγείρηται νύκτα καὶ ἡμέραν ὁ σπόρος etc. Deinde illud ἐγείρεσθαι, certum est opponi τῷ κατθέδειν, ut sit simile quiddam ei, quod dicunt Hebraei exire et introire, pro versari in loco aliquo et officium suum facere. Sensus esse videtur, *Christum a facta semente ad messis tempus agro, i. e. ecclesiae adspectabili sua praesentia non adfuturum.* Non sunt enim particulae similitudinis premendae ultra id, quod intenditur.

28. Αὐτομάτη γὰρ ἡ γῆ καρποφορεῖ) *Nam sua sponte terra profert etc.* ut nempe continuato labore agricolae non amplius sit opus. Αὐτόματον est *omne quod sponte a terra nascitur, nec humanae curae et industriae debetur*, quo sensu saepe apud Philonem occurrit. In verbo καρποφορεῖ est κατάχρησις: nam proprie καρποφορεῖν est *frugem proferre*, hic autem simpliciter *proferre.* Quod primum enascitur, herbam etiam vocant Latini, unde proverbium natum est: *in herbis esse*, et *messis in herba est.*

29. Ὅταν δὲ παραδῷ ὁ καρπός) subintellige ἑαυτὸν, *quando fructus maturus tradit sese metenti*, seges maturuit Georg. I. 287. Multa adeo gelida melius se nocte dederunt. Germ. *sich ergeben.* ἀποστέλλει τὸ δρέπανον) *Immittere falcem* dicunt Latini. Quum autem ἀποστέλλειν rectius de personis, quam de ipsis falcibus dicatur, δρέπανον forsan hoc loco, metonymia quadam populari, ipsos messores cum falcibus significat. Applicatio est facilis. Sicut agricola, postquam semen credidit arvo,

omnia

omnia reliqua permittit Deo et naturae, ita Christus ab initio princeps semen doctrinae suae sparsit per universam Judaeam; mox opere suo in his terris peracto, rediit ad Patrem, nec rediturus est in hunc mundum, hominibus conspicuus, nisi quum negotio Evangelii ad eam mensuram progresso, quam ipse praefinivit, rursus adveniet, separaturus pios ab impiis, ac pios, veluti probum frumentum, in aeternae quietis horreum reconditurus. Ad sequentem parabolam cf. notata ad Matth. XIII, 31. 32.

33. Καθὼς ἠδύναντο ἀκούειν) pro captu scilicet eorum, quos auditores habebat; vel secundum *Grotium;* ut digni erant audire; nam et alibi τὸ πρέπον per verbum δύνασθαι explicatur, ut Matth. IX, 15.

34. Οὐκ ἐλάλει αὐτοῖς) Nempe arcana regni. Ita enim ex sententia vocum latitudo restringenda est. ἐπέλυε) solvebat, i. e. *explicabat*, ut 2 Pet. I, 19. quo sensu saepius apud Profanos occurrit, quod probant loca, quae a *Wetstenio* laudantur. Ceterum haec duo commata (33. et 34.) sunt ex Matthaei c. XIII, 34. 35. Quum vero Matthaeus porro parabolis adderet parabolas, Marcus velut fatigatus hunc ducem aliquantisper valere iussit, et ad Lucam se recepit.

35. In decerpendo Luca Marcus pervenerat usque ad Luc. VIII, 18. Narratiunculam comm. 19—21. hic omisit, quia iam supra c. III, 31—35. eo loco et ordine, quo apud Matthaeum eam invenerat, in suos commentarios retulerat. Itaque devenit ad comma proxime sequens Luc. VIII, 22. ibique pergit.

36. Παραλαμβάνουσιν αὐτὸν ὡς ἦν ἐν τῷ πλοίῳ) *Recipiebant eum in navem.* Ἐν τῷ πλοίῳ positum est pro εἰς τὸ πλοῖον. Nam ἐν et εἰς saepe permutari, satis constat. ὡς ἦν, *ut erat*, sine ullo ad iter apparatu. Elegans

gans locutio; ita Latini, *ut erat disiecta capillos.* μετ' αὐτῆ) Proxime navigantem sequebantur. Nam qui in istis navibus erant, dixerunt, quod infra memoratur, comm. 41.

37. Λαίλαψ ἀνέμου) est ἀνέμου συστροφὴ μετὰ ὑετοῦ, ut ait *Hesychius*, consentientibus Homeri interpretibus. τὰ δὲ κύματα ἐπέβαλλεν εἰς τὸ πλοῖον) *Fluctus irruebant in navigium;* nam ἐπιβάλλειν hoc loco declarat, cum impetu sese proiicere, ut in coniugatione Hithpael.

38. Ἐπὶ τῇ πρύμνῃ) Gubernatoris locus in puppi.

39 Πεφίμωσο) comprimitor, et coërcetor Cf. Matth. VIII, 26. καὶ ἐγένετο γαλήνη μεγάλη) Subito, quum alioqui diu soleat mare agitari, postquam venti siluerunt.

41. Ἐφοβήθησαν φόβον μέγαν, *valde mirati sunt.* φοβεῖσθαι pro θαυμάζειν, saepe usurpatur. Verbum impersonaliter positum. Subauditur: non discipuli, sed οἱ ἄνθρωποι, nempe in hoc et in aliis navigiis eum sequentibus, quod expressit *Matthaeus.*

CAP. V.

Quae hoc capite continentur, leguntur quidem etiam apud Matthaeum, c. VIII, 28. sqq. sed partim alio loco et ordine, partim paucioribus verbis. Qui tres Evangelistas comparaverit, is facile perspiciet, Marcum haec omnia non Matthaeo, sed Lucae accepta referre. Vid. Luc. VIII, 26—56.

1. Γαδαρηνῶν) Sic etiam Lucas habet cap. VIII, 26. Vid. *Iosephi Archaeol.* Lib. XIV, c. 4. §. 4. Cf. notata ad Matth. VIII, 28.

2.

2. Ἄνθρωπος ἐν πνεύματι ἀκαθάρτῳ) Matthaeus duos nominat c. VIII, 28. Marcus vero aut de duobus memorat insigniorem, aut ea de caussa de uno tantum loquitur, quia duorum mentio facta parum ad potentiam Christi ostendendam contulisset, et quaestionibus dubiisque praebuisset occasionem, quum furiosi et coeci societatem inire non soleant. Cf. c. X, 46.

3. Ὃς τὴν — μνήμασι) Vera lectio est μνήμασι. Hanc enim plurimi et vetustissimi codices exhibent. Sepulcralia illa monumenta more Orientis aedificata fuerunt singulatim in locis solitariis, aut in viis saltem publicis. In huiusmodi locis et fornicibus homo iste furibundus a tempestate poterat esse securus. Vid. SHAW itinerar. p. 195. 229. HARMARI observatt. in Orient. T. I. p. 234. vers. germ.

4. Πέδαις καὶ ἁλύσεσι, *compedibus* et *manicis*, catenis manuum.

5. Διαπαντὸς νυκτὸς καὶ ἡμέρας) Unum altero explicatur, ad perpetuitatem indicandam, idque populariter, quum unum διαπαντὸς satis fuisset.

7. Ὁρκίζω σε τὸν Θεὸν) i. e. νὴ τὸ Θεόν. *Proh Deum immortalem obsecro!* Errant, qui hic iusiurandum exigi putant; nam est quidem alicubi ea vocis significatio, sed multis aliis in locis nihil aliud significat, quam *religionem iniicere*, quod est in lingua vetere Romanorum *obsecrare*. μή με βασανίσῃς) *Ne me affligas.* Afflictio quam metuebat *iste*, in eo erat, quod Iesus daemonem iubebat discedere; ut apparet ex v. 8.

9. Τί σοι ὄνομα;) Videtur Iesus nomen hominis, quem sanaturus erat, scire voluisse. λεγεὼν ὄνομά μοι) *Legio* quid sit, notum est. Sed Iudais *Legio*, לגיון sive לגיון sae-

saepe etiam significat legioni praefectum, ducem exercitus. Vid. *Io. Buxtorfii* Lexicon Rabb. sub hac voce. Ergo is, qui Iesu respondebat, ducem, s. principem multorum se nominavit. Quicqu d sit, videtur haec esse vox furiosi, nomen suum ignorantis. Nam furiosum hominem, non daemonas allocutus erat Iesus. *Plaut.* Captiv. III, 4. 15. *Hic homo rabiosus habitus est in Aulide.* 28. *suum ipse interdum ignorat nomen, neque scit, qui siet.* *Aen IV*, 469. *Eumenidum veluti demens videt agmina Pentheus, et solem geminum et duplices se ostendere Thebas.*

10. Καὶ παρεκάλει — ἔξω τῆς χώρας) *Enixe eum precatus est* (obsessus) *ne eos* (sc. daemones quibus se obsessum esse putabat) *eiiceret ex hac regione.* Lucas: (c. VIII, 31.) *ne eos iuberet* εἰς τὴν ἄβυσσον ἀπελθεῖν. Ubi ἡ ἄβυσσος videtur esse *mare*, in quod gregem porcorum paullo post praecipitavit daemoniacus. v. 13.

11. Πρὸς τὰ ὄρη) Plurimi Codd. habent πρὸς τῷ ὄρει, quibuscum consentiunt multae Verss. Theophyl. Euthym. *Lucas* ἐν τῷ ὄρει. Vid. *Griesbachii* Commentar. crit. ad h. l. Intelligi potest grex ille tum fuisse in parte montis inferiore.

12. Καὶ παρεκάλεσαν — οἱ δύμονες) In quibusdam codicibus desunt verba πάντες οἱ δύμονες. In aliis retinetur οἱ δύμονες, sed deest πάντες. Unde suspicio oritur, legendum esse: καὶ παρεκάλεταν αὐτὸν, omissis reliquis. Ex ore hominis obsessi prolata sunt verba: πέμψον ἡμᾶς εἰς τὰς χοίρας. Daemonas ipsos hoc dixisse vulgo credebatur. Hoc referunt Evamgelistae, non anxie quaerentes, utrum Daemones per os hominis locuti fuerint, an vero homo miser, furore correptus, insana verba protulerit. Εἰς τὰς χοίρας, i. e. εἰς τὴν ἀγέλην τῶν χοίρων

ut

ut habet Matthaeus c. VIII, 31. Cf. notata ad istum Matthaei locum.

15. Δαιμονιζόμενον, *qui daemoniacus*, i. e. mente captus *fuerat.* σωφρονοῦντα, *mentis compotem.* καὶ ἐφοβήθησαν, *metu affecti sunt.*

16. Ἵνα ᾖ μετ' αὐτοῦ) *Ut sibi liceret esse in eius comitatu.* Nam εἶναι μετά τινος hic idem est quod ἀκολουθεῖν τινί Vid. Matt. IV, 29. 30. Verebatur homo, ne digresso Iesu, ipse in daemonum potestatem recideret. At Christus ostendere voluit, se etiam absentem praesidio esse iis, qui sibi confiderent, ut recte observat *Theophylactus.*

19. 20. Ἀνάγγειλον αὐτοῖς) Voluit Christus etiam ad gentes aliquam sui famam manare, vocationis secuturae praesagium. Ἐν τῇ Δεκαπόλει. Vid. Matth. IV, 25.

22. Εἷς τῶν ἀρχισυναγώγων) Lucas: ἄρχων τῆς συναγωγῆς. Cf. notata ad Matth. IX, 18. sq. ubi eadem historia narratur.

23. Ἐσχάτως ἔχει) *extreme laborat;* extreme male se habet, in ultimo discrimine est. Phrasis bene graeca. Ἵνα ἐλθὼν ἐπιθῇ) Subauditur: παρακαλέω σε, ex eo quod praecesserat. Hoc autem nihil est aliud, quam circumscriptio modi precativi. καὶ ζήσεται) Hebraeis futurum est vice subiunctivi. Neque est Tavtologia. Sensus enim est: *ut sanitatem recipiat, atque ita mortem imminentem effugiat.*

25. Οὖσα ἐν ῥύσει αἵματος) *Quae fluxu sanguinis laborabat.* Sic Cicero Tuscul. III. et IV. sanos opponit iis qui sunt in morbo, i. e. qui morbo aliquo tenentur. Cf. quae notavimus ad Matth. IX, 20. sqq.

26. Καὶ πολλὰ — χεῖρον ἐλθοῦσα) *Et quanquam multa a medicis perpessa, bona sua omnia insumserat, nihil tamen fuerat lucrata, sed in malum gravius*

vius inciderat. Πάσχειν est verbum μέσον, et usurpatur etiam de iis, qui beneficiis afficiuntur; nostro loco autem malo sensu accipiendum esse, contextus docet.

29. Ἔγνω τῷ σώματι) *Sensit corpore.* Magna est emphasis in his vocibus. Nam naturaliter nemo ex veteri morbo subito revalescit, sed longa manent cedentis mali vestigia.

30. Καὶ εὐθέως — ἐξελθοῦσαν) Haec Iesu verba Viri ceteroquin docti ita acceperunt, quasi virtus sanandi diffusa per totum Christi corpus fuerit, ut totus nihil fuerit aliud, quam, (ut loquitur SIMON EPISCOPIUS) *salutare pharmacum.* Existimavit ipse CLERICUS quoque, ex hac locutione, si nimis urgeatur, colligi posse, Christum aegrorum morbos effluxu quodam curasse; quod intelligi non posse, recte monet. Intelligere se hoc putabunt fortassis qui hac nostra aetate per *magnetisationem*, quam vocant, morbos curare volunt. Sic experientissimus EBERHARD GMELIN laudat virtutem sanandi per corpus diffusam, qua varii generis morbi curari possint, in libello, cui titulus: *Ueber thierischen Magnetismus. In einem Brief an Herrn geheimen Rath Hoffmann in Mainz.* Tubingae 1787. Sed fac, vera esse omnia, quae nobis narrantur ab iis, qui artem magnetisandi exercent, ad Salvatorem nostrum haec minime applicari possunt. Is enim uno tactu curavit aegrotos; ut taceam mulierem haemorrhousam sanatam fuisse, quum ipsa fimbriam vestis Iesu tantum tetigisset. Notandum est inprimis etiam, verba ἐπιγνὰς ἐν ἑαυτῷ τὴν ἐξ αὐτοῦ ἐξελθοῦσαν δύναμιν de sensu corporeo non esse explicanda, sed potius sensum esse: *Iesum scivisse, se aliquod miraculum patrasse.* Ἐπιγινώσκειν enim quam maxime obvio significatu ad animi sensum et scientiam potius, quam ad sensum corporis refer-

fertur. Δύναμις Iesu est omnipotentia eius, et vis divina, qua miracula fecit. Haec vis sive potentia ἐξέρχεται, *egreditur*, quando se exerit extra eum; nam apud Hebraeos verbum יָצָא, cui frequentissime vox graeca ἐξέρχεσθαι respondere solet, haud raro ἐνέργειαν et efficacem aliquam operationem notat, e. g. Ierem. XXX, 22. Ruth I, 13. Non ergo dicitur, Christum in corpore suo sensisse aliquam mutationem, sed cognovisse divinum opus a se patratum. PAULUS in Commentar. Tom. I. p. 423. s. suspicatur verba τὴν ἐξ αὐτοῦ δύναμιν ἐξελθοῦσαν vel esse interpretamentum Marci et Lucae, vel a librario quodam addita, Iesum vero hoc tantum dixisse: Sensi me attactum esse. Ceterum, quae de statua, Christo ab Haemorrhousa in urbe Paneados erecta, leguntur apud *Eusebium* (Hist. eccles. Lib. VII, c. 17.) Sozomenum, Philostorgium, Nicephorum, Ioannem Damascenum, et Ioannem Malalam, ita comparata sunt, ut penitus reiicienda esse videantur.

33. Πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν) i. e. rem totam, ita ut gesta erat.

34. Ὕπαγε εἰς εἰρήνην) Etiam apud LXX. extat πορεύου εἰς εἰρήνην 1 Sam. I, 17. pro eo quod Latini dicunt *feliciter*. Nam εἰς et ἐν saepe permutari, notum est. Iudic. XVIII, 6. לְכוּ לְשָׁלוֹם, πορεύεσθε ἐν εἰρήνῃ.

35. Ἀπὸ τοῦ ἀρχισυναγώγου) Sic. τινὲς. Venerunt nonnulli *ab aedibus principis synagogae*; nam Iairus ipse cum Iesu erat. Ad verbum ita loquitur Terentius in Hecyra: *Sed quid Bacchidem a nostro affine exeuntem video?* i. e. ab affinis domo. τί ἔτι σκύλλεις) vexas, i. e. defatigas, molestia afficis.

38. Ἀλαλάζοντας) ἀλαλάζειν quemcunque sonum et clamorem, sive tristem illum, sive laetum, denotat. Hoc

loco autem notat *eiulare;* nam apud LXX saepe idem est quod θρηνεῖν, quum Hebraicum הֵילִיל per ἀλαλάζειν reddiderint, e. g Ierem XXV, 34. et XLVII, 3.

40. Ἐκβαλὼν ἅπαντας) *Quum omnes dimisisset.* Tot testes assumebat, quod rei probandae sufficiebant. Plures admittere speciem habere poterat ostentationis. τὰς μετ' αὐτῆ) i, e. discipulos tres, quos in domum intrans secum retinuerat. ἀνακείμενον) Deest in nonnullis codd. et verss. Alii habent κείμενον, alii κατακείμενον, Theophyl. καταβεβλημένον.

41. Ταλιθὰ κοῦμι) טְלִיתָא est puella, ἡ παῖς, aut τὸ κοράσιον. Κοῦμι, hebr. קוּמִי, *surge.* Pro ἔγειραι optimi antiquissimique codd. habent ἔγειρε.

42. Καὶ ἐξέστησαν ἐκστάσει μεγάλῃ, i. e. μεγάλως, vel λίαν ἐξέστησαν. Vid. Matth. II, 10. Propter rei novitatem ingenti stupore affecti sunt. Sic *Philoni* (Lib. Quis rer. div. haeres p. 515.) ἔκστασις est ἡ σφόδρα κατάπληξις ἐπὶ τοῖς ἐξαπιναίως καὶ ἀπροσδοκήτως συμβαίνειν εἰωθόσιν, *pavor magnus, qui eos occupat, quibus aliquid subito nec opinato accidit.*

43. Ἵνα μηδεὶς γνῷ τοῦτο) Vid. Schol. ad Matth. IX, 30. εἶπε) i. e. ἐκέλευσε, אָמַר, ut saepius. Φαγεῖν) ut appareret, non vivam tantum esse, sed et recte valentem; nam graviter aegroti vix solent cibum sumere.

CAP. VI.

Marcum, nimia parabolarum Matthaei c. XIII. copia quasi obrutum, Lucae se adiunxisse comitem, supra ad c. IV, 33. notavimus. Veruntamen quum Matthaeum potissimum sibi elegis-

elegisset, ad cuius ductum memorabilia Christi scripto consignaret, iam ad Matthaeum suum redit, et quidem ad eum ipsum locum, quo parabolae istae finiuntur, nempe ad Matth. XIII, 53. 54. Interim tamen Lucam non plane neglegit, sed diligenter eum cum Matthaeo confert. Hinc pericopae sequentes mox ex hoc, mox ex illo sunt decerptae.

1. Sex priora commata huius capitis desumta sunt ex Matth. XIII, 53—58.

2. Καὶ τίς ἡ σοφία — γίνονται;) *Quaenam est sapientia ei tributa, ut etiam tanta miracula ab eo edantur?* Δῶναι, נָתַן, *tradere.* Δυνάμεις, *miracula.* Illud ὅτι ante καὶ δυνάμεις omittunt codices antiquissimi et praestantissimi.

5. Οὐκ ἠδύνατο ἐκεῖ ἐδεμίαν δύναμιν ποιῆσαι) Hoc non absolute et simpliciter, sed secundum quid intelligendum est, de non adeo multis et ingentibus, qua aliis in locis fecit, miraculis. Nam statim subiicitur, eum *paucis infirmis manus imposuisse, eosque sanasse.* Caussa vero, cur Iesus miracula Nazarethae patrare non posset, haec erat, quod Nazarethani praeiudiciis occupati Christo aegrotos non offerebant, nec opem eius implorabant. Ergo nec *potentia*, nec *animus* sed occasio faciendi miracula ei deerat. Obtrudi autem beneficia nemini possunt. Cf. notata ad Matth. XIII, 58. Καὶ ἐθαύμαζε διὰ τὴν ἀπιστίαν αὐτῶν) *Et aegre ferebat eorum obstinatum animum.* Θαυμάζειν interdum etiam significat *indignari*, ut Gal. I, 6.

6. Περιῆγε τὰς κώμας κύκλῳ) i. e τὰς κώμας ἐν κύκλῳ πάντοθεν κειμένας, *undique circumiacentes vicos obiit.* Patriam ingratam deserens auditores quaerebat, quorum animi non aeque essent pravis affectibus occupati.

7.

7. Ἤρξατο ἀποστέλλειν, pro ἀπέστειλε, emisit. Δύο δύο) more Hebraeorum, qui distributivis carent, pro: ἀνὰ δύο, *bonis;* singula ablegavit paria, ad plenam testimonii fidem. Vid. Luc. IX, 1. sqq. et cf. Matth. X, 1. sqq.

8. Εἰ μὴ ῥάβδον μόνον) Contradicere videtur Marcus *Matthaeo*, qui expressis verbis: μηδὲ ῥάβδον dixit. *Heinsius* τὸ εἰ positum esse existimat pro ἐπεί, et μὴ non ad τὸ εἰ, sed ad τὸ μόνον referendum putat, ut sensus sit: *Praecepit eis, ne quid secum assumerent: siquidem* (vel *imo*) *ne virgam quidem, non peram, etc.* Εἰ pro ἐπεί passim in sacris usurpatur ab Hellenistis. Certe si dixisset Marcus: καὶ παρήγγειλεν αὐτοῖς, ἵνα μηδὲν αἴρωσιν εἰς ὁδὸν ἐτει μή ῥάβδον μόνον, μὴ πήραν etc. nemo dubitaret, quid vellet. *Grotius:* Eam virgam, cum qua tunc forte ambulabant, non aliam inter sarcinas, usui futuram si forte prior defecisset. *Wetstenius:* Non singulis baculum permisit, sed duobus unum. Sed non possunt hic urgeri singula. Non quaeritur enim, an discipulis uti baculo licuerit vel minus? sed universim hoc dicitur: Nolite iter anxie parare. Deus ipse necessitatibus vestris prospiciet.

9. Ἀλλ' ὑποδεδεμένους σανδάλια) Ellipsis; deest enim πορεύεσθαι. *Sed calceatos sandaliis* eos iussit incedere. Ire iubet ita ut erant, soleatos scilicet. Sandalia fuerunt soleae ligneae, quae corrigiis devinciebantur; proprie diversa ab ὑποδήματι, i. e. calceis cavis, quorum usum Iesus Apostolis interdixit Matth. X, 10. Sed ut modo diximus, non sunt urgenda singula. Nam haec omnia eo pertinent, ut Apostoli intelligerent, nullo maiore apparatu sibi ad iter opus fore, quam si domi essent mansuri. Voluit enim Dominus in prima legatione manifestum ipsis dare documentum divinae providentiae.

10.

10. Ἐκεῖθεν) *ex ea urbe*, ut et sequenti commate.

11. Εἰς μαρτύριον αὐτοῖς) In testimonium contemti ab ipsis Evangelii; nam in eius contemtus detestationem pulvis excutiebatur. ἀμὴν λέγω — πόλει ἐκείνῃ) Desunt haec verba in multis Codd. et Verss. Videntur Matthaei esse. Vid. *Griesbachii* Comment. crit. ad h. l.

13. Ἤλειφον ἐλαίῳ) Ex more antiquo Hebraeorum, qui precibus pro aegrotis adiungere solebant unctionem per oleum, in spem impetrandi a Deo leniminis et gaudii, quod per oleum significatur. Fuit igitur oleum symbolum mirificae istius virtutis, sanandi aegrotos, non autem medicamentum, quo morbos curarent. Cf. tamen *Michaelis* ad h. l. et PAULUS Commentar. Tom. II. p. 42.

14. Φανερὸν — ὄνομα αὐτοῦ) *Nam nomen eius celebre factum erat.* Φανερὸν εἶναι, pro φανερῶσθαι, celebrari. Quae sequuntur, desumta sunt ex Matth. XIV, 1. sqq. et Luc. IX, 7. sqq.

15. Ὅτι προφήτης ἐστιν, ἢ ὡς εἷς τῶν προφητῶν) Τὸ ἢ omittunt permulti Codd. et Interpretes; nec interpositum ἤ, sensum commodum reddit, quum huius lectionis, quae omittit ἤ, aperta sit sententia: *Propheta est, similis Prophetis aliis.* Nam haec istorum hominum de Christo opinio fuit, esse eum non Messiam, non Eliam, non Ioannem, sed prophetam a Deo suscitatum parem veteribus Prophetis.

17. Quae hoc commate et in sequentibus narrantur, in Plusquamperf. explicanda sunt.

19. Ἐνεῖχεν αὐτῷ) Hesychius interpretatur ὠργίζετο. *Vulg:* insidiabatur. *Castelio:* imminebat. *Boisius:* infensa erat. Quaerebat nimirum occasionem e medio tollendi Ioannem.

20.

20. Ἐφοβεῖτο τὸν Ἰωάννην, *venerabatur Ioannem.* Sic יָרֵא Exod. I, 17. συνετήρει αὐτὸν — ἤκουε) *Colebat eum, et audiens eum in multis ei obsequebatur, et libenter eum audiebat.* Συντηρεῖν, *observare, colere.* Sic apud Diog. Laert. Φίλους συντηρεῖν est *colere observare amicos* Πολλὰ ἐποίει, quae nempe Ioannes ei suadebat. Monitis eius aures praebuit. Sic non opus est coniectura Heinsii, qui hanc lectionem in quibusdam codicibus extitisse suspicatur: καὶ συνετήρει αὐτὸν, καὶ ἀκοῦσαι αὐτοῦ πολλὰ ἐποίει; *et servabat eum, utque audiret eum, omnem dabat operam. Beza:* Auditoque eo multa faciebat, et libenter eum audiebat.

21 Καὶ γενομένης ἡμέρας εὐκαίρου, vertunt: *tempore quodam opportuno,* quum commoda occasio se offerret occidendi Ioannem. Praeferenda esse videtur interpretatio KUINOELII cui ἡμέρα εὐκαιρος h. l. est *dies festivus et solennis.* Gloss. vett. εὐκαιρος, σχολάζουσα, *dies ferialis.* Cf FISCHER de vitiis Lexicor. p. 695. sqq. Τοῖς μεγιστᾶσι) Vox μεγιστᾶνες, (ut existimat *Salmasius* de Hellenist. p. 110.) *de proceribus et magnatibus,* videtur sumta a Macedonibus, et in usum apud Graecos introducta. Non enim habet analogiam nec terminationem Graecam; nec exemplum suppetit vocabuli sic graece formati. Persico prorsus modo et sono terminatum est. Apud *Tacitum* Annal. XV, 27. *Megistanes* sunt praefecti militum. Usus est hac voce etiam *Suetonius* Calig. 5. et *Seneca* epist. 21. Πρῶτοι autem sunt primores, praecipui magistratus.

25. Μετὰ σπουδῆς) *Cum festinatione;* est enim σπουδὴ a σπεύδω, *festino.* Polybius quoque ita locutus est, ut *Raphelio* ad h. l. observatum est. Θέλω) *Peto,* aut *vel-*

vellem, ut Matth. XXVI, 39. ἐξ αὐτῆς) sc. ὥρας, i. e. παραυτίκα, *e vestigio*, *protinus*. Potuisset enim Herodem poenitere promissi, si executionem ad crastinum distulisset.

26. Οὐκ ἠθέλησεν αὐτὴν ἀθετῆσαι) *Noluit eam reiicere*, i. e. nolebat irritum facere, quod ei promiserat, quum iurasset se ei daturum quodcunque rogasset. Eodem fere sensu ἀθετεῖν est apud *Iosephum*, ut notat *Krebsius* ad h. l.

27. Σπεκουλάτορα) *Speculator*, est vox latina, quae non uno modo sumitur. Dioni Cassio aliquo loco Speculatores dicuntur δήμιοι, i. e. *carnifices*; et in Glossis Speculator non solum κατάσκοπος, sed etiam ὁ ἀποκεφαλίζων exponitur. Rectius tamen intelligitur, *Satelles*. Vid. *Bolten* ad h. l. et FISCHER, de vitiis Lex. p. 489. not. 13.

30. Καὶ συνάγονται — ἐδίδαξαν) Cf. Luc. IX, 10. quem hic sequitur Marcus.

33. Valde corruptus est hic Versus in Editionibus. Varias lectiones exhibet *Griesbachius*, et *Birchius*. *Griesbachius* in sua N. T. editione textum sic exhibet: καὶ εἶδον αὐτοὺς ὑπάγοντας, καὶ ἐπέγνωσαν πολλοί. καὶ πεζῇ ἀπὸ πασῶν τῶν πόλεων συνέδραμον, καὶ ἦλθον ἐκεῖ. SCHOTTUS ita vertit: *At quum discedentes eos* (Iesum et Apostolos) *vidissent, agnovissentque multi, pedestri itinere ex omnibus urbibus eo congregati sunt.* Cf. Matth. XIV, 13. REICHARDUS vulgarem textum secutus, vertit: "Sed quum populus eos traiicientes vidisset, Iesumque multi eorum agnovissent, ex omnibus urbibus, facto concursu, pedibus locum circuibant, *ea quidem festinatione, ut* Iesum cum suis praecurrerent, ac circa *exscendentem* congregarentur." Sed verba, *ea quidem festinatione*, et *exscendentem* ne in recepto quidem textu

ex-

extant. Nec credibile est populum potuisse pedibus praecurrere Iesum cum suis navigantem.

36. Ὥρας πολλῆς γενομένης) Horarum numero iam aucto; quum coepisset iam dies ad noctem appropinquare, maiore illius parte absumta. Matthaeus c. XIV, 15. ἡ ὥρα ἤδη παρῆλθεν, sc. prandii tempus.

37. Ἀπελθόντες ἀγοράσωμεν) Est interrogatio, sed cum admiratione et indignatione coniuncta; hoc enim dicendi genere utimur, quum indignantes negamus aliquid nos esse facturos. *Num abeamus* et emamus etc. Διακοσίων δηναρίων) *Ducentorum denariorum pretio*, Denarius, ut multi putant, constituit quartam partem nostri Imperialis, seu tres grossos. Alii aliter. Quum Christum constet γλωσσόκομον habuisse, et in eo amicorum collatione pecuniae aliquid, tum in suos et duodecim comitum, tum in pauperum usus, verisimile est, fuisse illi hoc tempore, quum ab oppidis in agros velut ibi mansurus aliquamdiu secessisset, denarios ducentos.

38. Καὶ γνόντες, *et quum rem cognovissent*. Γινώσκειν h. l. est *inquirere, investigare, nachsuchen*.

39. Καὶ ἐπέταξεν — χόρτῳ) *Et precepit iis facere, ut omnes discumberent, catervatim (distributis convivantium coetibus,) in viridi gramine.* Συμπόσιον interdum est *compotatio. convivium*, interdum *locus convivii*, interdum autem significantur singuli convivarum ordines, distincti per discubitus, vel sodalitates. Ceterum more Hebraeorum qui adiectivo distributivo carent, idem nomen bis ponitur ad indicandum distributionem. Sic Exod. VIII,10. *colligebant ranas* חֳמָרִם חֳמָרִם *acervos acervos*, h. e. *in multos acervos eas distribuendo*, quod LXX. expresserunt: συνάγαγον αὐτὰς θημωνίας θημωνίας. Vid. etiam Ioel. IV, 14.

40.

40. Καὶ ἀνέπεσον — πεντήκοντα) *Et discubuerunt divisi in viridaria centeni et quinquageni.* Πρασιὰ proprie est *area*, seu *areola in horto*; *locus consitus in horto figura quadam quadrata.* Quoniam vero coetus hominum per gramina discubuerunt ea figura, quam areolae in hortis habere solent, quadrata nimirum, ipsos quoque illos coetus Marcus πρασιὰς appellavit. De geminatione vocis πρασιὰ, idem valet, quod de vocabuli συμτόσιον geminatione v. 39. Voce ἀνὰ Graeci saepe utuntur ad exprimendam distributionem in aequales partes.

43. Καὶ ἀπὸ τῶν ἰχθύων) i. e. καὶ τῶν ἰχθύων τι. Addidit hoc *Marcus* solus; neque tamen, quantum fuerit, putavit exprimendum. Cf. notata ad Matth. XIV, 20.

45. Locus totus ab hoc commate usque ad c. VIII, 21. desumtus est ex Matth. XIV, 23. — XVI, 12.

46. Καὶ ἀποταξάμενος αὐτοῖς) Nimirum τῷ ὄχλῳ. *Quum iis vale dixisset.* Constructio πρὸς τὸ σημαινόμενον, ut infra c. VIII, 1. Ἀπολύσας τὸς ὄχλους est apud *Matthaeum.* Prius Christus Apostolos ablegavit, tum valedixit multitudini, deinde in montem se contulit oratum. Hic ordo est apud Matthaeum, nec dubium, quin idem aliis verbis dixerit *Marcus.*

48. Ἐν τῷ ἐλάυνειν de navi proprie est κωπηλατεῖν, *remigare.* Βασανιζομένους ἐν τ. ἐλ. *iactatos* (huc illuc agitatos) *remigando.* Cf. notata ad Matth. XIV, 25.

51. Λίαν ἐκ περισσοῦ) Quasi dicat Evangelista, tantum abfuisse, ut, quum cognovissent, spectrum non esse, desierint obstupescere, ut etiam multo magis quam antea sint perculsi, quum viderent ventos ac mare ipsius imperio acquievisse. Desunt tamen verba λίαν et ἐκ περισσοῦ in Codd. nonnullis antiquis.

52.

52. Οὐ γὰρ συνῆκαν ἐπὶ τοῖς ἄρτοις) Breviter dictum est, pro: ἐ γὰρ συνῆκαν ἐπὶ τῷ θαύματι τοῖς ἄρτοις γενομένῳ. *Non intelligebant* (potentiam et personam Christi) *post miraculum recenter in panibus editum.* Haec autem vis est praepositionis ἐπὶ Dativo iunctae, ut significet *post posteaquam*, et *recens quoddam factum* indicet, quo sensu saepe occurrit apud Philonem. Alioqui admissa ellipsi paullo insolentiori, τὸ γεγονὸς: ἐπὶ τοῖς ἄρτοις, pro τοῖς ἄρτοις ut c. V, 33. accipiendum sit.

53. Καὶ διαπεράσαντες — προσωρμίσθησαν) *Traiecto igitur lacu veniebant in regionem Genesarethae, et navem appellebant.* Προσορμίζεσθαι *navem appellere*, in stationem subducere, ab ὅρμος *statio navium*, et ὁρμέω, *stationem habeo.*

54. Ἐπιγνόντες αὐτὸν) Subintelligitur, quod expressit Matthaeus, οἱ ἄνδρες τοῦ τόπου.

55. Περιδραμόντες — ἐκείνην) *Percurrentes omnia loca vicinia.* Περιτρέχειν in versione Alexandrina respondet hebraico שוט, circumire, *discurrere.* Ierem. V, 1. Ὅπου ἤκουον, ὅτι ἐκεῖ ἐστι) Ubicunque, i. e. quibuscunque in locis homines audivissent, quod ibi Iesus adesset.

56. Ἀγορὰ. h. l. est *platea*, omnis locus hominibus frequens. De more Veterum exponendi aegrotos in vias publicas vid. PAULUS ad h. l. Ἵνα κἂν τοῦ κρασπέδου κ. τ. λ.) Ut saltem tangere liceret fimbriam vestimenti ipsius, ἐσώζοντο) conservabantur, i. e. recuperabant sanitatem.

CAP. VII.

1. Καὶ συνάγονται — Ἱεροσολύμων) *Tum convenerunt contra eum Pharisaei, et legis peritorum nonnulli, Hierosolymis profecti.* Πρὸς haud dubie h. l. ver-

vertendum est: *contra, adversus*, ut Act. VI, 1. 1 Cor. VI, 1 Ephes. VI, 11. 12. et aliis locis. Nam explorandi et insidiandi caussa hos homines venisse, sequentia docent.

2. Κοιναῖς χερσί) Marcus ipse statim interpretatur, quid hoc significet. Hesychius: κοινόν, βδέλυκτόν, ἀκάθαρτον. Hic significatus τὰ κοινὸς pro *impurus, pollutus* unice ex Hebraico repetendus est; nam LXX. saepe hebr חֹל reddunt κοινόν. ἐμέμψαντο) Deest hoc verbum in Codd. nonnullis et Verss. Tota per odus, per parenthesin (v. 3. 4.) dilatata, sustinetur verbo ἐπερωτῶσιν, v. 5. Nam verbum vel iteratur fin ta parenthesi, vel tum demum ponitur, ut h. loco, fitque connexio per particulas καὶ, δὲ, ἔν et h. l. per ἔπειτα Vide huius constructionis exempla in *Bengelii Gnom.* ad h. l. Hoc non observato, post ἄρτας inseruere nonnulli ἐμέμψαντο.

3. Hoc et sequens comma 4. Marcus addidit illustrationis caussa. Rationem enim habuit suorum lectorum, h. e. hominum a Palaestina remotorum, quibus Palaestinensium Iudaeorum, nominatim Pharisaeorum placita et instituta minus cognita erant. Οἱ γὰρ Φαρισαῖοι — ἐὰν μὴ πυγμῇ νίψωνται) *Pharisaei enim et omnes Iudaei, nisi pugno (crebro) manus laverint, manducare non solent.* De vocis πυγμῇ significatione variae sunt interpretum sententiae, quas *Wolfius* in curis ad h. l. recensuit. Πυγμὴ est *pugnus*, manus in pugnum contracta vel complicata. Sic haec significatio retinetur πυγμῇ erit pro ἐν πυγμῇ, ut sensus sit: Iudaeos solitos esse manum in pugnum compositam altera cava lavare manu, et defricare. Nam apud Iudaeos, ut hodie quoque apud Muhamedanos duplex est modus lavandi manus, scilicet immersio manuum in aquam, et quum una manus abluitur altera. Vid. *Michaelis* ad h. l.

Lati-

Latinus et Syrus prior verterunt *crebro* et *diligenter*. Unde, inquit *Erasmus*, probabile est, in vetustioribus Codicibus scriptum fuisse, non πυγμῇ, sed πυκνῶς, aut πυκνῇ, quod sonat *frequenter*, aut *subinde*. Alii interpretes putant, non manum solum, verum etiam brachium ad cubitum usque lavare Iudaeos consuevisse; quod et significationi πυγμης, quae nonnisi manum contractam denotat, et consuetudini Iudaicae, quae vel digitos solos vel manum solam ad carpum usque lavari iubet, repugnat. *Wetstenius* existimat intelligi πυγμὴν ὕδατος, sive mensuram et pondus aquae adhibendae. Ex praeceptis enim Rabbinorum minimum debebat adhiberi quartarius, sive quarta pars logi, quae continet ovum cum dimidio, sive drachmas aquae circiter viginti septem, quod multis testimoniis probat *Pocokius* in notis ad Portam Mosis p. 361 – 365. Νίπτεσθαι est, aquam manibus affundere, sicut βαπτίζεσθαι, quod mox sequitur, manus aquae immergere.

4. Καὶ ἀπὸ ἀγορᾶς, ἐὰν μὴ βαπτίσωνται οὐκ ἐσθίουσι) Ἀγορὰ, *publica loca*, opponitur domibus. Sensus est: *E foro*, hoc est *publico reversi, nisi laverint manus, cibum capiunt.* Ἀγορὰ enim non tantum significat conventum hominum, vel forum, in quo veneunt res ad victum necessariae, et in quo iudicia exercentur, sed omnino omnia loca foris similia, h. e. plateas et vias urbium atque oppidorum, ut docet *Io. Fr. Fischerus in Prolusa. de vitiis Lexicorum N. T.* p. 277. sqq. Huic interpretationi plerique interpretes favent, ac ipsi quidam Codd. antiqui, post ἀγορᾶς interserentes ὅταν ἔλθωσιν. *Krebsius* illum τῆς ἀπο significatum insolentem aut luculentioribus exemplis confirmandum esse ait, aut ἀπὸ ἀγορᾶς ἐσθίειν accipiendum pro: *res in foro venales edere.* Sed de ea dicendi forma non dubitandum, nec locis pro

ea

ea prolatis probandi vim denegandam esse, *Loesnerus* multis testimoniis confirmat, e. c. Siracid. XXXIV, 27. ubi *βαπτιζόμενος ἀπὸ νεκρῆ* est, *qui se lavat reversus a mortuo curando.* *ἐκ ἐσθίωσι*) Ne per cibum pollutum nova pollutio accedat. Lavabant religionis caussa ante cibum et post cibum, ut docent scripta Talmudica. *παρέλαβον*) קִבְּלוּ, *per traditionem acceperunt.* Relata sunt *παραλαμβάνειν* et *παραδιδόναι*. *ξεστῶν*) *ξέστας* vocarunt Graeci sextarios, quod est nomen mensurae liquidorum; idem *urceus, urceolus.* *χαλκίων*) *χαλκία* sunt *vascula aenea.* Caute hoc dictum, aenea enim abluebantur, testacea frangebantur, si polluta crederentur. *κλινῶν*) *κλίναι*, *spondae*, vel triclinares lecti. Vid. c. IV, 21. *Celsum* XVI, 1. Lectus, cui innixus est seminifluus — in quem vel sederat, vel steterat, vel se reclinaverat aut profluviosa, aut menstruosa, aut puerpera, aut leprosus — immundus erat.

5. Οὐ *περιπατοῦσι*) i. e. *non instituunt vitam*, ex Hebraeorum idiotismo, apud quos הָלַךְ, ambulare, idem valet quod vivere; et *via* dicitur vitae genus quod aliquis tanquam viam sequatur.

8. Ἀφέντες γὰρ — ἀνθρώπων) *Neglecta enim lege Dei, tenaciter sectamini ritus mere humanos.* Ἀφιέναι h. l. est *negligere, remissius observare*, ὀλιγωρῶς ἔχειν, et opponitur τῷ κρατεῖν. καὶ ἄλλα παρόμοια τοιαῦτα) Et alia id genus istis similia, i. e. cerimonias non minus frigidas, quarum pleni sunt Iudaeorum libri. Hunc etiam versum Marcus illustrationis caussa addidit. Cf. supra v. 3. 4.

9. καλῶς) Ironia. Quam bellum hoc est, quod servando a vobis tradita, mandatum Dei reiicitis! καλῶς igitur

tur dictum est per ἀντίφρασιν, *praeclare*, i. e. pessime negligitis legem divinam, eum in finem, ut vestra praecepta observare possitis. Alias aliarum interpretationes vid. apud *Kuinoelium* ad h. l.

10. Γάρ, *exempli caussa*. Cf. Matth. XV, 4.

11. Ἐὰν εἴπῃ — — — ὠφεληθῇς) Κορβᾶν, s. δῶρον h. l. est res Deo ita dicata et consecrata ut nihil utilitatis in alium ex ea redundare possit. *Kirebsio* hic locus sic exponendus videtur: *Si quis dixerit patri aut matri suae: illud Deo iam consecratum et devotum est, quo possis a me iuvari* (neque adeo patrem aut matrem beneficiis afficit) *nullam culpam luet non morietur;* quae ἀπόδοσις ex antithesi v. 10. θανάτῳ τελευτάτω, repetenda est. Non enim insolens est Graecis et Latinis, ut ex antecedente oratione aliquid, sensu contrarium, ἀπὸ κοινοῦ repetant. Opponuntur nimirum hic diserte *praeceptum Dei*, et *traditiones hominum: illud* eum iubet mortis poena afficere, qui parentibus nihil beneficii tribuit; *hae* autem pronuntiant insontes, et mortis poena eos liberant, qui callidis quibusdam et impiis artibus defraudant parentes debitis beneficiis. Cf. Matth. XV, 5.

12. Καὶ οὐκ ἔτι ἀφίετε) Nam qui hoc dicit, quod (v. 11.) Pharisaei dicebant, reipsa non permittit, i. e impedit beneficium. Ποιεῖν h. l. significat *beneficio tribuere*, ut Matth. XXV, 40. Ad v. 14. sqq. vid. Matth. XV, 10. sqq.

19. Καρδίαν) *animum*, ex quo solo delictum nascitur. καθαρίζον) Ante hoc participium cogitando supplerì debet ὅ ἐστι, et haec clausula referenda est ad praecedens enunciatum universum. Similis ellipsis est 2 Tim. II, 14. Καθαρίζειν h. l. significare videtur *removere* expurgando ut Hebr. I, 3. Sensus igitur esse videtur: *Quae res* (hoc, quod

quod omnis generis cibi per os ingesti descendunt in ventrem, et in latrinam deferuntur,) *amovet omne genus ciborum*, qua purorum, qua immundorum, ut igitur cibi pro immundis habiti suam impuritatem amittant. Vid. *Storrii* dissert. exeget. in libror. N. T. aliquot loca, p. 47. sqq.

21. Ἔσωθεν) *intus*, i. e. ex corde, ut mox explicatur.

22. Πλεονεξίαι) Iniusta rei faciendae artificia, studium habendi et circumventio. *Diog. Laert.* L. I. 105. τὴν ἀγορὰν ὡρισμένον ἔφη τόπον εἰς τὸ ἀλλήλους ἀπατᾶν καὶ πλεονεκτεῖν. πονηρίαι) Πονηρία interdum latius sumitur pro omni *vitiositate*. At hic certa est species, *malus animus* ut hebr. רָעָה, *böse Absicht, Tücke*. ὀφθαλμὸς πονηρὸς, *invidia*. Vid. Matth. XX, 15. ἀσέλγειαι) *protervia, petulantia*, germ. *Muthwille*. Coniecturas de derivatione vocis apud Suidam et Auctorem Etymologici M. laudat Wetstenius. ἀφροσύνη) *amentia, imprudentia*; videtur hic esse *incogitantia atque incuria rerum bonarum*, quae maxima delictorum scaturigo est. Cf. Eph. V, 17.

24. Cf. Matth. XV, 21. ss. Εἰς τὰ μεθόρια Τύρου καὶ Σιδῶνος) in confinia Tyri ac Sidonis. Intelligit extremos Palaestinae fines, quibus a Tyro et Sidone, i. e. a Phoenicia dirimitur. εἰς τὴν οἰκίαν) Deest articulus τὴν in multis vetustis exemplaribus, ut sensus sit: *in domum quandam*, Christus enim hic non habitabat, sed Capernaumi οὐδένα ἤθελε γνῶναι) *Noluit innotescere ulli*. Ut insidias Pharisaeorum evaderet, qui Hierosolymis profecti adversus eum convenerant, v. 1. Καὶ οὐκ ἠδυνήθη λαθεῖν, *nec tamen latere potuit*.

26. Ἑλληνίς) Ἕλλην plerumque nomen religionis est, non regionis, et eo nomine vocantur, quotquot idololatrae

sunt, quamvis graeci generis non sint, sed Syri puta, vel Parthi vel Medi vel Arabes vel Indi vel Aethiopes. Quicunque enim Iudaismum non profitebantur, Iudaeis ἕλληνες dicebantur, et totus mundus ab his dividebatur in ἕλληνας et Ἰουδαίους. Idem ergo in libris sacris ἕλλην et ἐθνικὸς Act. XIV, 1. 5. *Salmas.* de Hellenist. p. 218. Inde tamen non sequi, idolorum cultricem fuisse hanc foeminam ad Matth. XV, 22. notavimus. συροφοίνισσα τῷ γένει) Plurimi Codd. habent aut συροφοινίκισσα, aut συραφοινίκισσα. Erat natione, gente, patria Syrophoenissa. Vocatur autem Syrophoenissa, ut distinguatur a Lybophoenissa, sive Poenis, qui Romae notiores erant.

27. Ἄφες πρῶτον χορτασθῆναι τὰ τέκνα) Sine prius Iudaeos impleri beneficiis, ut nihil habeant, quod quaerantur. Tum tempus veniet spargendi coelestia beneficia in gentes alias, quum Iudaeos eorum fastidium ceperit.

29. Διὰ τοῦτον τὸν λόγον) *Quia hoc dixisti*, i. e. propter fidem et fiduciam tuam. Metonymia effecti pro caussa. Per orationem enim significatur fides oratione expressa, ut apud Matthaeum videre est. ὕπαγε) Per parenthesin accipiendum est, ut praecedentia sequentibus cohaereant.

30. Βεβλημένην ἐπὶ τῆς κλίνης) In lecto molliter cubantem sine ulla iactatione.

31. Ἀνὰ μέσον — δεκαπόλεως) *Per tractum Decapoleos*, Ἀνὰ μέσον ex Hebraismo est pro simplici ἀνά. Δεκάπολις, *regio Decapolitana*, ut vocatur a Plinio Hist. Nat. V, 16. nomen accepit a numero decem oppidorum maximorum, quae ibi trans Iordanem in tribu Manassitica sita erant. Vid. Matth. IV, 25.

32. Narrationis huius hoc loco interserendae Matthaeus occasionem dedit *Marco*. Matthaeus scilicet c. XV,

30.

30. 31. multos aegrotos a Christo sanatos fuisse tradit; Marcus vero unius ex ista turba sanationem, additis περιστάσεσι nonnullis, quae notatu prae aliis dignae ipsi videbantur, curatius describit. μογιλάλον) *difficulter loquentem*, impeditae linguae hominem. Vid. *Griesbachii* Comment. crit. ad h. l. Nam sequitur: λαλεῖ ὀρθῶς. Neque obstat, quod infra v. 37. ἄλαλος dicitur homo a Iesu sanatus; nam promiscue utuntur Alexandrini vocibus, μογιλάλος, et ἄλαλος, pro hebr. אִלֵּם, ut patet ex Ies. XXXV, 6. et Ps. XXXVIII, 14. Videtur homo miser casu quodam factus esse *surdus;* nam surdus a nativitate, qui nunquam humanum sermonem audisset, vix et ne vix quidem loqui potuisset, nisi sumas copiam vocabulorum ei subito per miraculum fuisse infusam.

33. Καὶ ἀπολαβόμενος — ἰδίαν) Abduxit eum, acceptum ex eorum, qui eum adduxerant, manibus, ut seorsim a populo, in omnium staret conspectu. καὶ πτύσας — ἁντῆ) *Et sputo irrigavit linguam eius.*

34. Καὶ ἀναβλέψας — ἐστέναξε) *Et oculis in coelum sublatis, ingemuit* Oculos in coelum attollere solent, qui Dei auxilium implorant, eique gratias agunt. Ps. CXXI, 1. 2. Marc. VI, 41. Iesus, miserum istum hominem sanaturus, opem Patris imploravit; quoniam vero non usus est verbis, sed animo tantum et mente praecatus est, ideo *suspirasse* eum Marcus dicit. ἐφφαθά) Vocabulum Syriacum אתפתח, aperire, te ipsum aperi, a radice פתח, aperuit. *Drusius* suspicatur, scriptum fuisse ἐθφαθά, et inde postea factum ἐφφαθά. Quaerunt interpretes, cur Christus non uno verbo sanaverit miserum sed tot ambagibus usus sit? Consentiunt omnes, et est etiam per se clarum, immissionem digitorum in aures, et sputum

linguae admotum nihil fecisse ad sanationem. Respondent autem, monstrare voluisse Iesum, se esse eum, cuius virtute ac potentia clausi meatus auriu n aperiantur, linguaeque vinculum solvatur. Sed ad hoc monstrandum non opus erat externis his signis; nam in oculos incurrebat, hominem, qui fuisset surdus et impeditae linguae, subito per Iesum recuperasse audiendi et loquendi facultatem. Videtur potius Christus eo consilio haec fecisse, ut refutaret calumniam eorum, qui dixerant, eum ope principis daemoniorum patrare miracula. (Vid. supra c. III, 22.) Facile perspicere poterant omnes, eum, qui in conspectu omnium, nullis adhibitis incantationibus vel remediis, Dei omnipotentis auxilio fretus, uno verbo (ἐφφαθὰ) hominem sanaret, alienissimum esse a communione cum principe Daemoniorum.

35. Καὶ ἐνθέως — ἀκοαὶ) *Et statim facultas audiendi ei reddita est.* Phrasis διανοίγειν τὰς ἀκοάς τινὸς, *aperire aures alicuius*, hebraica est. Ies XXXV, 5. καὶ ἐλύθη — αὐτῷ) i. e. *usum linguae recepit*, linguae nodis quasi solutis. Omnia sensuum impedimenta velut vincula quaedam sunt. Μογιλάλοι autem appellati sunt, quorum lingua impedita est, quia vel ulcus sub lingua cicatricem duriorem obduxit, vel etiam membranulis duriusculis lingua est adstricta.

36. Καὶ διεστείλατω — ἔπωσιν) Vid. supra v. 24. ὅσον) pro: καθ' ὅσον, quo magis, μᾶλλον περισσότερον) Pleonasm. Eo magis supra modum.

37. Ἐξεπλήσσοντο) Impersonaliter. Subintelligendum οἱ ἄνθρωποι, qui ista audiebant. Καλῶς πάντα πεποίηκε, *omnia egregie fecit*, et facere solet. Nullus est morbus tam gravis, tam desperatus, quin eum auferri possit.

sit. Ἄλαλος h. l. est *difficulter* loquens, v. 32. ut ἀδύνατον non solum quod ullo modo fieri nequit, sed etiam quod arduum et *difficile* est, significat.

CAP. VIII.

1. Eadem historia legitur Matth. XV, 29. ss. Ἐν ἐκείναις ταῖς ἡμέραις, postquam nimirum Iesus e finibus Tyriorum et Sidoniorum egressus erat, et se ad mare Galilaeum receperat.

2. Ἡμέρας τρεῖς) Plurimi Codd. habent ἡμέραι. Nominativus temporis, subaudito *est* vel *sunt*, absolutam locutionem facit. Vocibus ἡμέραι τρεῖς addunt verba: εἰσὶν, ἀπὸ πότε ὧδε εἰσιν, Cod. Cantabrig. Veron. Verc. Corb. Vind. Colb.

3. Εἰς οἶκον αὐτῶν) in domum, scilicet suam unumquemque. ἥκασι) Omnino vera est haec lectio. Verbum ἥκω iam in praesenti tempore *veni* potius et *adsum*, quam *venio* significat. Hanc verbi vim non videntur considerasse, qui ἥκασι substituerunt

10. Δαλμανεθά) Quod alii libri pridem habuerunt Μαγεδάν aut Μαδαγαδά, interpretamentum est ex Matthaeo. Cf. Matth. XV, 39. *Lightfootus* coniicit, eundem esse locum, qui in *Celaim* IV, 9. et alibi vocatur Zalmon.

11. Συζητεῖν αὐτῷ) *disputare cum eo.* Mos antiquissimus disputandi erat per interrogationes. Hinc factum, ut συζητεῖν dicatur *disputare*. Cf. Matth. XVI, 1. seqq.

12. Καὶ ἀναστενάξας τῷ πνεύματι αὐτοῦ) *Suspiria duxit ab imo pectore*, ut loquuntur Latini Poetae. Nam πνεῦμα h. l. est animus humanus. τί, pro διατί. Εἰ δοθήσεται) *Non dabitur.* Hebraica est haec significatio par-

particulae ם־, ut Deut. I, 35. 2 Reg. III, 14. quae in formulis iurandi locum habet. Subaudiendum est ante εἰ aliquid, e. g. Ζῶ ἐγὼ, Ezech. XVIII, 3. 2 Sam. XI, 11. σημεῖον) Repetendum ἀπὸ τῆ κοινῆ quod praecessit ἀπὸ τῆ ἑρυθρῆ.

14. Καὶ ἐπελάθοντο λαβειν ἄρτες) *obliti erant* (discipuli) *sibi prospicere de cibo.* Post ἐπελάθοντο addit οἱ μαθηταὶ cod. Cantabrig. cum iunioribus codd. καὶ εἰ μὴ — πλοίῳ) *Nec nisi unum panem habebant secum in navigio.* Cf. Matth. XVI, 5. sqq.

15. Βλέπετε — Ἡρῴδε) *Cavete vobis a fermento Pharisaeorum et Herodis. Matthaeus* cap. XVI, 6. nominat Pharisaeos et Sadducaeos nulla Herodis mentione facta. Marcus, qui omittit Sadducaeos, et Herodem nominat, praeter Herodem sine dubio etiam Herodianos, i. e. Iudaeos Herodi Antipae addictos, in primis aulicos et ministros eius in mente habuit. Quaeritur igitur, cur Marcus Pharisaeis adiunxerit Herodem et Herodianos. Scite monet *Bengelius* in Gnomone ad h. l. omnium fermentum fuisse hypocrisin. Herodes *vulpes* nominatur, Luc. XIII, 31. Sperabat Iesum, vinctum et captivum ad se adductum, miraculum editurum esse, Luc XXIII, 8. ut re nova et oculos et animum pasceret, in eo plane similis Pharisaeis et Sadducaeis. Alia ratione Evangelistas conciliare conatur *Kuinoelius* in Commentar. ad h. l.

17. 18. Vid Matth. XVI, 8. Ἔτι πεπωρωμένον ἔχετε τὴν καρδίαν ὑμῶν; etiamnum animus vester stupidus est? Ὀφθαλμὰς ἔχοντες οὐ βλέπετε;) Alibi huiusmodi phrasibus perversitas notatur, obstans docilitati; hic vero incogitantia discipulorum, qui non satis attentum animum haberent ad ea consideranda, quae ab ipso fiebant. Quum

verba

verba mea vestris auribus insonent, miracula praestringant oculos, neutra in animum admittitis.

19. Ἔκλασα) *distribui;* Hebraismo satis noto. Ies. LVIII, 7. coll. Ezech. XVIII, 7.

21. Πῶς οὐ συνίετε;) i. e. Qui fiere potest, ut tam aperta tamque manifesta non intelligatis?

22. Hanc historiam solus Marcus habet. De caussis, cur haec coeci cuiusdam hominis sanatio tanti momenti visa sit Marco, ut eam libro suo insereret, *Griesbachius* in Progr. saepe laudato (p. 14. s.) repetito in Commentat. theologicis a *Velthusenio Kuinoelio et Ruperti* editis, Vol. I. p. 386. sqq. docte disputat. Sed vix certi aliquid definiri poterit. Εἰς Βηθσαϊδάν) Duo in Palaestina fuerunt huius nominis vici, qui et aedium multitudine et incolarum frequentia formam et speciem oppidorum referrent. Unus, qui a Ioanne c. XII, 21. diserte Βηθσαϊδὰ τῆς Γαλιλαίας dicitur, in Galilaea inferiore, propter litus occidentale lacus Genesaret, positus fuit; cuius mentio fit Matth. XI, 21. coll. 23. Luc. X, 13. coll. 15. Alter huius nominis vicus in Gaulanitide inferiore ad orientale Genesarae litus erat positus, quem Philippus, tetrarcha incolis ita auxit, ut in oppidis numeraretur, et mutato nomine pristino, Iulias, in honorem Iuliae, imperatoris Augusti filiae, appellaretur. Vid. *Ioseph.* Archaeol. Lib. XVIII, c. 2. §. 1. Atque de hoc vico h. l. est sermo. Ἵνα ἅψηται) *Ut eum tangeret,* eique tangendo oculos visum redderet.

23. Cur Christus coecum e vico vel oppido eduxerit, non liquet. Fortassis impedire voluit, quo minus turba confluereret, quum nulla interposita mora, quoniam Pharisaeos sibi insidias struere animadverterat, inde discedere vellet. Nam Bethsaida, s. Iulias media fere interiacet inter

ter Dalmanutham seu Magdalam (v. 10. coll. Matth. XV, 39.) et Caesaream Philippi (v. 27.) Qua propter eadem nave, qua advenerat v. 10. reversus videtur eo, unde venerat, hoc est in desertum, v. 4. quod erat desertum Bethsaidae, Luc. IX, 10. ubi bis panes distribuerat populo. Marc. VI, 35. et cap. VIII, 1 coll. cap. VII, 31. Καὶ πτύσας εἰς τὰ ὄμματα αὐτοῦ. Vid. dicta ad c. VII, 33. s. Simile quid de *Vespasiano* narrant Suetonius V. Vespas. c. VII. et Tacitus Hist. IV, 81. Sed omnis illa res ficta esse videtur.

24. Καὶ ἀναβλέψας) *Et oculos attollens*; nam ἀναβλέπειν hic non denotat, videndi facultatem amissam recuperare, ut alibi saepe, sed exprimit ipsum coeci gestum et habitum, oculos attollentis et explorantis, ecquid oculorum aciem recepisset. βλέπω τοὺς ἀνθρώπους ὡς δένδρα περιπατοῦντας) *Video homines instar arborum ambulantes.* Sensus est: coecum istum potuisse motum hominum percipere, non autem formam ipsam distinguere, quasi diceret: Video homines incedentes, sed proceros ut arbores. Non itaque a nativitate coecus fuisse videtur.

25. Καὶ ἐποίησεν αὐτὸν ἀναβλέψαι) *fecitque ut* (denuo) *oculos attolleret*, i. e. iterum iussit, ut reipsa exploraret, an perspicue iam cerneret. Particula πάλιν est repetenda ἀπὸ τοῦ κοινοῦ. τηλαυγῶς) *clare, dilucide.* Hesychius; τηλαυγῶς, λαμπρῶς. ἅπαντας) Praeferenda videtur lectio ἅπαντα, quam Codd. multi et Verss. exhibent.

26. Εἰς τὸν οἶκον αὐτοῦ) Videtur in agro habitasse. τινὶ ἐν τῇ κώμῃ) Sensus est: μηδὲ εἴπῃς τινὶ τῶν ἐν τῇ κώμῃ, sc. οἰκούντων. Non modo vetat eum ire in oppidum, sed et, si quis oppidanorum alibi ei fiat obvius, rem narrare prohibet.

27.

27. Ab hoc versu usque ad c. IX, 50. Marcus potissimum vestigia premit Matthaei c. XVI, 13. — XVIII, 9. collato tamen Luca.

30. Περὶ αὐτοῦ) Illud, se esse *Messiam*. Nam veri doctorem, et prophetam se dici ab Apostolis volebat; Messiam vero se esse paucis dixit, nolens id ipsum publice divulgari ante resurrectionem suam. Marcus ea, quae hac occasione in laudem Petri dicta, et a Matthaeo relata sunt, praetermittit: ea contra, quae Petro parum erant honorifica, plenissime narrat.

31. Ἀποδοκιμασθῆναι) *Repudiari*. Allusio ad locum Psalmi CXVIII, 22. cuius saepe meminerunt Christus eiusque Apostoli. Ibi in Hebraeo est מָאַס, quod Hellenistae modo vertunt ἀποδοκιμάζειν, modo ἐξουθενεῖν. Varia contemtus genera expertus est Christus. Summus gradus fuit, quum a synedrio, tanquam indignus Iudaei nomine, traditus est Romanae potestati. μετὰ τρεῖς ἡμέρας ἀναστῆναι) h. e. *tertio die*, seu *intra triduum*. Profani quoque Auctores τὸ μετὰ eodem modo usurpant, et hoc cum sacris commune habent, ut annum diemque inceptum et adhuc currentem pro completo et exacto numerent. Indubitatis e Iosepho exemplis eam vim praepositionis certiorem dedit *Krebsius*, et ante ipsum *Fischerus* in Animadv. ad Gram. Vuell. p. 375. ubi Scholiastae Aristophanis ad Plut. auctoritate docet, hanc dicendi formam, ut μεθ' ἡμέραν dicatur pro ἐν ἡμέρᾳ, Atticis scriptoribus propriam esse. Sic et *Philo* saepe usurpat, ut *Loesnerus* ostendit.

32. Παῤῥησίᾳ) Sermone minime ambiguo vel obscuro, sine involucris, simplici, ac nuda oratione, non per figuras ut antea. Cf. Matth. XVI, 22. sqq.

38. Ὃς γὰρ ἂν ἐπαισχυνθῇ με καὶ τοὺς ἐμοὺς λόγους) *Si quem pudeat profiteri me et doctrinas meas.* Est enim hic ἐπαισχύνεσθαι *agnoscere aliquem nolle*, quod abiectae eius sortis nos pudeat, ut Rom. I, 16. ἐν τῇ γενεᾷ — μοιχαλίδι) *In gente hac adulterina et improba.* Vid. dicta ad Matth. XII, 39. καὶ ὁ υἱὸς — αὐτὸν) *Eum vicissim Messias non agnoscet pro suo;* nihil igitur beneficii ei tribuet. Ad sequentia quod attinet, vid notata ad Matth. XVI, 27.

CAP. IX.

1. 2. Cf. notata ad Matth. XVI, 28. et cap. XVII, 1. sqq. et Luc. IX, 28. seqq.

3. Οἷα γναφεὺς ἐπὶ τῆς γῆς οὐ δύναται λευκᾶναι) *Quam candida nullus in terris fullo fecerit.* Non dissimile loquendi genus apud *Horatium*: Animae quales neque candidiores terra tulit.

6. Λαλήσῃ) Legendum videtur λαλῆσαι, ut Codd. nonnulli habent. Vult enim dicere Marcus nesciisse Petrum quid sibi dicendum esset.

10. Καὶ τὸν λόγον — ἑαυτοὺς) Κρατεῖν, *apprehendere, tenere* et κρατεῖν τὶ πρὸς ἑαυτόν, *etwas bey sich behalten*, in mente recondere, *perpendere*. Verto: *animo retinuerunt rem*, meditati sunt, quid hoc esset, quod Iesus de resurrectione sua dixerat; quod statim aliis verbis exprimitur: Συζητοῦντες τί ἐστι, τὸ ἐκ νεκρῶν ἀναστῆναι) *Disputantes, quid esset illud ex mortuis resurgere?* Quum Pharisaicis opinionibus essent imbuti de terrestri Messiae regno, et Eliae adventu, non poterant capere quod Christus dixerat de singulari illa et peculiari sua resur-

surrectione ex mortuis, tertio die futura. Nec mortem eius, nec doctrinam de passione in universum admittebant.

11. Ὅτι λέγουσιν) *Cur, quare?* Grotius ὅτι pro hebr. כִּי positum, et Hebraismis Marci annumerandum esse existimat. Sed Krebsius observat, τὸ ὅτι apud Iosephum etiam, aliosque Auctores, e. g. Aristophanem et Lucianum denotare *cur, quare.* Est autem ὅτι pro τι ὅτι, aut διὰ τί, ut infra v. 28.

12. Ἠλίας — ἐξουδενωθῇ) Secundum Grotium sensus est hic: Si verum est, Eliam omnia restituturum, i. e. quemadmodum legisperiti interpretantur, effecturum, ut a populo omni Iudaico Messias gratis animis accipiatur, quomodo igitur constabit fides aliis vaticiniis, quae ostendunt, fore ut Messias multa patiatur, (quod apertissime dixit Iesaias,) et reiiciatur a primoribus populi? ἐπὶ τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου) inusitatius; i. e. *pertinens ad filium hominis.* Sic igitur verto: *Elias quidem venire et omnia restituere* (emendare) *debet*, (sc. ex sententia Pharisaeorum,) *sed* (καὶ) *quomodo* (cur) *scriptum* (praedictum) *est, fore, ut Messias vexetur et contemnatur?*

13. Ἀλλὰ λέγω ὑμῖν, ὅτι — ἐπ ἀυτὸν) *Sed dico vobis: Elias iam venit; at* (Iudaei) *tractarunt eum pro sua libidine, sicut de eo scriptum est. Elias*, similis Eliae, Ioannes baptista, qui animos popularium emendare voluit. Sed Iudaei eum omni genere iniuriae affecerunt. *Sicut de eo scriptum est.* Non meliorem sortem expertus est, quam ille, cuius historiam in V. T. libris legimus. Matth. XI, 18.

14. Καὶ ἐλθὼν — συζητοῦντας αὐτοῖς) *Reversus ad discipulos*, sc. reliquos, qui eum non in montem comitati erant. Legisperiti cum iis disputabant, iisque insultabant, quod hominem comitiali morbo laborantem sanare haud

haud potuerint; ut Marcus in sequentibus narrat. Cf. Matthaei XVII, 16.

15. Καὶ εὐθέως — ἐξεθαμβήθη) *Populus autem universus, ut* praeter spem *vidit Iesum, obstupuit.* Iesus enim se cum paucis subduxerat, v. 2. Quum ergo populus eum inopinato adventantem cerneret, obstupuit. Ceterum Marcus totam hanc historiam v. 14—29. brevius traditam a Matthaeo et Luca, παραφρασικῶς exprimit, ac planius et distinctius exponit.

16. Ἐπηρώτησε αὐτὰς) Haec enim lectio praeferenda est vulgari: τὰς γραμματεῖς. Interrogavit nempe Christus non tantum legis doctores, sed etiam discipulos.

18. Ῥήσσει αὐτὸν) *Allidit solo, affligit eum.* Sic Glossaria antiqua hoc verbum interpretantur, et sic rectissime vertit *Vulgatus.* τρίζει τὰς ὀδόντας) κατὰ τὰς ὀδόντας, stridet dentibus suis ille nimirum δαιμονιζόμενος. ξηραίνεται, fit aridus, tabescit, ut pro mortuo iaceat.

19. Ὁ δὲ — αὐτοῖς λέγει) Αὐτοῖς pro αὐτῷ habent codices et versiones optimae notae. Dixit Iesus haec et discipulis, et aliis praesentibus.

20. Καὶ ἰδὼν αὐτὸν, εὐθέως τὸ πνεῦμα ἐσπάραξεν αὐτὸν) *Et quum puer conspexisset Iesum, statim daemon illum huc illuc iactavit.* Perterritus nempe tanti viri, indignabundi et velut minitantis aspectu gravem morbi accessionem sensit. Σπαράσσειν in hoc et similibus locis de convulsione et vehementiori corporis commotione usurpatur, quam Graeci σπαραγμὸν, frequentius autem, σπασμὸν dixerunt. Καὶ πεσὼν — ἀφρίζων) *Et humi lapsus, volutavit sese, spumans.* Epilepticum fuisse puerum, facile intelligitur.

23. Τὸ, εἰ δύναται πιστεῦσαι) *Si potes confidere* mihi; tum sc. tibi opem ferre possum. Nam respicitur ad verba

verba patris, v. 22. εἴ τι δύνασαι. Articulus praepositivus, genere neutro adhibitus, non solum interrogationibus, sed unicuique sententiae praeponitur, sequentemque adeo sententiam indicat. Neque sacri solum, sed profani etiam scriptores illud τὸ ita eleganter adhibent, quod exempla a Krebsio allata probant. Alias aliorum interpretationes vid. apud *Kuinoelium* in Commentar. ad h. l. Πάντα δυνατὰ τῷ πιστεύοντι, sc. ei, qui credit, me posse sanare aegrotos, et miseris opem ferre.

24. Βοήθει μοι τῇ ἀπιστίᾳ) *Quod fiduciae meae deest, bonitate tua supple.* Nam ut augmentum fiduciae ab Iesu speraverit, et quidem subito, vix credibile est.

25. Ὅτι ἐπισυντρέχει ὄχλος) *turbam simul accurrere*, ad ipsum scilicet Iesum, quid futurum esset expectantem, ut plenius exposuit Syrus interpres. ἐγὼ σοι ἐπιτάσσω) Emphatice. Ego, qui sum Dominus, longe maiori auctoritate praeditus, quam discipuli mei. κἀμηκέτι εἰσέλθῃς εἰς αὐτὸν) Nisi hoc adiecisset, suspicioni locus fuisset relictus, paroxismum nunc quidem sponte cessaturum, sed expleto mense esse rediturum.

26. Historia huius paroxysmi ideo narratur, ne diceretur iam ante sanatus fuisse quam ad Christum accessisset.

28. Ὅτι) Pro τί ὅτι, aut διὰ τί, ut habent Codd. nonnulli. Alii habent ὅτι διατί. Ad sequens comma vid. annotata ad Matth. XVII, 21.

30. Παρεπορεύοντο διὰ τῆς Γαλιλαίας) *praeteribant Galilaeam.* Nam διέρχεσθαι, παρέρχεσθαι, παριέναι, παραπορεύεσθαι διὰ τόπου τινός, saepe Graecis non *per locum aliquem transire*, sed *locum aliquem praeterire* denotat, quo sensu haec Phrasis etiam apud Iosephum occurrit, ut observat *Krebsius* ad Luc. XVII, 8.

34. Τις μείζων) Scilicet inter ipsos; id enim tacita primum cogitatione, deinde et verbis inter se agitaverunt. Cf. Matth. XVIII, 1. ss.

36. Ἐναγκαλισάμενος) i. e. δεξάμενος εἰς τὰς ἀγκάλας, quod Homero est ἀγκὰς ἑλεῖν. *Amplexatus est puerum.*

37. Ἐν τῶν τοιούτων παιδίων) Metaphora ex comparatione. Pueros enim vocat, qui puerorum instar ab ambitione et similibus vitiis vacant. cf. Matth. XVIII, 5. ἐκ ἐμὲ δέχεται) μόνον ex interpretamento adiectum; sed frequenter solet in huiusmodi bimembri oratione subaudiri. Alibi similis ellipsis per *tam* et *quam* exprimitur.

38. Τῷ ὀνόματί σου) *te nominato*, auxilio tuo fretus. Formula enim erat exorcismi: *In nomine Iesu Nazareni egredere*, ut et in sanationibus. Non iussu Christi, sed fretus Christo daemonia eiecit. ὃς οὐκ ἀκολουθεῖ ἡμῖν) Non se adiungit nostro comitatui, neque profitetur se tui gregis. καὶ ἐκωλύσαμεν αὐτὸν) *Et interdiximus.* Quo animo haec Ioannes dixerit, difficile est definire. Videtur illorum verborum, ἐπὶ τῷ ὀνόματί μου (v. 37.) similitudine cum auctione hominis illius, qui ἐν τῷ ὀνόματι χριστοῦ daemonia exturbaverat, in hanc ipsam narrationem incidisse, et interrogasse Iesum eo consilio, ut vel se defenderet ab iniquitatis suspicione, vel, quid Christo de ea re videretur, percunctando eliceret. Videtur autem ista quaestio Ioannis aliquid arrogantiae continere. Nam Apostoli paullo ante de praecipuo honore contenderant, ipseque Ioannes in simili plane caussa talem a Christo honorem petierat. Infra c. X, 35. sqq. Porro ex verbis Ioannis: *cohibuimus eum, quoniam non sequebatur NOS*, facile agnosci potest, eum aliqua fuisse invidentia ductum propter ea quod Christus facultatem miraculorum solis Apostolis et discipulis LXX, tanquam aliquid praecipui dedisset.

Scita

Scita haec est Io. Aug. Noesselti observatio, Opusc. Fascic. I. pag. 7. sqq. De lectionis varietate vid. *Griesb.* Comment. crit.

39. Καὶ δυνήσεται ταχὺ) Hoc δυνήσεται moraliter intelligendum. Vix enim reperietur homo tam vanus, qui sub idem tempus sit obtrectaturus ei, cuius nominis vi adversum daemonas utitur. Non potest fieri, ut is, qui auxilio meo fretus daemonia eiicit, paullo post me fraudatorem esse dicat.

40. Καθ' ὑμῶν, ὑπὲρ ὑμῶν) Ita optimi Codices, et multae Versiones, non ἡμῶν. Proverbium erat usu communi tritum, quod prima, an secunda, an tertia persona efferatur, nihil refert. Nam indefinita oratio est, ad quosvis pertinens. Qui nos non oppugnat, inquit Christus, is nos propugnat. Qui non aperte hostis noster est, is est in numero amicorum et defensorum nostrorum; idem est, ac si in coetu nostro esset. Ergo homo iste, qui in nomine meo daemonia eiecit, non erat cohibendus, vel contemnendus a vobis, sed potius laudandus, et ad maiora excitandus.

41. Ὃς γὰρ ἂν ποτίσῃ ὑμᾶς — μισθὸν αὐτοῦ) *Qui vobis vel aquae poculum porrexerit mea caussa, quod Messiam colitis, profecto praemio suo non carebit.* Vocula γὰρ videtur aliquam cum superioribus cohaerentiam requirere. Nec obstat, quod alio tempore *Matthaeus* ista recitat. Nam ut aliis sapientibus, ita Christo sententiae quaedam erant adeo familiares, ut eas saepe repeteret. Dixerat Christus, hominem illum, cohibitum a discipulis, non fuisse contemnendum. Addit iam, ut id confirmet, etiam minima beneficia a quovis homine, etiam non rectae fidei, negotio Evangelii impensa, suam mercedem habitura, et contra non impune laturum, qui vel mini-

minimum ei negotio impedimentum attulerit. *ἐν τῷ ὀνόματί μου, ὅτι χριστὸς ἐστε*) Optimi Codd. habent: *ἐν ὀνόματι, ὅτι χριστὸς ἐστε*. Secundum utramque lectionem sensus est: *mea caussa*, atque ideo, quod mei estis discipuli et ministri.

42. Καὶ ὃς — θάλασσαν) Sensum verborum explicavimus ad Matth. XVIII, 6. Ceterum videntur haec Christi verba esse pars colloquii cum Ioanne. Declarant enim planissime contrarium illis, quae Iesus v. 41. proposuerat. Quomodo vero Christus inciderit in hanc admonitionem, aut quo sensu *τὸ σκανδαλίζειν* usurparit, facile e contextu intelligitur. Quum nempe Iesus eum, qui nomine Christi daemonia exturbasset, a suis partibus stare declarasset (v. 40.) eandemque cum Apostolis caussam propagare, itemque castigasset Ioannem qui illius cohibuisset studia: profecto ille erat *εἷς τῶν μικρῶν τῶν πιστευόντων εἰς χριστὸν*, *unus credentium in Christum*, quanquam fuerat ab Apostolis contemtus, qui facile tali acerbitate Apostolorum irritari poterat et averti a studio propagandi nominis Christi, omninoque a Christi caussa alienior fieri. Vid. *Noesselt* l. c. p. 15. seq. Quae a v. 43 — 48. leguntur alio tempore a Christo dicta sunt. Cf. Matth. XVIII, 8. sqq.

44. Ὅπου ὁ σκώληξ αὐτῶν οὐ τελευτᾷ, καὶ τὸ πῦρ οὐ σβέννυται) *ubi nunquam deerunt vermes rodentes, nec ignis extinguitur*, i. e. in loco supplicii, ubi nunquam deerit materia cruciatuum. Verba translata sunt ex Ies. LXVI, 24. ubi de supplicio, quo contumaces in hac vita afficiendi essent, sermo est, ad describendum more Iudaeorum iudicium vitae alterius. Locus damnatorum comparatur campo, ubi cadavera proiecta a vermibus arrodantur, vel igni cremantur. Cf. Iudith. XVI, 17. *δοῦναι πῦρ καὶ σκώληκας εἰς σάρκας αὐτῶν.*

49. Πᾶς γὰρ πυρὶ ἁλισθήσεται) *Quivis enim (horum hominum,) perpetuo igni cruciabitur.* Πᾶς hic est *quivis*, et subintelligendum est ἀυτῶν, ut significetur quilibet eorum, de quibus Christus egit hactenus, qui scilicet pravis affectibus indulgent. πῦρ h. l. est *ignis infernalis*, consueta imago poenarum aeternarum; et ἁλίζεσθαι πυρὶ est igne tanquam sale conspergi, i. e. uri, cruciari. καὶ πᾶσα θυσία ἁλὶ ἁλισθήσεται) *Sed quaevis victima sale condietur*, vel condiri debet; i. e. quivis homo Deo consecratus sale verae sapientiae praeparari debet ad aeternam felicitatem. Nam *sal* et apud Profanos Scriptores saepe ponitur pro *sapientia*. Hoc autem loco *doctrina Christi* quae summa est sapientia ita vocatur. Hebr. ו h. l. significat: *sed*. πᾶσα θυσία metonymice est omnis homo, qui tanquam victima Deo est consecratus. Rom. XII, 1. Non igitur opus est *Ios. Scaligeri* aliorumque coniecturis, de quibus vid. Bowyer ad h. l. Aliter hunc locum explicat *Adamus Frider Kühnius* in *Spicilegio observationum e Philone Alexandrino*. Ex eius sententia haec verba ad narrationem v. 38. sqq. respiciunt, ideoque ad XII. Apostolos tantummodo pertinent, quibus Iesus auctor est, ut, si vellent principes religionis novae esse praecones, vitiis omnibus et invidia fortiter succisis, virtutem omnem Apostolicam, inprimis vero *constantiam* et *concordiam* alerent. *Kuinoelius* in Commentario hoc comma non cohaerere cum iis quae praecesserant, arbitratur, imo continere effatum a Iesu alio tempore prolatum, putat tamen illud ad solos Apostolos pertinere, et sensum ita constituit: *Quilibet vestrum calamitatibus, vexationibus veluti saliri, emendari, praeparari debet,* (quo consequatur salutem,) *sicut omnes oblationes sale condiri, praeparari debent, quo sint oblationes Deo acceptae.* Alias

aliorum sententias de huius loci sensu enarravit et examinavit D. Henr. Augustus Schott, nunc Prof. Th. Ienensis in Progr. Wittenbergensi a. 1812. scripto: *Examinantur diversissima interpretum iudicia de sensu effati Iesu Christi*, quod in ev. Marci c. 9. v. 49. *legitur, apte constituendo*, et suam loci vexati interpretationem subiunxit, quae ita se habet: *quivis illorum hominum, (qui supplicio Geennae sunt obnoxii) nunc demum hoc igne, (s. per hunc ignem,) sale (quod ipsis in vita terrestri versantibus defuit) imbuetur*, (i. e. nunc demum poenis vitae futurae discet resipiscere.) *Alio sensu illi salientur, quam victimae Deo sacrae, de quibus illo loco* Levit. II, 13. *scriptum legitur: victima quaevis sale est conspergenda.* His enim similes sunt homines in hac vita terrestri animis suis sapientiae divinae sale imbuendis prospicientes, qui Deo studeant probare. *Sie alle (die zur Strafe Verurtheilten) werden dort erst, mit dem Feuer der Gehenna, gesalzt werden, (d. h. sie werden nun erst durch Schaden klug werden.) Ich sage mit Feuer gesalzt, nicht mit Salz, wie die Gottgeweyhten Opfer, von denen es dort heist: jedes Opfer soll mit Salz gesalzt werden. (Eine ganz andere Bewandnifs hat es mit den Gottgeweyhten Opfern im Tempel, und den, ihnen aehnlichen Gottgeweyhten Seelen; sie empfangen hier das Salz der Weisheit*; sie darf nicht erst das Feuer der Gehenna salzen.) Quid de hac nova et ingeniosa interpretatione statuendum sit, alii viderint.

50. Καλὸν τὸ ἅλας) Salis facta mentione, aliam obiter Christi sententiam Marcus adiicit, similem ei, quae legitur Matth. V, 13. Cf. quae ibi annotavimus. Ἔχετε ἐν ἑαυτοῖς ἅλας) Hic iterum, ut v. 49. sal est *sapientia*, et

et ἔχειν pro κατέχειν. Retinete veram sapientiam, i. e. eam doctrinam, quam vobis ex parte iam tradidi, et porro tradam. καὶ εἰρηνεύετε ἐν ἀλλήλοις) *Et pacem colite inter vos*; ne scilicet vis et efficacia doctrinae meae in animis vestris impediatur. Videtur Christus his verbis respicere ad ea, quae v. 34. de disceptatione discipulorum, quis in regno Messiae maximus esset futurus, dicta erant.

CAP. X.

Omittit Marcus prolixiorem Christi orationem apud Matthaeum c. XVIII, 10—35. et ea quae sequuntur apud Lucam c. IX, 51. — XVIII, 14. Continentur enim iis, qua partem maximam, orationes Christi verbosiores, quibus paucae tantum de rebus a Christo gestis narratiunculae adspersae sunt. Quae apud Marcum sequuntur a v. 1—12. huius capitis, desumta sunt ex Matth. XIX, 1—12.

1. Διὰ τὸ πέραν τοῦ Ἰορδάνου) i. e. διὰ τὸ τόπου ὄντος πέραν τοῦ Ἰορδάνου, per illam partem regionis, quae est trans Iordanem, i. e. per *Peraeam*. Vid. tamen Pauli Commentar. Tom. II. p. 723. et Griesbachii Commentar. crit. ad h. l.

2. Ἀπολῦσαι) Scilicet quavis de caussa, quod Matthaeus expressit, c. XIX, 3. Nam aliqua de caussa posse non dubitabant.

3. Ὁ δὲ ἀποκριθεὶς) Quum Mosis auctoritatem afferrent pro divortiorum promiscuo iure, Christus urget, ut ipsa verba Mosis recitent.

5. Τὴν ἐντολὴν ταύτην) ἐντολὴ generali significatu *leges quascunque*, etiam *permittentes*, significat. Praecipue autem intelligendum est mandatum de scribendo divortii libello, si quis pro sua duritie non posset ferre uxo-

rem, Neque enim Moses praeceptum dedit de repudiandis uxoribus, sed permisit divortia, ita tamen ut uxoribus contra inflexibilem maritorum duritiem prospiceret.

11. Ὃς ἐὰν — ἄλλην) Matthaeus c. XIX, 9. addit: ἐι μὴ ἐπὶ πορνείᾳ. Μοιχᾶται ἐπ' αὐτὴν) Adversus illam, quam scilicet repudiavit, adulter est, nimirum altera consuescens, quam duxit. Ἐπὶ, *contra, adversus.*

12. Καὶ ἐὰν γυνὴ ἀπολύσῃ τὸν ἄνδρα αὐτῆς, καὶ γαμηθῇ ἄλλῳ, μοιχᾶται) Magna h. l. est lectionis varietas, de qua consuli potest GRIESBACHIUS in Commentar. critico. Occidentalium lectio: ἐὰν γυνὴ ἐξέλθῃ ἀπὸ τοῦ ἀνδρὸς, καὶ γαμηθῇ ἄλλῳ, exorta est e studio mitigandi phrasin duriorem et parum, ut videbatur, adaptatam rei: ἡ γυνὴ ἀπολύει τὸν ἄνδρα. Videntur tamen verba ἐὰν ἀπολύσῃ omnino vertenda esse: *si deseruerit.* Nam *repudiare* maritum uxor non poterat. Non eadem divortiorum licentia data fuit Iudaicis uxoribus, quae maritis. Matthaeus novies loquitur de marito repudiante uxorem, de uxore maritum repudiante ne semel quidem. Nam potiora fuerunt iura mariti quam uxoris; quod inde etiam manifestum est, quia uxor iure et consuetudine Iudaeorum erat in potestate mariti. Porro uxor cum iuvene rem habens adulterii erat rea et morte punienda; non item vir rem habens cum innupta; quod etiam apud veteres Christianos obtinuit. Ex eo autem, quod Christus de viris uxores repudiantibus dixerat, Marcus infert, multo scelestius esse, si mulier virum deserat. Quod et Romanis, quibus Marcus scripsit, licitum, et tum temporis, licentia supra modum grassante, familiare erat, postquam Messalina, Claudii Imperatoris uxor, Claudio vivente, Silio publice nupserat, et ipse Claudius Octaviam Caesaris filiam, L. Silano a patre despon-

sponsatam, Neroni collocaverat. *Tacitus* Annal. L. XI, 27. XII, 3. 9.

13. Marcus ab hoc commate usque ad c. XII, 38. ducem sequitur Matthaeum, cap. XIX, 13. — XXIII, 1, et praeterit ea, quae Lucae sunt peculiaria, velut Luc. XIX, 1—28. Sed Lucas ipsi praesto fuit, e. g. Marc. X, 15—29.

15. Ὃς ἐὰν — εἰς αὐτὴν) *Nonnisi pueri indole praeditus particeps fieri potest beneficiorum in regno Messiae expectandorum.* Cf. notata ad Matth. XIX, 14. *Noesselt* Opusc. Tom. I. p. 24. sqq. commata 14. 15. ita παραφράζει: „Nolite a me arcere infantes; nam qui similem cum iis sortem subierit, ut per meae disciplinae susceptionem plane novus homo sit factus, is demum obtinebit regnum Dei. Profecto dico vobis, nisi quis repuerascat quasi atque hac lege regno Dei potiatur, nunquam illud adipiscetur. Quare, quum infantes (ob animi docilitatem et modestiam) sint quasi exemplar veraeque virtutis simulacrum, ad quod omnes meos accommodari oporteat: non ita humilis est et abiecta eorum conditio, ut non aeque debeant in beneficiorum meorum communionem venire." Cf. Io. III, 3. 1 Petr. II, 2.

17. 18. Vid. notata ad Matth. XIX, 16. sqq.

19. Μὴ ἀποστερήσῃς) Vulgata: *Ne fraudem feceris.* Verbum autem ἀποστερεῖν latius patet apud Graecos; significat enim quempiam re sua privare, sive eam retineas, sive fraude ac vi eripias, quod probant loca a *Wetstenio* allata. Quod Marcus praecepta mutato ordine refert, mirabitur nemo, qui cogitat, Iudaeos non fuisse solitos in vulgari sermone, aut in libris vulgo editis, Decalogi praecepta ipsis quibus concepta erant verbis, recitare, sed vel aliis verbis, vel ordine mutato. *Iosephus* Antiquitt. III, 5. 4. ita de praeceptis per Mosen datis: ἕς ἐ θεμιτόν

ἐστιν

ἐστιν ἡμῖν λέγειν φανερῶς πρὸς λέξιν, τὰς δὲ δυνάμεις αὐτῶν δηλώσομεν. cf. Rom. XIII, 9.

21. Ἠγάπησεν αὐτὸν) i. e. *laudavit, probavit eum quaeque dixerat, acquievit eius responsione.* Nam ἀγαπᾶν apud probos Scriptores est vel *amare, magni facere*, vel *contentum esse aliquo;* quod vel probant *a Reiskio* in Ind. Demosthenico citata exemplâ. ἄρας τὸν σαυρὸν) Certus ex professione huius disciplinae multa tibi incommoda eventura. Matth. X, 38.

22. Στυγνάσας ἐπὶ τῷ λόγῳ *vultum contrahens ad haec verba*, ut Kypkius vertit. Quum participium στυγνάσας sequatur λυπέμενος, videtur στυγνάσας ad vultum magis quam ad animum pertinere, quasi dicas: *fronte nubila.* Nam et ἐρανὸς συγνάζων est apud Matth. c. XVI, 3. Alii malunt: *stupens, commotus.*

24. Τὰς πεποιθότας ἐπὶ τοῖς χρήμασιν) Marcus distinctius quam Matthaeus interpretatur, quinam divites intelligantur, ii nimirum qui animos divitum gerunt, et pecuniis freti se super alios efferunt. Haec adiectio necessaria erat, ut constaret viam salutis omnibus esse apertam, etiam foeminis honestioribus, etiam iis qui erant e domo Caesaris, etiam divitibus, quales plurimi erant in urbe rerum domina. Vid. 1 Tim. VI, 17. ss.

26. Καὶ τὶς δύναται σωθῆναι) Optimi Auctores utuntur illo καὶ in interrogationibus, quae cum aliqua admiratione fiunt. Exempla ex Philone affert *Loesnerus.*

30. Consulto videtur Marcus nullam uxorum mentionem fecisse, ne calumniae occasio praeberetur. Nam et Iulianus hoc irrisit, ut monet Theophylactus. μετὰ διωγμῶν) *Post persecutiones, superatis calamitatibus.* Heinsius in Exercitatt. ad h. l. legi malebat μετὰ διωγμὸν ut habent Codd. nonnulli. Sed non opus ea lectione esse osten-

ostendit *Raphelius* in notis Polybianis. Eadem vis huius praepositionis μετὰ cum casu secundo, ut denotet post, est apud Philonem, in locis a *Loesnero* citatis.

32. Ἦν προάγων αὐτὰς) *Praecessit eos*, more intrepidi ducis. καὶ ἐθαμβοῦντο — ἐφοβοῦντο) *Attoniti et timidi sequebantur eum.* Pro se scilicet erant solliciti, et pro vita magistri. καὶ παραλαβὼν) καὶ hebraico more *nam* videtur denotare; nam ratio redditur, cur discipuli adeo anxii et solliciti fuerint.

34. 35. Καὶ ἐμπαιχθήσεται αὐτῷ) nempe οἱ ἄνθρωποι, i. e. impersonaliter, *illudetur ei.* Προσπορεύονται αὐτῷ *adibant eum*, idem quod προσῆλθον, Matth. XX, 20. Comm. 35. Λέγοντες) per matrem. Simile loquendi genus Matth. VIII, 5. Eadem narratio legitur Matth. XX, 20. sqq.

37. Δὸς ἡμῖν) διδόναι pro *permittere, concedere*, non ex hebraismo repetendum, sed optimo cuique Auctorum usurpatum, locis ex Iosepho et Philone allatis, ostendunt Krebsius et Loesnerus. Ἐν τῇ δόξῃ σε) *In maiestate tua* regia. Codd. nonnulli iuniores habent βασιλείᾳ τῆς δόξης, Matthaeus cap. XX, 21. ἐν τῇ βασιλείᾳ σε. Sensus igitur est: quum gloriosum regnum tuum auspicatus fueris.

42. Οἱ δοκοῦντες ἄρχειν) Verbum δοκοῦντες hic πλεονάζει, ut οἱ δοκοῦντες ἄρχειν idem sit quod οἱ ἄρχοντες apud Matthaeum c. XX, 25. Pleonasmi huius exempla ex N. T. attulerunt *Hombergius*, *Raphelius* aliique, et ex profanis *Casaubonus* in notis ad Gregorii Nysseni epist. p. 99. *Iosephus* etiam Antiq. L. XIX, c. 6. §. 3. δοκοῦντας αὐτῶν ἐξέχειν explicat per τὰς πρώτας ἄρχοντας. οἱ μεγάλοι αὐτῶν) i. e. τῶν ἀρχόντων. Cf. Matth. XX, 25.

46. Υἱὸς Τιμαίου Βαρτίμαιος) *Timaei* satis noti hominis filius, unde vulgo patronymice appellabatur בַּר טִמַּאי uti Bariona, Barnabas, Bartholomaeus, Bariesus etc. Nomen Timaei Graecum est, ex *Platone* notum. Προσαιτεῖν, ut simplex αἰτεῖν notat *aliquid petere*, inprimis vero usurpatur de iis, qui stipem petunt.

47. Ὅτι Ἰησοῦς ἡ Ναζωραῖός ἐστι) nempe ὁ παράγων, quod is, qui praeteribat, esset *Iesus Nazarenus*.

51. Ῥαββουνί) Optimi et plurimi Codd. legunt ῥαββονί. Iod servit formandae voci, quale in Rabbi, magister. Ut enim Rab et Rabbi dicimus, sic Rabbon et Rabboni, vel Rabbuni. *Rabban*, רַבָּנִי plus est quam Rabbi, diciturque de eis duntaxat, qui in scientia rerum excellunt, ut *Elias* Levita asserit.

CAP. XI.

2. Πῶλον, Marcus nulla asinae mentione facta, πῶλον vocat, quae vox tam asellum quam equulum significare potest; forsan ne Romanorum aures offenderentur. Sic Flavius Iosephus saepe in Antiquitt. pro asinis substituit equos, ut patet ex locis a *Wetstenio* allatis. ἐφ' ὃν οὐδεὶς ἀνθρώπων κεκάθικε) *Cui nemo insiderat*: quia animalia, usibus humanis nondum mancipata, sacra habebantur Deut. XXI, 3. 1 Sam. VI, 7. *Ovidius* Met. III, 12. Bos tibi, Phoebus ait, solis occurret in arvis, nullum passa iugum, curvique immunis aratri.

4. Ἔξω ἐπὶ τῆς ἀμφόδου) *Non longe a bivio*. Glossar. ἄμφοδον, compitum, multae aedes, quas via publica ambit; vicus et via. Vulgata: in bivio.

8.

8. Στοιβάδας) *frondes.* Alii legunt στιβάδας. στιβὰς autem est *torus. Theocrit.* VII, 67. Schol. στιβὰς· ἡδέ ἐστι στρομνὴ ἐπὶ τῆς γῆς ἐκ φύλλων. Vid. *Wetsten.*

10. Εὐλογημένη — τοῦ πατρὸς ἡμῶν Δαβὶδ) *Faustum sit regnum Patriarchae nostri Davidis mox rediturum.* Verba ἐν ὀνόματι κυρίου, desunt in multis Codd. et Verss. Tempora Davidis, regis optimi ut redeant precantur.

11. Quae hic v. 11—27. leguntur, occurrunt etiam Matth. XXI, 10—23. sed alio ordine narrationis partes apud Matthaeum sese excipiunt, quam apud Marcum. Nam Matthaeo auctore Christus *eodem* die, quo Hierosolymam ingressus est, e templo profanato eiecit vendentes et ementes; secundum Marcum autem Christus templi profanatores exire coegit *postridie,* quam urbem ingressus erat. Praeterea Matthaeo teste, Christus ficum sterilem exsecratus est die *sequente*, postquam profanos e templo expulerat, et statim (παραχρῆμα) exaruit arbor; contra vero apud Marcum arbori male precatus est Christus *eo* die mane, quo postea templi profanationem ultus est; *arefactam* autem a radicibus esse arborem discipuli *postridie* demum observarunt, et Domino de fidei efficacia disserendi ansam praebuerunt. Fortassis Marcus sciens a Matthaeo recessit, quia accuratiorem, quam ex hoc peti potest, notitiam de universo isto negotio aliunde sibi comparaverat. Hinc comm. 11—14. et 20—26. copiosius, quae Matthaeus paucis indicaverat, ennarrare, et comm. 16. περιστάσεις nonnullas a Matthaeo praetermissas addere poterat. Vid. comm. 11. 12. 15. 19. 20. 27. Etsi vero in tractanda hac historiae parte rectius et curatius quam Matthaeus versatus sit, hic tamen ab illo neutiquam falsitatis aut ignorantiae arguitur. Nam Matthaeus nullibi disertis verbis affirmat, Christum eodem,

quo

quo urbem ingressus est, die, profanam turbam e templo eiecisse; quae autem de ficu commemoranda erant, noluit in plures velut particulas dissecare; Marcus vero consulto exsecrationis mentionem paulisper distulit, dum eius effectum simul narrare posset. Vid. GRIESBACHII *Dissert. qua Marci Evangelium totum e Matth. et Lucae commentariis decerptum esse monstratur*, in Commentatt. a Velthusen, Kuinoel et Ruperti editis Vol. I. p. 428. sqq. Περιβλεψάμενος πάντα, *quum omnia circumspexisset*, da er alles in Augenschein genommen hatte. Πάντα, sc. τὰ γινόμενα ἐν τῷ ἱερῷ, venditores et emtores, nummulariorum mensas etc. Infra v. 15. s.

13. Ἐι ἄρα ἐυρήσει τι ἐν αὐτῇ) non quidem ficus multas et maturas, nondum enim erat tempus ficuum; sed aliquot saltem praecoces vel immaturas sive Grossos, quibus famem utcunque depellere posset. ἐ γὰρ ἦν καιρὸς σύκων) *Abreschius* Lect. Aristaenet. Lib. I. pag. 16. accipit καιρὸν non de *temporis*, verum de *loci tractusque* illius *opportunitate*, ut adeo sensus sit, *soli vitio*, *vel aëris intemperie in ista arbore ficus repertas non fuisse.* Καιρὸν autem dici de locis, exemplis probat Thucydidis, Libanii, aliorumque. — Sed notio ista, etiamsi vera sit, tamen est nimis artificiosa, et repugnat sententiae loci. Dicitur potius καιρὸς de tempore anni, quo poma maturuerunt, colligique possunt. Quum igitur dicit Marcus, *non* fuisse καιρὸν σύκων, hoc vult: non fuisse tempus legendi ficus, quippe quae tum nondum maturuissent. Cur autem Christus, quem hoc non fugiebat, ad arborem accessit, sperans se inventurum in ea ficus? Respondeo, sperare poterat fructus, quia *folia* habebat arbor. Nam *fico serius folium nascitur quam pomum*, ut loquitur Plinius Hist. Nat. XVI, 26. Recte Wetstenius ita illustra

lustrat locum: Si Christus tempore ficuum maturarum ad arborem accedens nil nisi folia reperisset, non tamen id praebuisset certum indicium arboris infoecundae et maledictione dignae; potuissent enim fructus omnes ex arbore fertili paullo ante decerptae fuisse. At quum ante tempus maturarum ficuum *folia* exhiberet arbor, iusta spes erat etiam ficus in ea inveniendi, et iusta indignatio, quum nil nisi folia reperirentur. Ficus autem repraesentat nationem Iudaicam, quae debuisset suo tempore fructus bonos vitae emendatae proferre, infra c. XII, 2. Matth. XXI, 34. 41. et cui ficus arefacta imminens exitium praefigurabat. Vid. notata ad Matth. XXI, 19. Varias de hoc loco sententias recensuit *Wolfius* in curis ad h. l.

16. Διενέγκῃ σκεῦος) profanum scilicet, ad quaestum faciendum pertinens, cuiusmodi plura habebant isti, quibus atrium templi esse coeperat pro foro.

19. Ἐξεπορεύετο ἔξω τῆς πόλεως) Ne quam noctu in urbe inquieta rerum novarum occasionem praesentia sua daret, aut dare videretur.

22. Πίστιν Θεοῦ) i. e. εἰς Θεὸν, *fiduciam in Deum*. Genitivus hic obiectum infert. Ita πίστις Ἰησοῦ χριστοῦ dicitur Rom. III, 22. 26. Gal. II, 26.

25. Καὶ ὅταν ἥκητε προσευχόμενοι) Orantes plerumque stabant: hinc Hebrai מעמדות i. e. *stationes* de precibus earumque ordine usurpant. Christiani *stationis* voce in eadem caussa usi sunt. Quae sequuntur hoc et sequenti versu desumta sunt ex Matth. VI, 14. s.

27. Καὶ ἔρχονται π. τ. λ.) Iam redit Marcus ad Matthaei XXI, 23. ss.

32. Ἀλλ' ἐὰν εἴπωμεν· ἐξ ἀνθρώπων· ἐφοβοῦντο τὸν λαὸν) Ἐὰν omittunt codices 9. uncialibus literis scripti, et iuniorum magnus numerus. Pro ἐφοβοῦντο in Cod. Cantabrig.

tabrig. a prima manu scriptum erat *φοβξμεν*, ex emendatione vero legitur *φοβώμεθα*, quam lectionem exhibent etiam codices nonnulli iuniores. Hi omnes retinent antea *ἐὰν*. Legendum esse videtur: *Ἀλλ' εἴπωμεν. ἐξ ἀνθρώπων; ἐφοβξντο τὸν λαὸν*, quam lectionem KNAPPIUS, posito post *ἀνθρώπων* signo interrogandi in sua N. T. editione in Textum recepit. "Haec lectio (utor verbis Knappii in praefat. ad edit. N. T. p. XIX. not. 7.) primitiva fuit; — Sed ut haec verba cum loco Matthaei, c. XXI, 26. magis consentirent, alii Veterum sic correxerunt: *ἀλλ' 'EAN εἴπωμεν· ἐξ ἀνθρώπων· ΦΟΒΟΥΜΕΘΑ τὸν λαὸν*. Nempe eos offenderat *ἑτέρωσις* illa in personis verborum (*εἴπωμεν* et *ἐφοβξντο*); quae tamen haud inusitata est optimis scriptoribus Graecis, veluti Xenophonti in dialogis. Sed utramque lectionem recentiores quidam librarii ita coniunxerunt, ut ex hac particulam *ἐὰν* adsciscerent, ex illa *ἐφοβῶντο* retinerent: quorum auctoritate permotus, sic edidit Erasmus: *ἀλλ' 'EAN εἴπωμεν. ἐξ ἀνθράπων. ΕΦΟΒΟΥΝΤΟ τὸν λαὸν* quem plurimi editores deinceps secuti sunt.„ Verto: *Igiturne dicamus ab hominibus? Metuebant populum.* Ἀλλὰ saepe significat *igitur, ideo*, ut Act. X, 20. XXVI, 16. Eph. V, 24. aliisque locis, ad imitationem hebraici כִּי־אִם, 1 Reg. XX, 6. Ies. LXV, 18. *Ἅπαντες — προφήτης ἦν*) *omnes enim Ioannem ut verum Prophetam suspiciebant.* Consueta constructio fuerat, ut apud Matthaeum: *ἔχεσι τὸν Ἰωάννην ὡς προφήτην* aut *ἐδόκει περὶ Ἰωάννε, ὅτι ὄντως προφήτης ἦν*. Nunc duo loquendi genera miscuit, atque ita constructionem fecit *κατὰ τὸ σημαινόμενον*.

CAP.

CAP. XII.

1. 2. Eadem parabola legitur Matth. XXII, 33. ss. Post τῷ καιρῷ v. 2. Matthaeus l. c. comm. 34. addit τῶν καρπῶν, *instante vindemia.* Sed τῷ καιρῷ etiam verti potest: *tempore legitimo*, בְּעִתָּהּ, Cohel. X, 17.

4. Κἀκεῖνον λιθοβολήσαντες ἐκεφαλαίωσαν) *Ac illum lapidibus petentes in capite vulnerarunt.* Usitata verbi κεφαλαιῶν significatio est *summam conficere.* Hoc loco nova significatione usurpatur, ut denotet *in capite vulnerare*, ut habet Vulgata. Apud *Aristophanem* γαστρίζειν simili modo formatum est; nam γαστρίζομαι Scholiastes interpretatur: εἰς τὴν γαστέρα τύπτομαι. *Camerarius* suspicatur, indicari *caput et faciem deformatam, vel tonsura, vel alio quopiam pacto*, quum mox fuisse cum ignominia et dedecore dimissus hic servus perhibeatur. Tunc autem λιθοβολεῖν, quod antecedit, esset *lapidibus petere* non necandi, sed *vulnerandi* tantum caussa. Codd. nonnulli, Copt. Vulg. It. illud λιθοβολήσαντες omittunt.

5. Καὶ πολλοὺς ἄλλους) Oratio est elliptica. Plena esset talis: καὶ πολλοὺς ἄλλους ἀπέστειλεν, οἷς ἐποίησαν τὸ αὐτὸ, τοὺς μὲν δέροντες. τοὺς δὲ ἀποκτ. *et multos alios ablegavit ille, quibus fecerunt idem, alios verberantes seu caedentes, alios interficientes.* Vel: πολλοὺς ἄλλους ἕτω διέθηκαν, τοὺς μὲν δέροντες. *Alios multos ita tractarunt;* vel simile quippiam.

13. Omittit Marcus parabolam, quam habet Matthaeus c. XXII, 1—14. et pergit v. 15. eiusdem capitis, coll. Luc. XX, 20. seqq.

14. Ἐπ' ἀληθείας) *vere*, ut apud Philonem aliosque bonos Auctores occurrit. δῶμεν ἢ μὴ δῶμεν;) Elliptice: *Au-*

Auctor es nobis, demus an non? Neque hoc idem omnino est cum superiore quaestione: ἔξεστι κῆνσον καίσαρι δοῦναι. ἢ οὔ; nam si Iesus *licere* dixisset, supererat altera quaestio, an *expediret*? Vid. ad hanc historiam notata Matth. XXII, 15. seqq.

24. Οὐ διὰ τοῦτο πλανᾶσθε, μὴ εἰδότες;) Interrogationem ex more Hebraeorum pro vehementi affirmatione positam, ex Matthaeo liquet, qui habet πλανᾶσθε.

26. Ἐπὶ τῆς (vel τοῦ, ut multi Codd. habent) βάτου, ὡς εἶπεν αὐτῷ ὁ θεὸς) Per traiectionem construendum est hoc membrum ita: ὡς εἶπεν αὐτῷ ὁ θεὸς ἐπὶ τῆς βάτου. Iam *Dan. Ern. Iablonski* (praefat. ad Bibl. Hebr. Berolin. a. 1699.) hic agnovit formulam citandi locum Scripturae ea aetate receptam, ut sensus sit: *Nonne legistis in libro Mosis, eo in loco, quo historia rubi ardentis describitur, quomodo Deus dixerit.*

28. Εἷς τῶν γραμματέων. Hunc legisperitum, non fuisse eundem, de quo *Matthaeus* cap. XXII, 34. sqq. loquitur, non ex numero Pharisaeorum, sed Karaeorum, qui textuales, vel scripturarii appellati sunt, docuimus ad illum locum. Pro πρώτη πασῶν ἐντολῶν plurimi et praestantissimi codices habent πάντων, quam lectionem *Griesbachius* et *Matthaeius* probant, quorum posterior ad h. l. notavit: πάντων ἀπολύτως dicitur, ut ad res omnes, quae praecipi possint, referatur, nisi malis intelligere τῶν ἐνταλμάτων.

29. Κύριος ὁ Θεὸς ὑμῶν, κύριος εἷς ἐστι) *Iehova est Deus noster, Iehova unus est;* nam κύριος Scriptores N. T. ut LXX. plerumque pro יהוה ponunt; ὁ Θεὸς autem h. l. est Epitheton nominis Iehova. Cf. Deut. VI. 4. Bene hoc addidit Marcus, quia ad sequentis praecepti illustrationem pertinet. Ad religionis enim substantiam non

satis

satis est, *quodvis numen* colere, sed *certum numen* animo proponendum est, cuius nota est unitas, qua distinguitur a Diis gentium, qui multi esse credebantur.

30. Ἐξ ὅλης τῆς διανοίας σου) Addidit hoc *Marcus* ad interpretationem eius, quod praecessit, ψυχῆς: ut et infra additum est ἐξ ὅλης τῆς συνέσεως simili sensu.

33. Καὶ τὸ ἀγαπᾶν — τῶν θυσιῶν) Vel ex his verbis apparet, hunc legisperitum non fuisse ex numero Pharisaeorum, qualis ille apud Matthaeum. Constat enim Pharisaeos praeceptum de sacrificiis et ritibus pluris fecisse quam illud de amore Dei et proximi. Matth. XXIII, 23.

34. Νουνεχῶς) *Sapienter*, *prudenter*. Vox haec semel tantum in N. T. sed frequenter apud *Polybium* occurrit. Οὐ μακρὰν εἶ ἀπὸ τῆς βασιλ. τ. Θεοῦ, *non procul abes a regno divino*, facile sectator meus fieri posses. Hoc ideo, quia cultum Dei internum externo praeferebat, non ut Pharisaei, qui contrarium statuebant.

35. Πῶς λέγουσιν οἱ γραμματεῖς) i. e. quomodo consistere potest, quod dicunt legisperiti? Proponebatur haec quaestio Pharisaeis, qui in explicatione prophetarum multum credebant legisperitis. Itaque Christus eos sic alloquitur, quasi quos sciret ab auctoritate legisperitorum non discessuros.

38. Marcus omittit satis prolixam Christi orationem Matth. XXIII, 1—39. et iam v. 38—44. sequitur Lucam, c. XX, 45. — XXI, 4. Ἐν τῇ διδαχῇ αὐτοῦ, i. e. ἐν τῷ διδάσκειν, quum in templo publice doceret. τῶν θελόντων) *qui amant*. Respondet enim το θέλειν verbo חָפֵץ. ἐν στολαῖς) *Stola* etiam vestem virilem significat, inprimis Orientalium, ad talos usque demissam, qua uti consueverunt scribae ad captandam plebis venerationem. Hoc habitus

bitus genus profani quoque Scriptores eadem voce exprimunt, quod ex *Xenophonte* et *Aeliano* ostendit *Raphelius*.

40. Προφάσει μακρὰ προσευχόμενοι) *qui in speciem utuntur longis precibus.* Solent enim isti homines honestas caussas praetendere, sub quibus quaestum faciant; ut, quod pro aliis apud Deum indefessis precibus instent, pro qua opera non iniuria muneribus dotentur, quum interim eos, pro quibus precari se dicunt, non doceant veram pietatis viam, et munera ultro captent, saepe et maiora quam pro facultatibus donantis.

41. Κατέναντι τῆ γαζοφυλακίᾳ) *in conspectu gazophylacii.* In tractatu de *Siclis* docetur, XIII. fuisse in atrio mulierum nummorum receptacula, quae a forma *tubae* dicebantur, unde ter in anno ante tria festa solennia in thesaurum, Corbonam dictum, deferebatur pecunia; illa autem impendebatur in usus templi, pro sacrificiis, oleo, vino, thure, pro vasis templi, pro laminis aureis ad sanctum sanctorum obducendum et lignis coëmendis.

42. Λεπτὰ δύο) τὸ λεπτὸν, sc. νόμισμα, est minutum quoddam nummi genus, de cuius pretio docte disputavit *Fischerus* Prolus. 19. de vitiis Lexic. N. T. p. 447. seqq. Est autem λεπτὸν hebraeum פְּרוּטָה, nummulus aeneus, quorum octo valuerunt assarium.

43. Προσκαλεσάμενος τὰς μαθητὰς) Seorsim hoc illis dixit, quia nihil attinebat, aut viduam hoc audire aut ceteros. Sed discipulos docere voluit, quae vera esset liberalitatis aestimatio apud Deum et Dei imitatores.

44. Ἐκ τῆ περισσεύοντος αὐτοῖς) *Ex eo quod ipsis redundat*, i. e. de magna copia aliquantum. Ὅλον τὸν βίον αὐτῆς) *Omnes suas opes et facultates.* Vocem

cem βίος saepe significare *opes*, *facultates*, idoneis veterum locis ostenderunt *Elsnerus*, *Raphelius* et alii.

CAP. XIII.

Marcus a commate 1. usque 32. sequitur Matthaeum c. XXIV, 1—36. et Lucam c. XXI, 5. seqq. sed multo brevior est.

1. Ἴδε ποταποὶ λίθοι) *En quantos et quales lapides!* Aedificatum erat templum ex lapidibus candidis et firmis, et singulorum magnitudo erat in longum ad cubitos circiter XXV. in altitudinem octo, latitudinem vero duodecim, ut docet *Iosephus* Antiq. Iudaic. Lib. XV. c. XI, §. 3.

9. Βλέπετε δὲ ὑμεῖς ἑαυτούς) i. e. προτέχετε ἑαυτοῖς, *vobis ipsis attendite.* καὶ εἰς συναγωγὰς) Codices nonnulli et Versiones cum sequenti verbo δαρήσεσθε haec coniungunt, ita ut εἰς pro ἐν accipiatur: *in synagogis caedemini.* Sed lectio εἰς συναγωγὰς omnino vera esse videtur. Tradere in Synedria et Synagogas aliquem, est, tradere eum examini et poenae. Examinatum enim, si a religione sua aberrasset, flagellabant. εἰς μαρτύριον αὐτοῖς) *In testimonium adversus eos.* Vestra illa fata, inquit Christus, testes erunt de impietate illorum hominum. Vid. tamen dicta ad Matth. X, 18.

10. Εἰς πάντα τὰ ἔθνη) *apud omnes gentes.* Sic *Demosthenes* de corona: καὶ παρελθὼν εἶπον εἰς ὑμᾶς, — *dixi apud vos.*

11. Ἀγάγωσιν) Lege ἄγωσιν. Sic enim habent optimi et plurimi Codd. *Origenes* et *Theophylactus.* Et ἄγειν proprie dicitur is, qui alium in ius rapit; unde *age-*

re et *actio* Latinis. μηδὲ μελετᾶτε) μελετᾶν saepe dicitur de oratione cum cura et studio elaborata, quae opponitur orationi extemporaneae. Glossar. declamatio, μελέτη ῥήτορος declamat, μελετᾷ ῥήτωρ. Apud Profanos frequenter. Cf. Matth. X, 19.

14. Τὸ ῥηθὲν ὑπὸ Δανιὴλ τοῦ προφήτου) Videntur haec verba ex Matthaeo adiecta; desunt enim in optimis Codd. et Verss. nonnullis.

19. Ἔσονται γὰρ αἱ ἡμέραι ἐκεῖναι θλῖψις) Tempori adscribitur res, quae in tempore fit. Una et continua erit calamitas.

32. Οὐδὲ ὁ υἱός) Omittunt haec verba Codd. graeci apud Ambrosium, et Pragense fragmentum Marci, editum a *Dobrowskio* Sed leguntur in Codd. et Versionibus omnibus, et apud Athanasium, Epiphan. Vict. Euthym. Iren. Tertullian. Auctorem de promissionibus, Hilarium, Augustinum. Ambrosius et versio anglosaxonica habent: *nec filius hominis.* Igitur recepta lectio omnino genuina est. Quaestio, num Christus in statu exinanitionis vere quaedam *ignoraverit*, quod Lutherus affirmavit, (*Io. Gerhard* in locis theol. Tom. III. p. 575.) tractatur in Theologia dogmatica. Cf. Wolf. *in curis* ad locum nostrum.

33. Praetermittit Marcus prolixiores sermones, quos Matthaeus exhibet, et in eorum locum v 33—36. substituit perbrevem oratiunculam, eiusdem fere cum sermonibus apud Matthaeum extantibus argumenti.

34. Ὡς ἄνθρωπος ἀπόδημος) *Sicut quispiam peregre abiens*, (ita est scilicet filius hominis.) τὴν ἐξουσίαν) Procurationem rerum domesticarum patet intelligi. τὸ ἔργον αὐτοῦ) *ministerium.* Parabola huic similis extat Matth. XXIV, 45. seqq. Vide ibi notata.

CAP.

CAP. XIV.

Ab hoc capite usque ad c. XVI, 8. Marcus iterum Matthaeum c. XXVI, 1. — XXVIII, 8. adhibet ducem, collato tamen Luca.

3. Ἀλάβαστρον — πολυτελοῦς) *Alabastrum plenum unguento, et quidem confecto de spicis Nardi, admodum pretioso.* Alabastrum est lapis, albedine et levitate insignis, ex quo vasa excavabant veteres, et qui adeo tractabilis nascitur, ut vasis ex illo cavatis ipsa vitrea mentiri videantur. Vid. *Plin.* H. N. L. XIII, c. 2. Folium nardi, ut principale in unguentis describit Plinius H. N. Lib. XII, 12. Πιστικὸν dici, quod fidei est exploratae, verum est, sed nonnisi apud scriptores aliquod seculis seriores. Videtur igitur πιστικὴ esse vox latina *spicatae. Marcus* enim Romae scribens usus est verbis apud Romanos usitatissimis: spicatum autem deflexit in πιστικὸν, ut Sextarium in ξέστην, ut intelligatur eximium et admodum pretiosum unguentum confectum de spiciis Nardi. *Beza* interpretatur *nardum liquidam*, ut πιστικῆς sit pro πιστῆς, παρὰ τὸ πιεῖν, quasi *potabilem* dicas. Probat hanc interpretationem *Fischerus in Prolusionibus quinque* pag. 141. συντρίψασα τὸ ἀλάβαστρον) Intelligenda est haec confractio tantum de lagenulae unguentariae superiore parte, sive orificio obsignato, quod signum erat unguenti genuini, et foris advecti. Apud veteres autem in conviviis hominum lautiorum usus erat unguentorum: unde permagnus honos habitus servatori nostro, confracta et effusa in caput eius lagenula unguenti. Eadem haec historia legitur Matth. XXVI, 6. seqq.

8. Ὃ ἔιχεν αὕτη, ἐποίησε, *quod potuit haec fecit*, sc. ad gratum animum declarandum. Ἔχειν, *posse*, δύναθαι. Sic enim hoc verbum saepe usurpatur, ut Latinum *habere*. Προέλαβε μυρίσαι μὲ τὸ σῶμα, *occupando unxit corpus meum*. προλαβεῖν explicatur aliquid *praecipere*, *anticipare*. Εἰς τὸν ἐνταφιασμὸν, *ad pollincturam*. Haec autem est praeparatio corporis ad sepulturam, quum corpus lavando, condiendo et linteis sepulcralibus involvendo praeparatur.

13. Ἄνθρωπος) opponitur τῷ οἰκοδεσπότῃ commate sequenti. Intelligitur ergo servus, ut Luc. XII, 36. Ministerium autem portandi aquam erat servitium vilissimum, Deut. XXIX, 10. Ios. IX, 21. nec minus abiectum apud Romanos, apud quos servi militum vocantur lixae, quod eorum munus erat, militibus aquam ad castra vel tentoria ferre, a lixa aqua, ut docet *Nonnius*. κεράμιον) sc. ἀγγεῖον vel σκεῦος. Dubitandum non est, quin multi Hierosolymitae coenacula instructa sub id tempus advenis elocaverint, cuius sortis et Dominus huius servi fuisse videtur.

14. Κατάλυμα) *Conclave*. Est enim καταλῦσαι inter alia *diverti*, et κατάλυσις atque κατάλυμα habitationis usus et locus; h. l. triclinium, s. coenaculum, in quo plures cibum capiunt.

15. Ἀνώγεον μέγα ἐστρωμένον) *Coenaculum* s. triclinium *magnum lectis stratum*. Pro ἀνώγεον optimi codices legunt ἀνάγαιον eodem sensu; nam utrumque significat *triclinium*, *coenaculum*, conclave in quo discumbitur. Στρῶσαι est verbum hoc in genere proprium, quod dicitur de iis, qui triclinia, h. e. coenacula, vel etiam mensas lectis, lectosque tricliniares, qui ipsi non raro *triclinium* vocantur, toris, peristromatis et pulvinis sternunt.

nunt. Vocabulum ἕτοιμον in permultis codd. deest, in libris editis et in multis codd. legitur, haud dubie a librariis e margine translatum in textum, ut iam *Beza* et *Millius* statuerunt. Ἀνώγεον ἕτοιμον idem est quod ἀνώγεον ἐστρωμένον, *coenaculum lectis stratum* et instructum. Vide *Scalig.* de Emendat. Temporum p. 571. ubi multa notata sunt ad hanc omnem historiam.

19. Εἷς κατ' εἷς) *Unus post alterum*, i. e. *singuli*. Attice dicendum fuisset εἷς καθ' ἕνα. Phrasin tamen κατ' εἷς non prorsus insuetam fuisse inter Graecos, inde patet, quod eam inter eos observavit *Lucianus* in Solocista II.

22. Φάγετε) ex Matthaeo hic additum videtur; deest enim in permultis Codd. et Verss.

30. Πρὶν ἢ δὶς ἀλέκτορα φωνῆσαι, τρίς ἀπαρνήσῃ με) *Matthaeus*, quem Lucas et Ioannes sequuntur: πρὶν ἀλέκτορα φωνῆσαι, τρὶς ἀπαρνήσῃ με. Sed non magis pugnant Evangelistae, quam Horatius et Iuvenalis, quorum alter dixit, *sub cantum galli;* alter, *ad cantum galli secundi.* Marcus nimirum magis definite partim, partim more veterum locutus est, qui quum noctem terminant, plerumque τῆς δευτέρας ἀλεκτοροφωνίας meminerunt. Notus est Graecorum versiculus, quum matutinum tempus innuunt: πρὶν ἢ τὸ δεύτερον ἀλέκτωρ ἐφθέγγετο.

35. Προσήυχετο — ἡ ὥρα) *Precatus est, ut, si fieri posset, haec calamitas a se averteretur.* Ἡ ὥρα interdum est definitum tempus, quod fit certo tempore, h. l. calamitas, miseria Christo tum temporis imminens, comm. 36. et apud Matth. et Lucam τὸ ποτήριον. Παρέρχεσθαι, *discedere*, et metaphorice *amoveri, averti.*

36. Ἀββᾶ ὁ πατὴρ) Videntur Hebraei Graeco utentes sermone, retinuisse vocem אַבָּא, quia naturaliter pueri eo sono patres salutant. Duplex autem vox posita est affectus testandi caussa. ἐ τί ἐγὼ θέλω, ἀλλὰ τί σύ) Supple: *fiat.* Hebraei, Graece scribentes, particulas ὃ et τὶ promiscue usurpant.

41. Ἀπέχει) Impersonale, *sufficit*, *satis est*, somni, (quo significatu utitur Anacreon Oda XXI.) iam satis multum temporis somno impendistis. Cod. Cantabrig. iuniores nonnulli codd. et versiones Syra utraque, Armen. Slav. addunt τὸ τέλος. *Itala* habet: *Consummatus est finis*, s. *adest consummatio*; Codex Brixiensis ap. Blanch. *adest finis;* Cantabrig. ap. Sabatierum: *sufficit finis et hora;* Colbertinus ap. eundum: *adest enim consummatio et hora*, Reichardus vertit: *equidem cruciatu defunctus sum*; ut ἀπέχει significet *abest*, praeteriit *anxietas.*

44. Σύσσημον) *Hesychius:* σύσσημον, σημεῖον. *Suidas:* σήνθημα, σύσσημον. *Etymod.* σύνθημα, συνθήκη, σύσσημον, λόγος ἐν πολέμῳ ἐπὶ γνωρισμῷ τῶν οἰκείων διδόμενος. *Commune signum*, omne signum, de quo inter duos pluresve convenit; quo sensu haec vox etiam apud Profanos passim obvia est, ut ostendunt loca apud *Wetstenium.* κρατήσατε αὐτὸν, καὶ ἀπαγάγετε ἀσφαλῶς) *Tenete, et ducite bene et accurate servatum.* Polyb. III, 110. ἔτε μάχεσθαι κρίνων, ἔτε μὴν ἀπάγειν ἀσφαλῶς τὴν φρατιάν ἔτι δυνάμενος.

49. Ἀλλ' ἵνα) Supple τοῦτο ὅλον γέγονε, ex Matthaeo.

51.

51. *Καὶ εἷς τις νεανίσκος*) Non de apostolorum grege, nec e domo, in quam Christus in urbe deverterat, sed ex villa aliqua, horto proxima, strepitu militum excitatus, et subito accurrens, ut conspiceret, quid ageretur. *σινδόνα*) *σινδὼν* h. l. est *vestis dormitoria*, leve et tenue vestimentum linteum. *Thucydides* Lib. II, cap. 49. *τότε ἐντὸς ἕτως ἐκαίετο, ὥστε μήτε τῶν πάνυ λεπτῶν ἱματίων καὶ σινδόνων τὰς ἐπιβολὰς, μετ' ἄλλο τι ἢ γυμνὸν ἀνέχεσθαι*: *Tantus fuit ardor interius, ut nemo* (laborantium sc. morbo illo) *sustineret vel admodum etiam tenuia vestimenta et lintea levia imposita, neque aliud quicquam, nisi ut nudus esset.* Σινδόνα tamen *Fischerus* (Prolus. 3. pag. 78.) *pallium* fuisse censet, propter verbum adiectum *περιβεβλημένος ἦν*, quod verbum *περιβάλλεσθαι*, ut fere *ἀμφιέννυσθαι*, et *amiciri* apud Latinos semper ponatur de veste exteriore, h. e. de *toga* Romanorum, et Graecorum pallio. Cf. etiam dicta ad Matth. XXVII, 59. Sed obstat, quod additur: *ἐπὶ γυμνῷ*, sc. *σώματος*. *οἱ νεανίσκοι*) i. e. milites Romani, quos et Graeci *νεανίσκους*, et Latini saepe iuventutem vocant. Hi autem adolescentem istum apprehenderunt, unum discipulorum Iesu esse existimantes: quod ideo addidit Marcus, ut significaret constitutum fuisse, non Iesum tantum prehendere, sed et discipulos eius. Cf. *Kuinoelium* ad h. l.

52. *Καταλιπὼν τὴν σινδόνα*) qua tenebatur. *Γυμνὸς*, *nudus*, ut עָרוֹם v. 51.

54. *Πρὸς τὸ φῶς*) i. e. *πρὸς τὸ πῦρ*, *ad ignem*; nam *φωτὸς* appellatione etiam ignem intelligi testatur Hesychius, a consequenti videlicet. Cf. Luc. XXII, 55. 56.

61. Τῷ ἐυλογητῷ) *Summopere colendi*, i. e. *Dei*; Hebraei enim Deum frequentissime appellant הַקָּדוֹשׁ בָּרוּךְ הוּא.

68. Εἰς τὸ προαύλιον) αὐλὴ est *atrium*: προαύλιον *vestibulum*. *Suidas*: προαύλιον, τὸ ἔμπροσθεν τῆς αὐλῆς.

69. Ἡ παιδίσκη) i. e. παιδίσκη τις, quomodo interdum sumi articulum, certum est. Nam aliam fuisse a priore, *Matthaeus* docet. πάλιν, ἤρξατο) Coniungendum potius est πάλιν cum ἤρξατο, ut significetur idem dictum Petro iterum, quomodo et Latinus interpres videtur accepisse. ἐξ αὐτῶν ἐϛι) *Est illius sectae.*

70. Ἡ λαλιὰ σε ὁμοιάζει) *Dialectus tua similis est*, sc. eorum dialecto. Omittunt haec verba codices nonnulli antiqui, versio Copt. Vulg. Itala, Eusebius, Augustinus; ideoque nonnulli pro interpretamento habent.

72. Καὶ ἐπιβαλὼν) *Foras se proripuit*, vel *coepit*. Nam varie explicatur hoc verbum. *Theophylactus* interpretatur ἐπικαλυψάμενος τὴν κεφαλήν, refertque ad morem veterum luctu caput operiendi, quam interpretationem multi sequuntur. *Krebsius* in voce ἐπιβαλὼν subintelligit: τὸ ἱμάτιον, ut idem sit sensus, *capite*, sc. *operto*, *veste capiti iniecta*. *Vulgatus*, quocum consentit *Syrus* interpres: *coepit flere*. Alii rectius, ut mihi videtur vertunt: *quum se foras proripuisset*. Cf. Matth. XXVI, 75. *Wetstenius* versionem *Anglicam* secutus, vocem ἐπιβαλὼν interpretatur: *Quum animadvertisset, rem altius reputasset*. Integre dicitur ἐπιβάλλειν τὸν νοῦν, τὴν διάνοιαν, saepe autem simpliciter ἐπιβάλλειν, quam huius vocis significationem multis Profanorum testimoniis confirmat Vir diligentissimus.

CAP.

CAP. XV.

1. Συμβούλιον ποιήσαντες) i. e. λαβόντες ut *Matthaeus* loquitur. Nam sic et Marcus supra c. III, 6. locutus est, συμβούλιον ἐποίουν, i. e. *consilium ceperunt*, non, ut quidam interpretantur, *senatum convocarunt*. καὶ ὅλον τὸ συνέδριον) *Pleno senatu*, cuius iam nominavit.

4. Ἴδε πόσα σε καταμαρτυροῦσιν;) *Vide quantorum criminum te incusent.* Καταμαρτυρεῖν τινὸς, *testari contra aliquem, incusare eum.* Codices nonnulli, Versiones Copt. Vulg. et Itala habent κατηγοροῦσιν, quod est merum interpretamentum.

8. Ἤρξατο αἰτεῖσθαι, καθὼς ἀεὶ ἐποίει αὐτοῖς) Elliptice; ut id faceret, quod semper facere ipsis consuevisset.

11. Οἱ δὲ ἀρχιερεῖς ἀνέσεισαν τὸν ὄχλον) Elliptice; Summi Sacerdotes commoverunt, instigarunt multitudinem, ut peterent Barrabam potius sibi liberari, vel absolvi.

15. Τὸ ἱκανὸν ποιῆσαι) *Satisfacere*, quod hic, ut apud Latinos scriptores saepe est, efficere, ne alter habeat, quod quaeratur. Ex Romano sermone genus hoc loquendi in Graeciam traductum, ut multa alia, postquam Graecia et Oriens facta erant Romani iuris. φραγελλώσας) Quum iam ante flagris eum cecidisset, ut Matthaeus refert.

16. Ἔσω τῆς αὐλῆς) *In interiorem aulam.* Statim explicat Marcus, addens: ὅ ἐστιν πραιτώριον. Etiam latinae historiae scriptores praetorium solent vertere αὐλήν. A tribunali ergo quod erat stadio, in partem domus interiorem abductus est Iesus. Vide dicta ad Matth. XXVII, 27.

21. Ἀλεξάνδρα καὶ Ῥάφα) Videntur isti, quum haec scriberet Marcus, vixisse Romae, ubi ista scribebat, ita ut merito provocet ad eorum testimonium, qui rem a patre acceptam narrare aliis poterant. Nam inter eos, qui Romae Christum profitebantur, *Rufum* salutat Paulus, Rom. XVI, 13.

23. Ἐσμυρμένον οἶνον) Vid. Matth. XXVII, 34. PLINIUS: *(Hist. Nat. XIV, 15.) lautissima apud priscos vina erant, myrrhae odore condita.* More erat receptum apud Iudaeos, ut damnatis per Synedrium ad mortem, antequam supplicio afficerentur, vinum bonum et generosum bibendum praeberent, eo consilio, ut mens moribundi alienaretur. *Tanchuma*, pag. 126. *Sanhedrin*, fol. 43. Christo autem milites per ludibrium porrigebant poscam acescentem et amaram, ut patet ex Matthaei l. c.

25. Ἦν δὲ ὥρα τρίτη — αὐτόν) Sensus esse videtur: *Factum est autem hoc* (quod de divisione vestimentorum dictum erat comm. 24.) *quum esset hora tertia, postquam crucifixissent eum*, vel post crucifixionem. Mirum, quantum se torserint interpretes, ut conciliahunc locum cum loco *Ioannis* c. XIX, 14. qui tempus supplicii fuisse *horam sextam* scribit. *Hieronymus* in Psal. LXXVII. *Error*, inquit, *scriptorum fuit*, et in Marco hora VI. fuit scriptum, sed multi episemum Graecum ϛ putaverunt esse Γ. ὥρα ἕκτη habet Versio *Syra* posterior in margine, et *Aethiop.* Sed hac lectionis mutatione non opus est. Optime mihi hunc nodum solvere videtur *Heinsius* in Exercitt. SS. ad h. l. qui putat, καὶ ἐσταύρωσαν αὐτόν, hic idem esse quod ἐξ ἧς ἐσταύρωσαν, *ex quo* sive *postquam crucifixissent eum*, i. e. καὶ ἦν ὥρα τρίτη τῆς σταυρώσεως αὐτοῦ, *et erat hora tertia ex quo cru-*

crucifigi coepit; sive, et tertia iam agebatur hora, ex quo actus fuerat in crucem. Est igitur Hebraismus, in quo copula non dividit, sed iungit. Exempla huius usus τῦ ו Hebraeorum extant Ios. VII, 25. Iudic. IV, 1. et aliis locis. Nescio, an huc referri possint Io. XVI, 16. μικρὸν καὶ et cap. XIV, 19. ubi καὶ, ut hebr. ו positum esse videtur pro: *postquam.* Hanc explicationem ipse contextus requirit. Quae enim in Marco locum hunc praecedunt, evenisse *post* affixum cruci Dominum, etiam ceteri Evangelistae tradunt; neque tempus addunt. Neque pugnant, quae sequuntur; quum praesertim, quae adduntur de inscriptione, de latronibus, de vestium divisione, aliisque quae passionis tempore evenerunt, non ad certum adstringantur tempus, nec ubique ordo idem in narrandis singulis servetur. Alii apud *Ioannem* reponendum esse ἀσὶ τρίτης, existimant. Vid. annotanda ad Io. XIX, 14.

28. Καὶ μετὰ ἀνόμων ἐλογίσθη) *In maleficorum habitus est numero.* Ies. LIII, 12. Ἀνόμως, פֹּשְׁעִים apud Iesaiam esse *insigniter scelestos, supplicii reos et maleficos* patet etiam ex Gen. XXIII, 23. 25. Exod. XXIII, 7.

29. Οὐὰ) Latina interiectio *vah*, quae habet detestandi et insultandi significationem. Attamen *Arrianus* etiam Lib. III, c. 23. usus est hac voce, non quidem in *irrisionis*, sed admirationis notione.

34. Ἐλωὶ) Est vox Syriaca *Elohi*, a nomine *Eloho*, cum suffixo. *Deus mi.*

37. Ἀφεὶς φωνὴν μεγάλην) *Edito clamore magno.* Forma dicendi ἀφιέναι τὴν φωνὴν ab Alexandrinis interpretibus adhibetur ad exprimendam hebraicam phrasin תֵּת אֶת־קֹלוֹ Gen. XLV, 2. ubi denotat *clamare*, quem

ad

admodum etiam hoc loco accipiendum esse suadent verba v. 39. ubi est κράξας, collato Matth. XXVII, 50. Loca *Philonis*, qui eodem sensu usurpat hanc phrasin, Loesnerus exhibet. Neque tamen, ut idem bene monet, semper de clamore dicitur. Hinc λεπτὴν ἀφιέναι φωνὴν est apud Charitonem. *Cicero* in Flacc. c. III. *vox de quaestura nulla missa.*

39. Ὁ κεντυρίων) Latinum *centurionis* nomen, quod interpretantur Graeci ἑκατόνταρχον καὶ ταξιάρχην. ὅτι οὕτως κράξας ἐξέπνευσεν) Non clamor, (hic enim non plane insolitus moribundis,) sed quod, postquam clamaverat, exspiravit, centurionem in admirationem rapuit. Constat enim, in crucem actos lenta morte periisse. Sed Matthaeus aliam caussam admirationis affert: quod nempe cum aliis animadvertisset τὸν σεισμὸν, καὶ τὰ γενόμενα. Cap. XXVII, 54.

40. Ἡ τοῦ — μήτηρ) *Iacobi minoris et Ioseti mater.* Μικρὸς, *minor* vocatur hic Iacobus, ad discrimen Iacobi Zebedaidae. Pro Ἰωσῆ habent Ἰώσητος codd. nonnulli, et versio coptica; *Ioseph.* verss aethiop. Vulg. Itala.

42. Παρασκευὴ ab ipso Marco statim explicatur προσάββατον, feria proxima ante Sabbatum, s. sexta. Explicationem addidit, quia nomen παρασκευὴ Romanis non satis notum erat. Usurpaverat tamen illud iam Augustus in edicto quod legimus apud *Iosephum*, Antiqq. Iud. Lib. XVI, c. 6. §. 2.

43. Εὐσχήμων βουλευτὴς) *Honoratus senator*, synedrii membrum. Εὐσχήμων saepe est is, *qui honestatem sequitur, virtutis studiosus*, saepe etiam *honoratus*, et quum vulgus inprimis divites honorare soleat, *dives.*

dives. Vid. Kypkius ad h. l. Cf. Matt. XXVII, 57. Luc. XXIII, 50. Videtur igitur Marcus voce εὐσχήμων vitae, morumque honestatem, divitias, et nobilitatem simul indicare voluisse. ὃς καὶ — τῆ θεῆ) *Qui et ipse amplexus erat de regno Messiae promissiones*, i. e. discipulus Iesu erat. Προσδέχεσθαι, *accipere, amplecti.* τολμήσας — Ἰησῆ) Sumsisse animum dicitur Iosephus, quia imminere ipsi pericula videbantur a Primatibus Iudaeorum, et quia more Romanorum, illorum, qui mortis passi erant supplicium, corpora non aliter sepeliebantur, quam si fuisset petitum et permissum.

44. Ἐθαύμασεν εἰ ἤδη τέθνηκε) Errant, qui εἰ per *si* reddunt, Pilatumque dubitasse, an Christus iam mortuus sit, putant: falsum hoc esse, ex ipsius Pilati interrogatione, εἰ πάλαι ἀπέθανε, apparet. Omnino igitur haec particula pro ὅτι, *quod* sumenda est. Nam τὸ εἰ post verba inprimis admirandi, saepissime non dubiam, sed certissimam admirationis caussam denotat. Quod testantur loca a Krebsio et Loesnero ex Iosepho et Philone allata. Miratus est autem Pilatus, Iesum iam esse mortuum, quia plerique diutius in crucibus vixerunt, ut ingenitum scilicet robur erat, aut vires. Vide notata ad Matth. XXVII, 56.

46. Καὶ καθελὼν αὐτὸν) *Et quum sustulisset eum.* Verbum καθαιρεῖν, observante *Loesnero* sic dicitur apud Philonem in Flaccum, quem dicit iussisse ἐ τετελευτηκότας ἐπὶ σαυρῶν καθαιρεῖν *non mortuos de crucibus refigere*, ibidemque comme norat καθαιρεθέντας, *refixos.* Est enim illud proprium hac de re verbum, ut apud Latinos *refigere.* Iustinus IX, 7. *Refixum* corpus interfectoris cremavit.

47.

47. Ἡ Ἰωσῆ) Mater subauditur, ut et capite sequente Μαρία ἡ τοῦ Ἰακώβου. Sic *Hectoris Andromache*; supple uxor. *Iose* pro *Ioseph* ex pronuntiatione illorum temporum.

CAP. XVI.

1. Καὶ διαγενομένου τοῦ σαββάτου) *Elapso*, exacto *Sabbato*, post horam sextam. Consentit Lucas c. XXIII, 56. de mulieribus narrans: καὶ τὸ μὲν σάββατον ἡσύχασαν κατὰ τὴν ἐντολήν. Nam finito demum Sabbato, post solis occasum emere et vendere licebat Iudaeis. Intelligitur autem h. l. Sabbatum, quod intercessit inter diem, quo Christus in crucem actus est, et diem, quo in vitam rediit. Nesciebant mulieres, corpus Christi a Iosepho et Nicodemo iam unctum fuisse. Io. XIX. 40. Ceterum Marcus in tradenda historia resurrectionis Christi Lucam potissimum secutus esse videtur, Matthaeo tamen non penitus neglecto.

2. Ἀνατείλαντος τοῦ ἡλίου) *orto sole*, vel potius: *Orituro sole*. *Ioannes* c. XX, 1. πρωΐ, σκοτίας ἔτι οὔσης. Sed haec sibi non repugnant Aoristus enim non semper exactum tempus significat, sed adhuc durans. Deinde nihil usitatius et Graecis et Hebraeis, quam ut futurum praesenti designetur, quemadmodum quum ἔρχεσθαι dicitur, qui venturus est; *nasci*, qui nasciturus. Quum igitur λίαν πρωΐ antecedat, clarum est, proximum diluculo significari tempus, quod *ante lucem* Romani dixerunt, aut, *ubi nox abiit, nec tamen orta dies*. Verte igitur: *Orituro sole*. Τῇ μιᾷ τῶν σαββάτων, *primo hebdomadis die*, die Solis. Cf. notata ad Matth. XXVIII, 1.

3.

3. Τίς — μνημείου) Tantum de saxo removendo sollicitatae erant. Nam custodiam appositam ignorabant, quia id factum erat, dum ipsae sabbato distinerentur.

4. Ἦν γὰρ μέγας σφόδρα) Ellipsis. Supplendum enim est: quod commode ipsis evenit, quia magnum fuit saxum. Rectius tamen haec verba referuntur ad comma 3. ubi mulieres sollicitatae fuisse dicuntur de removendo saxo. Sensus est idem.

5. Εἰσελθοῦσαι εἰς τὸ μνημεῖον) *Quum intrassent in sepulcrum.* Vide notata ad Matthaeum, c. XXVIII, 2. seqq.

7. Εἰπατε τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ) Discipuli h. l. non tantum sunt duodecim Apostoli, sed reliqui quoque Christi sectatores, quorum plurimi in Galilaea vivebant. Καὶ τῷ Πέτρῳ) Petrus peculiariter hic nominatur, ut dux apostolici coetus, ac poinde exemplum insigne infirmitatis humanae, seriae poenitentiae et instauratae fidei omnibus propositum.

8. Καὶ ἐξελθοῦσαι — ἐφοβοῦντο γὰρ) *Egressae vero e sepulcro, aufugerunt, erant maximopere perturbatae, nec ulli quicquam dicebant, prae metu.* Ταχύ, post ἐξελθοῦσαι deest in codd. multis antiquissimis et versionibus, ac recte omittitur. Ἔχειν, *corripere, occupare*, eleganter ponitur ad significandum affectum animi vehementiorem. Οὐδενὶ οὐδὲν εἶπον) Obvio scilicet; idque prae metu Iudaeorum. At Apostolis renunciarunt, non repertum sibi corpus, sed angelos visos, qui Iesum dicerent vivere, Luc. XXIV, 22.

9. Quae inde ab hoc commate nono sequuntur, desunt in nonnullis, imo in plurimis, in accuratioribus, in omni-

omnibus paene Graeciae libris; extant vero in aliis raris, accuratis, multis, quod testantur Scholia Codicum haud paucorum, et Patrum quorundam. Vid. *Griesbachium, Matthaeium et Birchium* ad h. l. *Michaelis Auferstehungsgeschichte*, pag. 179—86. et *Einleitung in die Schriften des N. B.* pag. 1059. 1060. edit. 4. Versio *Armena*, quae sequuntur a commate nono, seorsim exhibet. Agnoscunt vero periocham hanc Versiones, Clemens Alex. Iustinus M. Dionys. Al. Hippol. Iren. aliique multi. Fieri potuit, (quae *Bengelii* est coniectura,) ut librarius, scripto versu 8. reliquam partem scribere differret, et id exemplar, casu non perfectum, alii quasi perfectum sequerentur, praesertim quum ea pars cum reliqua historia evangelica minus congruere videretur. In nonnullis codicibus post ἐφοβοῦντο γὰρ addebatur: πάντα δὲ τὰ παρηγγελμένα τοῖς περὶ τὸν πέτρον συντόμως ἐξήγγειλαν. μετὰ δὲ ταῦτα, καὶ αὐτὸς ὁ Ἰησοῦς ἀπὸ ἀνατολῆς καὶ ἄχρι δύσεως ἐξαπέστειλε δι' αὐτῶν τὸ ἱερὸν καὶ ἄφθαρτον κήρυγμα τῆς αἰωνίου σωτηρίας. Sed addita esse videntur haec verba a nonnullis, ad explendam lacunam in fine huius Evangelii, quae iam Sec. IV. in multis exemplaribus fuit. Quum omni veri specie careat, Marcum commate 8. verbis ἐφοβοῦντο γὰρ librum finivisse, coniicere licet, genuinam Evangelii clausulam, casu periisse, et seculo primo finiente aut ineunte secundo ab ignoto homine utcunque suppletum esse. Huic GRIESBACHII coniecturae favet, quod in ea clausula, quam habemus, de itinere discipulorum in Galilaeam instituto, ne verbulo quidem admonentur lectores, quum tamen Marcus c. XIV, 28. et cap. XVI, 7. bis iniiciat promissi, discipulos Christum e sepulcro suscitatum visuros esse in Galilaea. Si Marcus ipse hanc clausulam scripsisset, certe lectores non relicturus

rus fuisset incertos, utrum promissum illud, cuius ipse bis meminerat, impletum fuerit nec ne. Authentiam clausulae vindicare conatus est STORRIUS in dissert. exeget. saepius laudata p. 50. sqq. Plura habet *Kuinoelius* in Commentar. GRIESBACHIUS tamen suam sententiam haud levibus argumentis defendit in Commentar. critico etc. Partic. II. Ien. 1811. 8. pag. 197. sqq.

9. Ἀναστὰς — δαιμόνια) *Quum autem resurrexisset mane primo hebdomadis die, primae omnium Mariae Magdalensi apparebat, ex qua septem malos daemones eiecerat;* (quam a periculosissimo morbo liberaverat.) Haec nec Matthaeus nec Lucas habet. Omittit autem Marcus quae Matthaeus c. XXVIII, 9—15. de custodibus tradit, uti etiam Matth. XXVII, 62—66. narrationem de sepulcro custodibus munito silentio praeteriverat. Recte enim iudicabat, lectores ab Hierosolymis remotos, ad quorum aures non pervenerant rumores a Matthaeo c. XXVIII, 15. memorati, non magis has narratiunculas esse desideraturos, quam illam de Iudae proditoris morte et de agri Haceldama dicti emtione Matth. XXVII, 3. 10.

10. Τοῖς μετ' αὐτοῦ γενομένοις) *Illis, qui eum comitati fuerant.* Non solis undecim illis discipulis selectis, sed aliis quoque qui ipsum assectati fuerant. πενθοῦσι καὶ κλαίουσι) *Lugentibus* amissum magistrum.

11. Ἠπίστησαν) rei magnitudine fidem superante. Nam sermonum magistri de suo in vitam reditu obliti fuerant, quia his eius dictis, de regno terreno somniantes, nunquam fidem habuerant.

12. Δυσὶν ἐξ αὐτῶν) τῶν μετὰ Ἰησοῦ γενομένων, ut supra dixit commate 10. Historiam fusius narrat Lucas c. XXIV, 13. seqq. ἐν ἑτέρᾳ μορφῇ) *Habitu alio*, quam quo uti solebat, ideo πάροικον putabant. Ita optime conciliatur Marcus cum Luca. Simile contigit circa *Magdalenam;* nam habitum habebat olitoris, vultum *suum* quidem, sed qui non repente agnosceretur. Accedit, ut *Paulus* recte observat, quod post tot cruciatus, et mortem, quam Iesus subierat, vultus et oris habitus aliquantulum immutatus esset; quo factum, ut discipuli eum non statim agnoscerent. πορευομένοις εἰς ἀγρὸν.) *in pagum*, qui erat extra urbem, Emmauntem scilicet.

13. Οὐδὲ ἐκείνοις ἐπίστευσαν) Plerique eorum scilicet. Nec obstat, quod Lucas ait, antequam illi duo adventarent, Simoni visum fuisse Iesum, idque ipsum coetui renunciatum. Nam et hoc in animum non satis admittebant. Imo et quum iam Iesus supervenisset, adiicit Lucas: ἔτι ἀπιστούντων αὐτῶν. Haec omnia eo pertinent, ut nos firmius credamus his, qui ipsi tam tarde crediderunt.

14. Ὕστερον) non est *postremo*, sed *deinde;* postquam nempe mulieribus et discipulis Emmaunticis se conspiciendum praebuisset. *Thucydides* μικρὸν ὕστερον dicit, *Plutarchus* ὀλίγον ὕστερον, quum quid volunt paullo post factum significare. Ἀνακειμένοις αὐτοῖς τοῖς ἕνδεκα ἐφανερώθη, *ipsis duodecim* discipulis *ad mensam accumbentibus* apparuit. τὴν ἀπιστίαν — σκληροκαρδίαν.) *Incredulitatem eorum et pertinaciam;* quod nempe tot testibus resurrectionis Christi non credidissent, comm. 10 —13. *Hieronymus* Lib. II. adversus Pelagianos memorat addi-

additamentum post hoc comma in quibusdam Exemplaribus, et *maxime in Graecis codicibus* obvium. Sequuntur nempe haec verba: „Et illi satisfaciebant, dicentes: Seculum istud incredulitatis et iniquitatis substantia est, quae non sinit per immundos spiritus veri Dei apprehendi virtutem. Idcirco iam nunc revela iustitiam tuam.„ Ex apocrypho quodam Evangelio haec desumta esse suspicatus est *Richard Simon* in *hist. crit. textus N. T.* p. 191. s. vers. teuton. c. praef. et notis *Semleri.* Nominatim Evangelio secundum Thomam aut Philippum hoc additamentum adscribit *Io. Crojus* in observatt. ad N. T. c. XIV. quae et *Millii* coniectura est in Prolegom. §. 724. et 725. Cf. etiam *Fabricium* in cod. apocrypho N. T. pag. 325.

15. Καὶ εἶπεν αὐτοῖς) καὶ *etiam, postea, alio tempore*, non statim post ea, quae v. 14. dicta sunt, sed paullo ante adscensum in coelum. Toto XL. dierum tempore tum in Iudaea, tum in Galilaea his de rebus cum iis est collocutus. πάσῃ τῇ κτίσει) *Omnibus hominibus;* nam apud Hebraeos בְּרִיָּה κατ' ἐξοχήν notat hominem, et כָּל בְּרִיָּה *omnes homines.* Non tantum Iudaeis, sed et Samaritanis et Ethnicis.

16. Ὁ πιστεύσας καὶ βαπτισθεὶς) *Qui religionis meae doctrinam susceperit, et baptismo se ei obstrinxerit.* Πιστεύειν hic ut saepe significat *religionis doctrinam cognitam suscipere cum assensu et constanti proposito studioque praeceptis eius obsequendi.* Vid. Act. II, 44. IV, 32. XVI, 34. Tit. III, 8. Hinc ipsa religionis doctrina nominatur πίστις, 1 Tim. IV, 1. Epist. Iud. v. 3. 20. Est igitur hic πιστεύειν idem quod μαθητεύει-

πέυεσθαι, discipulum sectatoremque Christi fieri, Matth. XXVIII, 19. σωθήσεται) *Salutem consequetur*; liberabitur a poenis peccatorum, a superstitione, erroribus et vitiis; ad cognitionem veritatis, ad veram virtutem et felicitatem aeternam perveniet. Haec enim omnia vox ista complecti solet. ὁ δὲ ἀπιστήσας) Non autem credens Evangelio, quod ipsi annunciatum fuerit. κατακριθήσεται) *Infelix erit*, retentione peccatorum, et supplicio aeternis maioribus, quam quae eos manent, quibus haec doctrina non est annunciata.

17. Σημεῖα — παρακολουθήσει) *Haec autem miracula comitabuntur credentes*, i. e. huiusmodi miracula patrabunt discipuli mei. Verba: ἐν τῷ ὀνόματί μου, rectius referuntur ad praecedentia, et vertuntur: *propter me*, i. e. confirmandae et propagandae religionis meae caussa. Si ad sequentia referas, sensus erit: *me adiuvante*. Haec miracula patrandi vis et potestas non promittitur omnibus, qui Evangelio essent credituri, sed iis tantum, quorum commate 14. facta erat mentio, qui antea τοῖς θεασαμένοις αὐτὸν ἐγηγερμένον ἐκ νεκρῶν πεπίστευκαν, nunc autem non tantum de certitudine resurrectionis Christi erant convicti, sed etiam munus annunciandi Evangelium suscipiebant, quod comma 20. nos docet. Posito autem, de omnibus credentibus esse sermonem, promissio haec restringenda erit ad prima tantum tempora, in quibus ecclesia erat plantanda. Tunc enim omnino miraculis ad facienda tanti aedificii fundamenta opus fuit. Postea vero, quum Scripta Apostolorum in omnium Christianorum essent manibus, ut ubique terrarum reperirentur Christi cultores, cessarunt dona miraculosa, teste historia ecclesiastica. γλώσσαις λαλήσουσι καιναῖς) καιναῖς i. e. ἑτέραις, *peregrinis*.

De

De hoc linguarum dono variae sunt sententiae recentiorum interpretum, quas qui accuratius cognoscere cupit, adeat: STORRII *notitt. histor epistolar. Pauli ad Corinth interpretationi inservientes* Tubing. 1778. pag. 43. sqq. Eiusd. Dissert. exeg. in libror. N. T. historicor. aliquot locos. P. II. Tub. 1791. pag. 71. sqq. PAULUS *die fremden Sprachen der ersten Christen, natürliche Geistesgaben der ersten Christen.* Neues Repertorium für bibl. und morgenländ. Litteratur, I. 265. seqq. I. G. HERDER *über die Gabe der Sprachen am ersten christl. Pfingstfest*, Rig. 1794. (Christl. Schriften I. Th.) I. C. SCHMID *über die Gabe der Sprachen.* PAULUS, Memorabilia VII, 29. ss. I. A. G. MEYER *de charismate τῶν γλωσσῶν.* Hannov. 1797. 9. *Ueber die Gabe der Sprachen in der ersten Kirche*, Tub. 1798. Io. PH. KURZMANN *Narratio crit. de interpretatione locor. N. T. in quibus donorum Spiritus s. mentio iniicitur*, Goett. 1793. 4. Cf. Schol. ad Actor. II, 4.

18. Ὄφεις ἀρῶσι) Nimirum καὶ ἐὰν μὴ αὐτὸς βλάψωσι, quod ex sequentibus huc quoque referendum est. Ἀρῶσι autem est: *manibus tollent.* Ut Paulus fecit Act. XXVIII, 5. θανάσιμον) In hac voce, quae adiectiva est, deest vox φάρμακον, sic enim Graeci et elliptice et plene scribunt. Exempla dabit *Kypke.* Sensus: *Etiam mortiferis potionibus haustis, tamen incolumes evadent.*

19. Μετὰ τὸ λαλῆσαι αὐτοῖς) Quum omnia haec praecepta et promissa illis dedisset, nec quicquam iam restaret, nisi ut eadem per spiritum sanctum obsignarentur. ἀνελήφθη εἰς τὸν οὐρανόν. *In coelum receptus est.* Nonnulli existimarunt, verbo hoc indicari agnitionem Christi, a pa-

a patre antea velut abdicati. MAIMONIDES More Nevoch. *Quando deprimitur vel diminuitur dignitas alicuius, dicitur* יָרַד *descendit: quando vero extollitur et exaltatur, dicitur* עָלָה *ascendit* Deut. XXVIII, 43. CICERO de Nat. Deor. II, 24. *Suscepit autem vita hominum, consuetudoque communis, ut beneficiis excellentes viros in coelum fama ac voluntate tollerent. Hinc Hercules, hinc Castor et Pollux, hinc Aesculapius, hinc Liber etiam — hinc etiam Romulus — quorum quum remanerent animi atque aeternitate fruerentur, rite Dii sunt habiti, quum et optimi essent et aeterni.* TERTULLIANUS vero Apolog. de Christo: *Circumfusa nube*, inquit, *in coelum est ereptus, multo melius, quam apud nos asseverare de Romulis Proculi solens.* Proprie intelligenda esse, quae referuntur de receptione Christi in coelum, plerique statuunt, propter Actor. I, 9. 10. 11. Historica tamen de Iesu in coelum ascensu narratio non reperitur in N. T. libris nisi apud Lucam tantum, atque in hac Evangelii Marci clausula, cuius authentia dubia est. Vid. supra notata ad v. 9. Nec Apostoli historicas illius ἀνελήψεως circumstantias auditoribus vel lectoribus suis studiosius inculcare consueverant, sed id potius agere solebant, ut discipulis persuaderent, Iesum post resurrectionem morti obnoxium haud fuisse, sed e sepulcro rediisse in vitam aeternum duraturam, eundemque ex hac terra profectum esse in coelum, ibique apud Deum felicitate non frui tantum inenarrabili, sed maiestate etiam gaudere tanta, ut maior cogitari non possit, dominum eum esse hominum, pie ab his colendum. Vid. GRIESBACHII *Sylloge locorum N. T. ad adscensum Christi in coelum spectantium*, Ien. 1793.

G.

G. Fr. Seiler *Progr. Iesum corpore pariter atque anima in coelum assumtum esse, an argumentis probari possit fide dignis*, Erl. 1788. (in Commentatt. theol. VI. pag. 503. ss.) Cf. Gabler Neues theol. Iournal, XIV, 415. ss. inprimis Christoph. Fried. Ammon *nova opuscula theologica*, Goettingae 1803. 8. *Commentatio III. Ascensus Iesu Christi in coelum historia biblica*. p. 45. sqq. qui existimat, iam inde a iactis christianae religionis fundamentis duas in ecclesia de ascensione Iesu Christi in coelum obtinuisse sententias, *unam*, quae in fide simplici abitus Christi ad gloriam coelestem subsisteret, *alteram*, quae fidem istam ornaret coloribus, variisque traditionibus oculos et imaginationem in fidei illius societatem adsciscceret. *Primae* sententiae, (utor eius verbis,) fons et fundamentum erat locus insignis Psalmi 110. initio: *sede ad dextram meam* etc. quem ad Messianam regni cum Deo societatem Iudaei, vel invito Iesu (Matth. 22, 44.), retulere omnes. — *Altera*, quam in primam Christianorum ecclesiam et in ipsos N. T. libros immigravisse novimus, sententia, *adspectabilem* Iesu Christi in coelum *adscensum* simplici ἀφιξει και απελευσει προς τον πατερα non solum anteposuit, sed in sacros etiam Commentarios recepit. Obtemperaverunt hac in re Marcus et Lucas Christianorum ex Iudaeis ingenio, quorum doctores Midraschici Messiae venturi receptionem coelestem prope Bethaniam in monte olearum eventuram esse, dudum vaticiniis V. T. portendi sibi persuasum habebant etc. Argumenta, quibus Vir celeb. hanc suam sententiam confirmare nititur, apud ipsum legenda sunt: nam brevitas nostra non sinit excerpere plura. Και ἐκάθισεν — θεοῦ) *Et cum Deo imperat.* Nam dextrum alicui sedere, est, cum eo regnare. Sic, quem Davides (Ps. CX,

1.)

1.) Deo *dextrum sedere* dicit, donec omnium hostium victor fuerit, hunc Paulus (1 Cor. XV, 25.) dicit *regnare* donec omnium hostium victor fuerit. Cf. Hebr. I, 13. 14.

20. Ἐξελθόντες) Ex Hierosolymis. Cf. Act. I, 4. ἐκήρυξαν) doctrinam Christi, vitam eius, mortem, resurrectionem, et in coelum ascensionem. τῦ κυρια συνεργῦντος, *domino successum adiuvante.* Act. XII, 24. καὶ τὸν λόγον — σημείων) *Et doctrinam confirmante per signa subsequentia* vel potius: *doctrinae divinam auctoritatem firmante per miracula.* Non enim effecerunt miracula, ut fides constaret doctrinae, quae, etsi nulla facta essent miracula, per se inconcussa stabat (Hebr. II, 3. 4.) sed ut probaretur, et confirmaretur, doctrinam propositam, in se veram, divinitus esse traditam.

Errata typographica.

pag.	10	lin.	7	pro Γάθαρα	leg.	Γάδαρα.
—	23	—	1	— χρισῷ	—	χρισῶ
—	49	—	14	— filiorem	—	filiorum
—	64	—	15	— oscitantia	—	oscitantiae
—	75	—	24	— minus	—	munus
—	83	—	13	— quam	—	quum
—	105	—	10	— καίοντος	—	καίοντες.
—	129	—	ult.	— indicere	—	indicare
—	130	—	11	— יוֹתֵר	—	יוֹתֵר
—	132	—	16	— rel	—	rei
—	133	—	1	— datur	—	daturi
—	149	—	1	— *Num*	—	*Nam*
—	157	—	5	— *Quid*	—	*Quod*
—	161	—	20	— עֵן	—	עֵין
—	161	—	25	— μισοῖν	—	μισεῖν
—	183	—	24	— alios	—	alius
—	187	—	3	— vererunt	—	verterunt
—	193	—	4	— Marc. I,	—	Marc. II.
—	208	—	ult.	— volunt	—	voluit
—	231	—	4	— pecturus	—	perturus
—	241	—	12	— נְצַטָּחָק	—	נְצַטָּדָק
—	251	—	6	— Tandem	—	Eandem
—	311	—	9	— ϛοὰϐ	—	ϛοὰς
—	362	—	4	— post τῆς addatur γῆς		
—	365	—	16	pro se	leg.	sed
—	365	—	23	— *moleste*	—	*modeste*
—	366	—	8	— qua	—	quae
—	384	—	3	— בְּרִיחַת	—	כְּרִיתַת
—	384	—	15	— inserunt	—	inferunt.
—	424	—	10	deleatur p. 72.		
—	440	—	22	pro *Karaeis*	—	*Karaei,*
—	446	—	13	post tractantes pone comma, et adde: versi		

— 450	— 11	pro	Westen.	lege	Wetst.
— 453	— 25	—	δικίας	—	ὀικίας
— 455	— 1	—	*ris*	—	*nis*
— 459	— 8	—	pecunia	—	pecunia
— 468	— 22	—	memorent	—	memorant
— 485	— 3	—	fine	—	sine
— 485	— 6	—	צבא	—	צבא
— 501	— 13	deleatur in			
— 512	— 2	pro	significa	—	significat.
— 514	— 3	—	*Theologas*	—	*Theologicas*
— 515	— 6	—	concedere	—	comedere,
— 529	— 7	—	consiliandum	—	conciliandum
— 529	— 22	—	antecendi	—	antecedenti
— 532	— 5	—	erant	—	errant

— 545 — 1 post giam adde: *Iosephus* Antiqq. Lib. XV, c. 9. §. 3. De B. Iud. I, c. 21. §. 1. Lib. V, c. 4. §. 3. Hanc regiam,

— 548	lin. 5	pro	qui	leg.	quia
— 548	— 11	—	repraesentur	—	repraesentantur
— 590	— 13	—	morum	—	morbum
— 600	— ult.	—	serio	—	serie
— 613	— penult.	pro	deferens	leg.	deserens
— 616	— 1	—	venerebatur	—	venerabatur
— 622	— post *cibum* adde: *non*				
— 628	— ult.	pro	auferri	lege	auferre
— 672	— 26	suppletum		lege	suppletam

Leviores operarum errores, praecipue in accentibus, benevolus Lector ipse emendabit.

BS2335 .R815 1815 v.1
Scholia in Novum Testamentum...
Princeton Theological Seminary-Speer Library
1 1012 00052 7574